This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A propos de ce livre

Ceci est une copie numérique d'un ouvrage conservé depuis des générations dans les rayonnages d'une bibliothèque avant d'être numérisé avec précaution par Google dans le cadre d'un projet visant à permettre aux internautes de découvrir l'ensemble du patrimoine littéraire mondial en ligne.

Ce livre étant relativement ancien, il n'est plus protégé par la loi sur les droits d'auteur et appartient à présent au domaine public. L'expression "appartenir au domaine public" signifie que le livre en question n'a jamais été soumis aux droits d'auteur ou que ses droits légaux sont arrivés à expiration. Les conditions requises pour qu'un livre tombe dans le domaine public peuvent varier d'un pays à l'autre. Les livres libres de droit sont autant de liens avec le passé. Ils sont les témoins de la richesse de notre histoire, de notre patrimoine culturel et de la connaissance humaine et sont trop souvent difficilement accessibles au public.

Les notes de bas de page et autres annotations en marge du texte présentes dans le volume original sont reprises dans ce fichier, comme un souvenir du long chemin parcouru par l'ouvrage depuis la maison d'édition en passant par la bibliothèque pour finalement se retrouver entre vos mains.

Consignes d'utilisation

Google est fier de travailler en partenariat avec des bibliothèques à la numérisation des ouvrages appartenant au domaine public et de les rendre ainsi accessibles à tous. Ces livres sont en effet la propriété de tous et de toutes et nous sommes tout simplement les gardiens de ce patrimoine. Il s'agit toutefois d'un projet coûteux. Par conséquent et en vue de poursuivre la diffusion de ces ressources inépuisables, nous avons pris les dispositions nécessaires afin de prévenir les éventuels abus auxquels pourraient se livrer des sites marchands tiers, notamment en instaurant des contraintes techniques relatives aux requêtes automatisées.

Nous vous demandons également de:

+ *Ne pas utiliser les fichiers à des fins commerciales* Nous avons conçu le programme Google Recherche de Livres à l'usage des particuliers. Nous vous demandons donc d'utiliser uniquement ces fichiers à des fins personnelles. Ils ne sauraient en effet être employés dans un quelconque but commercial.

+ *Ne pas procéder à des requêtes automatisées* N'envoyez aucune requête automatisée quelle qu'elle soit au système Google. Si vous effectuez des recherches concernant les logiciels de traduction, la reconnaissance optique de caractères ou tout autre domaine nécessitant de disposer d'importantes quantités de texte, n'hésitez pas à nous contacter. Nous encourageons pour la réalisation de ce type de travaux l'utilisation des ouvrages et documents appartenant au domaine public et serions heureux de vous être utile.

+ *Ne pas supprimer l'attribution* Le filigrane Google contenu dans chaque fichier est indispensable pour informer les internautes de notre projet et leur permettre d'accéder à davantage de documents par l'intermédiaire du Programme Google Recherche de Livres. Ne le supprimez en aucun cas.

+ *Rester dans la légalité* Quelle que soit l'utilisation que vous comptez faire des fichiers, n'oubliez pas qu'il est de votre responsabilité de veiller à respecter la loi. Si un ouvrage appartient au domaine public américain, n'en déduisez pas pour autant qu'il en va de même dans les autres pays. La durée légale des droits d'auteur d'un livre varie d'un pays à l'autre. Nous ne sommes donc pas en mesure de répertorier les ouvrages dont l'utilisation est autorisée et ceux dont elle ne l'est pas. Ne croyez pas que le simple fait d'afficher un livre sur Google Recherche de Livres signifie que celui-ci peut être utilisé de quelque façon que ce soit dans le monde entier. La condamnation à laquelle vous vous exposeriez en cas de violation des droits d'auteur peut être sévère.

À propos du service Google Recherche de Livres

En favorisant la recherche et l'accès à un nombre croissant de livres disponibles dans de nombreuses langues, dont le français, Google souhaite contribuer à promouvoir la diversité culturelle grâce à Google Recherche de Livres. En effet, le Programme Google Recherche de Livres permet aux internautes de découvrir le patrimoine littéraire mondial, tout en aidant les auteurs et les éditeurs à élargir leur public. Vous pouvez effectuer des recherches en ligne dans le texte intégral de cet ouvrage à l'adresse `http://books.google.com`

B 478727



SILAS WRIGHT DUNNING
BEQUEST
UNIVERSITY OF MICHIGAN
GENERAL LIBRARY

DC
G1
.T72
S3

MÉMOIRES

DE LA

SOCIÉTÉ ARCHÉOLOGIQUE

DE TOURAINE

TOME XXII.

CARTULAIRE DE L'ABBAYE DE NOYERS

Publié par M. l'abbé C. CHEVALIER.

TOURS

GUILLAND-VERGER
Rue Royale, 43.

GEORGET-JOUBERT
Rue Royale, 13.

M.DCCCLXXII

MÉMOIRES

DE LA

SOCIÉTÉ ARCHÉOLOGIQUE

DE TOURAINE

TOME XXII.

CARTULAIRE DE L'ABBAYE DE NOYERS

Publié par M. l'abbé C. CHEVALIER.

TOURS

GUILLAND-VERGER
Rue Royale, 43.

GEORGET-JOUBERT
Rue Royale, 13.

M.DCCCLXXII

CARTULAIRE

DE

L'ABBAYE DE NOYERS

PUBLIÉ ET ANNOTÉ

PAR

M. L'ABBÉ C. CHEVALIER

CHEVALIER DE LA LÉGION D'HONNEUR, OFFICIER D'ACADÉMIE,
PRÉSIDENT DE LA SOCIÉTÉ ARCHÉOLOGIQUE DE TOURAINE,
SECRÉTAIRE PERPÉTUEL DE LA SOCIÉTÉ D'AGRICULTURE, SCIENCES,
ARTS ET BELLES-LETTRES D'INDRE-ET-LOIRE,
LAURÉAT DE L'INSTITUT, ETC.

Dunning
Nichols
6-9L 29
16143

PRÉFACE

Le Cartulaire de l'abbaye de Noyers, si important pour l'histoire de la Basse-Touraine et du Châtelleraudais, avait, au siècle dernier, attiré l'attention de deux érudits bénédictins qui s'occupaient avec un grand zèle à recueillir de toutes parts les matériaux d'une histoire de la Touraine et d'une histoire du Poitou.

Dom Housseau a copié lui-même ou analysé les pièces les plus intéressantes de cette riche collection, et il y a ajouté une foule de notes extraites du martyrologe-obituaire du monastère ou des chroniques du couvent. Son travail se trouve à la bibliothèque nationale, où André Salmon l'a copié en partie, pour le léguer, avec tous ses autres manuscrits, à la bibliothèque municipale de Tours. M. E. Mabille nous a donné une brève analyse des quarante chartes capitales du même Cartulaire dans son *Catalogue analytique* de D. Housseau, publié dans le tome XIV des *Mémoires de la Société archéologique de Touraine.*

D'un autre côté, Dom Fonteneau, qui préparait une

histoire du Poitou, a fait faire sous ses yeux et collationné avec soin une autre copie du Cartulaire de Noyers, laquelle est aujourd'hui déposée parmi les manuscrits de la bibliothèque municipale de Poitiers.

Quant au Cartulaire original, il paraît avoir été détruit à la Révolution, comme tant d'autres documents historiques. D'après les notes de D. Fonteneau, il aurait été écrit à la fin du XII^e^ siècle ou au commencement du XIII^e^, et dans cet état primitif, il se serait composé d'environ 650 chartes, auxquelles plusieurs autres pièces avaient été ajoutées postérieurement.

M. l'abbé Bourassé, frappé de l'importance que présentait ce Cartulaire pour l'histoire de Sainte-Maure, de Lahaye, de Nouâtre, de l'Isle-Bouchard, de Champigny-sur-Veude, de Faye-la-Vineuse, de Marmande, en un mot de toute la région comprise entre la Manse, la Creuse et Châtellerault, fit faire à Poitiers une copie du manuscrit de D. Fonteneau, et s'occupa d'en préparer la publication. M. P. de Fleury, alors attaché à la bibliothèque de Poitiers pour la rédaction du catalogue des manuscrits, aujourd'hui archiviste de Loir-et-Cher et membre correspondant de notre Société, voulut bien surveiller ce travail, et lire et collationner chaque pièce.

C'est cette copie de seconde main qui a servi de base à notre publication. Nous avons lieu d'en croire le texte parfaitement conforme à celui de D. Fonte-

neau ; mais ce dernier n'est pas toujours à l'abri de toute critique, et il s'y trouve plus d'un passage défectueux, incomplet, ou incompréhensible. Nous avons cherché à atténuer ces défauts, sans y parvenir toujours, en nous aidant des copies de D. Housseau, recopiées par André Salmon. Le même fonds nous a fourni un petit nombre de pièces que nous avons ajoutées à la fin sous forme d'*appendice*. Chacune des chartes porte un numéro de renvoi au folio du Cartulaire original, dans le cas où il se retrouverait un jour, et au folio de la copie de D. Fonteneau.

Un très-petit nombre des pièces de cette collection étaient des titres vraiment originaux, portant les signatures des parties contractantes et des témoins. Presque toutes ne sont que des chartes-notices rédigées par les moines, avec la simple indication des témoins. On en trouve parfois plusieurs rédactions, identiques pour le fond, mais variant beaucoup pour les détails.

Très-peu de ces chartes sont datées. D. Fonteneau a suppléé à ce silence en inscrivant la date approximative qu'il croyait pouvoir attribuer à chaque pièce ; mais nous ignorons sur quelles données il s'est basé pour établir ces chiffres, et on doit les regarder en général comme très-hypothétiques. Nous avons corrigé quelques dates manifestement erronées, et nous avons conservé les autres à titre de simple renseignement, sans y attacher beaucoup d'importance.

Nous avons cru devoir interpréter quelques termes obscurs; ces explications ont presque toujours été empruntées au glossaire de Ducange.

Notre Cartulaire se termine par deux index, auxquels nous avons apporté le plus grand soin. Celui des noms de personnes a été fait par M. l'abbé Quincarlet, qui a bien voulu nous aider dans ce labeur ingrat. L'index géographique a été rédigé par nous-même, avec le secours des belles cartes de l'État-major et de l'atlas cadastral d'Indre-et-Loire, dessiné à l'échelle de $\frac{1}{40,000}$, le tout complété par notre connaissance personnelle des lieux. Malgré ces ressources, un assez grand nombre de points géographiques n'ont pu être déterminés.

Une introduction étendue est le complément nécessaire de toute publication de ce genre. Cette introduction formera la première partie du tome XXIII. En la rédigeant sur un plan qui nous est propre, nous avons utilisé les notes que notre savant et regretté maître et ami, M. l'abbé Bourassé, avait préparées pour les 60 ou 80 premières chartes. Notre travail ne pourra que gagner à cette précieuse collaboration.

Tours, décembre 1872.

L'abbé C. Chevalier.

CHARTULARIUM NUCHARIENSE

I.

Robertus Rex monasterii Nucharіensis fundationem confirmat.

(Anno 1031, *D. Bouquet*; — 1030, *Mabillon* et *Hauréau*.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Robertus, gratia Dei Francorum Rex. Cum in exhibitione temporalium rerum, quas humana religio divino cultui famulando locis Sanctorum et congregationibus fidelium ex devotione animi largitur, tam præsentis quam perpetuæ vitæ, ut jam multis expertum est indiciis, solatium acquiratur ; omnibus in commune tam religiosæ erogationi est studeudum et vehementius incumbendum. Nostram etiam Amplitudinem decet talibus condescendere, et eorum petitionibus gratuitum assensum præbere.

Noverit ergo præsentium sanctæ matris Ecclesiæ fidelium notitia, et futurorum posteritas, quod quidam religiosus homo, Hubertus nomine, in quadam ecclesia in honore S. Trinitatis, et in memoria sanctæ Dei Genitricis Mariæ sacrata, volens monachos sub regula S. Benedicti aggregare pro salute animæ suæ et parentum suorum, prædictam ecclesiam a Malranno quodam impetravit

per assensum et voluntatem Fulconis, comitis (1) et Godfredi, filii ejus, de quorum beneficio erat. Est autem prædicta abbatia super fluvium Vigennæ sita in vico qui Nucharius (2) dicitur. Huic etiam abbatiæ dedit prædia sua idem cum Thoma clerico, ejus videlicet filio ; id est, alodum Carriciacum (3), cum servis et ancillis, cum pratis et vineis, et omnia quæ ad ipsum pertinent alodum ; alodum quoque Delciacum (4), cum pratis et vineis et terris cultis et incultis ; necnon alodum Cavaniæ (5) super fluvium Donusium situm, cum pratis et culturis, prædictus Thomas ejus filius in usus pauperum, qui quotidie secundum Domini mandatum ritu monastico ad lavandos pedes recipiuntur, deputavit. Et ut regali authoritate prædictus Hubertus tam donationem Malranni quam etiam assensum et voluntatem Fulconis et Gozfredi firmando stabiliret, et stabiliendo firmaret, adiit Celsitudinem nostræ Serenitatis, subnixe orans hanc conventionem et donationem manu mea firmari, et sigillo meo insigniri : quod, ut apparet, ita et feci ; hoc quoque statuens nostra authoritate regia atque præcipiens, quod si quis forte, quod absit, claustra monasterii vel cimiterium infregerit aut violaverit, imo etiam de alodo, in quo basilica sita est, vi quidquam rapuerit vel abstulerit, auri centum libras in ærario monachorum persolvat : si autem tanti pretium non habuerit, semetipsum monachis tradat, et insuper cum juramento et

(1) Fulco III, dictus Nerra, Andegavensis comes. Ejus filius Godfredus II, cognomento Martellus, ei successit anno 1040.

(2) Alias, *Nucarias*, pagi Turonici oppidum ad Vigennam fluvium, sive, ut veteres chartæ habent, *juxta grouinum seu rostrum duarum aquarum ubi ipsa Vigenna Crosam fluvium recipit* (D. Bouquet). — Mabillon, *Annal. Benedict.*, t. IV, p. 362.

(3) Charsay (D. Bouquet). *Var.*, *Cavriciacum* (Hauréau).

(4) Doulcé (D. Bouquet).

(5) Chavaigne (D. Bouquet).

quidquid habere poterit : qui quandiu hoc distulerit facere, perpetuo feriatur anathemate.

Actum publice Aurelianis, Verbi incarnati anno MXXX (1), regnante Rege Roberto XLIII (2).

Ego Balduinus cancellarius relegendo subscripsi.

Cartulaire original de Noyers, folio 212.
Inter schedas MABILLONII *ex archivo hujus monasterii.*
D. BOUQUET, *Rerum Gallic. scriptores*, t. X, p. 624.
B. HAURÉAU, *Gallia christiana*, t. XIV, Instrumenta, col. 67, *e schedis residuis S. Germani Pratensis.*
Cette pièce ne figure pas dans la collection des diplômes du roi Robert, publiée par M. l'abbé Migne, t. CXLI de la Patrologie latine.

II.

Concordant Evrardus, Nuchariensis abbas, et Ebroinus, de quodam molendino, coram Niva, domina Castri Fagiæ.

(C. AN. 1032.)

Quidam vir, Ebroinus nomine, calumniatus est monachis de Nuchariis quasdam areas molendini, dicens sibi competere duas partes, et monachis tertiam. Pro qua re adhibuit Evrardus, abbas ejusdem loci, homines suos paratos ad bellum apud castrum Fagiæ coram Niva, domina castri, quod videlicet magis monachi deberent habere duas partes, et Ebroinus tertiam. Sed domna Niva adjudicavit Ebroinum nequaquam tale bellum contra monachos debere facere, et ex hoc, coram illa et multis

(1) Juxta veterem calculum scilicet; at juxta novum, *anno* MXXXI, ita ut datum sit hoc diploma ante Pascha seu ante 25 martii. Annus enim XLIV regni Roberti concurrit cum anno 1031. (D. BOUQUET.)
(2) Ex quo scilicet regnare cœpit cum patre (988). Perperam autem legitur XXXIV tomo IV *Annal. Benedict.*, p. 362, ad annum 1030. (D. BOUQUET.)

astantibus concordantes invicem, vindicaverunt sibi monachi absque ulla calumnia duas partes, et Ebroinus tertiam. Similiter quoque de alneto (1) factum est. Habuitque ex hoc domna Niva dimidiam unciam auri, quam dederunt ei prædicti monachi. Est autem una opera terræ (2) de alneto quam tenent jam dicti monachi absque ulla calumnia.

Testes Kadilo ; Athfredus juvenis ; Isembardus ; Atcherius presbyter ; Gaufredus de Coldra ; Abranus de Carritiaco ; Gualterius, filius ejus ; Salomon.

NOTA. — Cette charte a été collationnée par D. Fonteneau sur le cartulaire original de l'abbaye de Noyers, folio 207, recto, où elle a le n° 767. Elle se trouve à la page 33 de la copie de D. Fonteneau.

III.

Gauzfredus, comes, et uxor ejus Agnes, dant monasterio Nucharіensi medietatem aquæ cum quarterio terræ, ita ut monachi reddant censum annualem XII *denariorum.*

(C. AN. 1032.)

Notum sit cunctis tam præsentibus quam futuris, quod ego Gauzfredus, comes, et uxor mea Agnes, propter divinam admonitionem quæ præcepit dicens : *Honora Dominum de tua substantia ;* et in alio loco, iterum : *Date eleemosynam, et (ecce) omnia munda sunt vobis.* Quamvis non adeo, ut dignum est, divinæ obtemperemus jussioni, non ab ea tamen ex toto volumus averti pro adipiscenda requie futura, vel pro evadenda suppliciorum pœna, almæ Genitrici Christi Mariæ et famulantibus sibi mona-

(1) Alnetum, gallice *aulnaie.*
(2) Opera terræ modus est agri jugero minor apud Pictones.

chis apud locum Nuchariensis domus, medietatem aquæ penes monasterium ex altera ripa, cum uno carterio de terra Sancti Martini ad sclusaticum (1), quam videlicet a quodam milite, Odone, cognomento Brisahasta, et ab ejus uxore, nomine Hadulcissa (2), pretio comparavimus. Totum autem pretii pondus fuerunt decem libræ, ex quibus sibi idem Odo septem vindicavit, et pro aliis tribus uxor ejus vestem pelliceam, tantumdem et eo amplius comparatam, accepit. Nos autem de hac nostra comparatione atque oblatione, prædicto Odone ac uxore ejus volentibus, scriptum fieri, et in loco jam dicto pro monimento conservari jubemus. Quod etiam ne quis violare ac contradicere aliquando præsumat, manu propria subfirmavimus, ita ut censum annualem iidem XII denariorum reddant monachi ipsius loci, illi qui ipsum beneficium tenebit, videlicet ad missam sanctæ Mariæ, quæ colitur VI idus septembris. Si vero de ipso censu tardi vel negligentes extiterint, liceat eis emendare et ipsam aquam non perdant. Obtestamur igitur per Christum ne hanc donationem quispiam falsam judicare, aut a supradicto loco velit avellere. Quod si quis facere tentaverit, æternæ damnationis cum Diabolo particeps sit.

† Signum Gaufridi comitis.
† Signum Agnetis comitissæ, uxoris suæ.
† Signum Odonis.
† Hadulcissa, uxor sua.
† Ebbo, miles.
† Signum Ulgerii, decani.
† Signum Archembaldi.

(1) Sclusaticum, tributum quod a præteruntibus ad exclusas pensitatur.
(2) Harduisa, ex schedis D. Housseau (*Mém. de la Soc. archéol. de Touraine*, t. XIV). Hæc carta, quæ tempus non exprimit, scripta fuit, secundum D. Housseau, annos inter 1035 et 1038.

† Signum Sulpitii.
† Signum Giraldi Borelli.
† Signum Gauscelini Dencherii.
† Signum Gaufredi Hugonis.

Cartulaire original de l'abbaye de Noyers, folio 25, verso; copie de D. Fonteneau, p. 37.

IV.

Kadelo, seu Cadilo, filius Hugonis Normanni, Gaufridus, frater ejus, et Ersendis, utriusque mater, dant seu confirmant quasdam terras sitas prope Transitorium ad Petram Fixam et combrum in Vigenna.

(C. AN. 1032.)

In illud tempus quo hoc Nucharieuse cœnobium abbas Ebrardus gubernabat, societatem (1) suam miles quidam accepit Kadelo nomine, filius Hugonis Normanni, cum matre sua. Et post decessum ejus, venit Gaufridus, frater supradicti militis, vivente matre sua, tempore quo illud A. (*scilicet*, Andreas) per gratiam Dei abbas, regebat, accipere beneficium (1) suum, et omnia quæ nobis frater et mater, Ersendis nomine, dederant obaudivit post obitum suum; idem dedit terram quæ est inter duas vias ad Transitorium, et illam partem quæ est ad Petram Fixam, et combrum (2) qui est in Vigenna, et alodium quod est in parrochia Porti, quam nobis dedit pro sepultura matris suæ.

Cartul. orig., folio 18, recto; copie, p. 39.

(1) Societas monachica, qua quis fit particeps orationum et bonorum operum monasterii. Idem ac beneficium.
(2) Combrus dicitur pro quibusvis arboribus excisis, atque iis quæ ad exclusas in aquis defiguntur, ad vivaria in iis conficienda.

V.

Compositio inter Beatricem, uxorem Kadilonis, et Andream, abbatem Nuchariensem, de Petra Munita.

(C. AN. 1033.)

Notum sit omnibus quod terram illam, quæ fuit Raab de Nugastro, ad Petram Munitam, sumpsit in beneficium uxor Cadelonis, Beatrix nomine, ab abbate Andrea de Nuchariis et a monachis ejus, tali convenientia ut quamdiu vixerit, eam teneat; et si evenerit ei ex voluntate ut eam in vita sua dimittat, cum fuerit bene ædificata atque constructa, ad monachos, qui illi in beneficium dederunt, revertatur. Ut autem hoc monachi consentirent fieri, dedit eis in caritate, absque nomine illius pretii, septem solidos (1).

Cart. orig., folio 51, verso; copie, p. 41.

VI.

Convenientia inter Andream, abbatem, Thomam de Insula et Nivam, uxorem Thomæ, de quarta terræ quæ est ad Doxiacum.

(C. AN. 1033.)

Hanc convenientiam fecit domnus abbas Andreas cum Thoma de Insula, pro una quarta terræ, quæ est ad Doxiacum, datis quinque solidis pro ea et duobus solidis

(1) Caritas interdum dicitur, quod vice recognitionis dabatur; sic porro nuncupatum, ne donatio non gratuita, sed venditio aut permutatio videretur.

et VI denariis census, ut, pro hoc, beneficium loci accipere mereretur ipse et uxor ejus. Post hæc autem rogavit Marricus, serviens ejus, ut domum ipsius daret cum jam dicta terræ quarta, adaucto censu de uno denario, quo protegente Sancta Maria de Nuchariis quietus vivere posset. Quod ipse libenter annuit ; sicque redditur census duorum solidorum et VII denariorum et unius denarii de alia re.

Testes : Niva, uxor Thomæ, quæ hæc annuit, rogavitque facere ; Aimo de Avum ; Fulco, presbyter ; Marricus ; Hubertus, presbyter ; Benedictus, presbyter ; Araldus, monachus, qui cum domno abbate ivit ad terram.

Cart. orig., folio 141, verso ; copie, p. 43.

VII.

Marricus dederat cœnobio Nuchariensi terras sitas ad Puteolos, ad Petram Munitam et prope ecclesiam S. Albini Depicti, c. an. 1034. *Hanc donationem confirmat Richildis, soror ejus, an.* 1057-1069.

(C. AN. 1034.)

Divina voce instruimur purpuratum divitem apud inferos torqueri, non quia tulit aliena, sed quia peccata sua redimere, etiam cum sibi pretium abundaret, contempsit ; unde salubriter monentur terrenis copiis abundantes non superbe sapere, nec sperare in incertis divitiis, sed in Deo vero divites fieri in operibus bonis, libenter tribuere, thesaurisare sibi in futurum, ut apprehendant veram vitam. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.

Quapropter, ego Marricus viam universæ carnis ingre-

diens et ultimæ proximans necessitati, cupiensque pauperum extremo digito tangi, id est minimis bonis participare, volui fratres Nuchariis commorantes, quamvis non omnium, tamen quorumdam bonorum meorum subrogare heredes, quatenus eorum oratione, immo magis illius cujus digno servitio assidue invigilant, piæ Matris Domini gloriosis meritis atque suffragiis ab instante periculo eripi, ut justorum cœtui merear sociari. Sunt autem diversis locis alodi (1) paterno jure mihi relicti, de quibus partem meam jam dictis monachis amodo in perpetuum obtinendam dereliqui, scilicet, ad Puteolos et ad Petram Munitam. Dedi etiam eis partem quam habeo in ecclesia S. Albini Depicti et in cunctis quæ adjacent ecclesiæ.

Istam autem donationem, sicut supra continetur, scripto quo magis ab omni calumnia solveretur, ego in Dei nomine Richildis post mortem fratris mei Marrici, voluntarie consentiendo firmavi, ac vidente domino et parente meo Ganilone, multisque aliis testibus, donum super altare posui, ac statim ab abbate ipsius monasterii, nomine Andrea, et omnibus monachis societatem eorum accepi. Est vero advocatus hujus donationis domnus Ganilo contra omnes calumnias, loco ejusdem Marrici.

† Signum Ganilonis.
† Signum Atcherii, fratris ejus.
† Signum Geraldi.
† Signum Achardi.
† Signum Alonis, fratris ejus.
† Signum Gosberti Inimici.
† Signum Guillelmi.

(1) Alodus, prædium non modo ab omni præstatione liberum, sed et a quolibet servitio reali et personali immune.

† Signum Bucardi.
† Signum Teodevini.
† Signum Gosberti presbyteri.

Cart. orig., folio 213, recto; copie, p. 45.

VIII.

Archembaldus, uxor ejus Amabilia et Andreas, filius eorumdem, concedunt monasterio Nuchariensi totum junioratum cæteraque jura ecclesiæ S. Patritii.

(C. AN. 1035, 2 februar.) (1).

Salubriter nimis monentur caducis rebus fulti facere sibi amicos de mammona iniquitatis, ac promereri veniam culparum largitate eleemosynarum, docente hoc in Scripturis Spiritu veritatis, quia *Redemptio animæ viri divitiæ* ejus sunt; *eleemosyna* enim *a morte liberat;* et non permittit animam ire in perditionem. Nam fiducia erit magna coram Deo eleemosyna his qui faciunt eam.

His et talibus instructus doctrinis, vir quidam nobilis, nomine Archembaudus, quamvis mundiali cura occupatus, tamen erga Dei servos supplex et devotus, cum diversis sanctorum locis jam ex rebus suis distribuisset aliqua; adhuc etiam propter alleviandum onus divitiarum, et perennem honorem potius adquirendum, necessarium duxit fratres Nuchariis commorantes sibi sociare, et eos propria facultate, immo magis per ipsos, almam Dei Genitricem, pro cujus id amore agit, honorare. Hæc autem, ut voto decreverat actu perficiens, vidente uxore sua Amabilia, et filio Andrea nomine, et multis testibus

(1) Circa an. 1035 ex schedis D. FONTENEAU, c. autem 1057 ex notis HOUSSEAU.

firmans, ac donum super altare ponens, sicut infra sunt scripta, tradere litteris mandavit, talia ex ore suo proferens.

« Ego, in Dei nomine, Archembaldus trado monachis Sanctæ Mariæ apud Nucharios ipsi servientibus partem quamdam bonorum meorum, pro redemptione animæ meæ et uxoris parentumque ac filiorum, scilicet junioratum (1) ecclesiæ Sancti Patricii, taliter, ut post mortem presbyteri, qui nunc ipsi ecclesiæ servit, possideant jam dicti monachi totum ex integro beneficium ejus, sicut ipse hactenus de me tenebat, excepto uno modio annonæ, quem annuatim ipsi presbytero dare solebam. Dono etiam illis ea quæ de ipsa ecclesia in præcipuis festivitatibus accipere solebam. Dono etiam eis amodo quartam partem sepulturæ illius loci, tali tenore, quo libenter consentiam, si quocumque modo obtinere poterunt aliquam partem de eadem sepultura ab eo qui medietatem ejus ex me in beneficio tenet. Adhuc autem dono eis domum meam juxta eamdem ecclesiam, et terram totius cimiterii ad hospitandos homines quoscumque ibi attrahere poterunt, et de ipsis hominibus omnem consuetudinem et servitium debitum eis concedo. Do quoque illis omnem decimam piscationis sclusarum mearum, quæ sunt in flumine Andriæ, et duos arpennes prati in Silva Aimoni, et locum ad ædificandam domum, ubi requiescant animalia eorum, quæ in pascuis meis nutriontur; nullum inde mihi vel posteris meis debitum solvent, quoniam et pascua et decimam eorum, quæ ibi nascentur, ipsis monachis dedi. Ante hæc omnia, dedi eis de alodis suis, quos jam olim habuerant in parro-

(1) Junioratus est quælibet ecclesia, seu potius ecclesiæ cura, quæ a personatu dependet, cum omnibus juribus utilibus.

chia Sancti Patricii, decimam totam quæ de ipsis alodis ad eamdem ecclesiam pertinet. »

Testes vero hujus rei fuerunt ii : abbas Andreas ; Adraldus, monachus ; Andraldus, monachus ; Rainoardus ; Hubertus ; Ansterius ; Alo ; Gosbertus ; Urricus ; Galterius ; Frotmundus, et multi alii monachi ex eadem congregatione. Sæculares vero fuerunt ii : Vivianus Brochardus ; Gaudenus ; Aldebertus et frater ejus Adraldus ; Achardus de Noiastro ; Gislebertus Rosellus de Linguaco ; Savaricus de Insula et frater ejus Gaufredus ; Bernegarius et Gaucherius procuratores ejusdem Archembaldi, et multi alii ex ejus familia, qui cum eo venerant ad solemnitatem Sanctæ Mariæ Purificationis.

Cart. orig., folio 97, recto ; copie, p. 49.

IX.

Aimo et uxor ejus tradunt in monachum filium suum Galterium nomine, dantque monasterio Nuchariensi molendinum unum, quod vocatur Calcasaccum, situm in flumine Esmantiæ.

(C. AN. 1036, 2 februar.) (1).

Legali tam Veteris Testamenti quam Novi sancitum tenetur auctoritate, ut parentes ad serviendum Deo filios suos offerant. Quæ videlicet causa in opere patriarchæ Abrahæ, nec non Annæ matris Samuelis, primordium sumpsit, et dehinc usus fidelium salubriter frequentavit.

Quapropter, ego Aimo, hunc filium meum, nomine

(1) C. an. 1057 ex notis D. HOUSSEAU.

Galterium, trado in cœnobio Sanctæ Mariæ semper Virginis, quod est constructum in Turonico pago, in honore videlicet Sanctæ Trinitatis et Sanctæ Dei Genitricis, atque omnium Sanctorum. Trado autem illum eo tenore, sub præsentia domini Andreæ, abbatis, ut ibidem Deo et Sanctis ejus, secundum regulam sancti Benedicti vivens, perpetuo perseveret. Et promitto per hanc petitionem, ut nunquam eidem occasionem præbebo abeundi vel a loco isto discedendi, nec liceat ei collum de sub jugo regulæ excutere; sed hic Domino serviens perseveret. Habeo autem unum molendinum in flumine Esmantiæ, apud Insulam, quod vocatur Calcasaccum, quod emimus ego et uxor mea, mater pueri, de nostra pecunia, et de ipso molendino do medietatem huic ecclesiæ Nucharіensi, pro me et pro hoc filio meo, tali convenientia, ut quamdiu vixero habeant monachi omnem decimam molendini, et post mortem meam habeant partem meam, hoc est medietatem totius molendini, et de his quæ ad molendinum pertinent. Hoc autem donum pro me et pro puero facio, et cum manu pueri quam in palla altaris involvo, hoc donum facio, astante et annuente uxore mea, matre pueri.

Ut autem hæc petitio firmior habeatur, testes multos adhibui, qui ad solemnitatem Sanctæ Mariæ Purificationis convenerant, ex quibus fuerunt Archembaldus Borrellus; Savaricus; Gaufridus; Giraldus, clericus; Vivianus Brocardus; Gislefredus frater meus; Fulco presbyter; Gauslenus Aldeberti, et frater ejus Araldus; Achardus de Nugastro; Gislebertus Rufus de Linguaco; Ganelo de Nugastro; Sulio de Rupibus; Guarinus de Fontanellis.

Cart. orig., folio 116, recto; copie, p. 51.

X.

Servus Engenaldus, cum uxore et filiis, traditur monasterio Nuchariensi ab Archembaldo, filio Hugonis.

(C. An. 1037.)

Notum sit omnibus quod Archembaldus, filius Hugonis, dedit Sanctæ Mariæ Nuchariensi cum consensu fratris sui, Rainaldi nomine, servum quemdam Engenaldum cum uxore et filiis ejus, sumpto a monachis supradicti loci pretio solidorum tredecim, tali convenientia ut si aliqua calumnia ab aliquo fuerit irrogata, qui eumdem servum aut ejus progeniem quæ de eo nascitura est, sibi vindicare quærit, ab illata calumnia liberum reddat, aut ipse si quæsierit, aut heres ejus, qui ei jure successerit, si ipse defunctus fuerit.

Testes hujus rei sunt ii : Rainaldus, frater ejus ; Ingelgerius ; Benedictus, præpositus ; Arnulfus, serviens ; Josbertus *jam manducabit ;* Guarinus.

Cart. orig., folio 63, verso ; copie, p. 53.

XI.

De vineis quæ fuerant Benedicti, presbyteri de Pulsiniaco, antequam fieret monachus Nuchariensis.

(C. an. 1038.)

Præsentibus et futuris notum sit, scilicet fratribus nostræ congregationis, quod quidam presbyter de Pulsiniaco, Benedictus nomine, qui habebat vineas ad censum solvendum de Aimerico, filio Ilgerii, quas dedit isdem

Benedictus Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis Nuchariensis ecclesiæ, quando in eadem ecclesia factus est monachus. Venit autem supradictus Aimericus, Ilgerii filius, ad abbatem Andream, et ab eo expetiit, ut in fedium ei daret vineas quæ fuerant Benedicti supradicti presbyteri solummodo in vita sua. Dedit autem ei abbas Andreas easdem vineas in fedium, tali convenientia, ut ipse pro eisdem vineis homo esset abbatis supradicti loci, et de abbate ac monachis eas deserviret, et post ejus obitum Nuchariensi ecclesiæ ac monachis remanerent. Convenit autem monachis supradicti loci ut in eorum burgio domum faceret, et quicquid panis ac vini in vicinitate habuisset, in ea congregaret, et post ejus obitum omnia monachis remanerent.

Hanc autem convenientiam firmaverunt abbas Andreas, cæterique monachi, coram testibus, quorum hæc sunt nomina : Malrannus; Stephanus; Angisus; Robertus; Rainardus; Arnulfus; Stephanus; Andreas.

Cart. orig., folio 157, recto; copie, p. 55.

XII.

Thomas, canonicus S. Martini Turonensis, concedit monachis Nuchariensibus alodum Moneadium, aliaque bona.

(C. AN. 1040.)

Notum fieri volumus succedentibus nobis fidelibus quoniam Thomas, Sancti Martini canonicus, pro adipiscenda hereditate superna, decrevit eorum quæ sibi paterno jure accidunt fratres apud Nucharios Christo Domino sub Almæ Genitricis ejus honore famulantes, post decessum suum, fieri heredes. Nam jussisse sibi dixit

patrem suum et rogasse alodum Moneadium (1) fratribus jam dicto loco commorantibus dare, si tamen frater ejus Pontius absque uxore et filiis obiisset. Cujus ipse memor præcepti, tam illud prædium, quam cuncta quæ subscripta tenentur, prædicti loci abbate et fratribus multisque coram testibus firmans, pro ejusdem patris sui ac sua salute, Sanctæ Mariæ ibique servientibus monachis reliquit, et ut hic nominatim adnotarentur rogavit, scilicet alodium Moneadium et alodum de Maximiaco, septemque arpennes vinearum quæ Turonis sunt, suburbium quoque suum et viridarium quod adjacet castello Sancti Martini; domum etiam suam quæ est in claustro aliamque apud Sanctum Spanum; sed et omnia sua mobilia, videlicet panis et vini et ornamentorum vel vestium, exceptis his quæ deservientibus sibi dederit.

Testes vero qui adfuerunt ii : domnus abbas Andreas et plures fratres ejusdem loci : Gosmarus, clericus; Rainaldus, vicarius; Johannes, pistor; Arnulfus Chillo ; Stephanus Chillo.

Hæc autem cuncta, ut supra sunt scripta, prædictus abbas dedit cuidam Sancti Martini canonico, nomine Ansterio, filio Ansterii, ut quamdiu vixerit ea teneat serviens abbati pro eis, ac post decessum ejus, ad usum redeant monachorum.

Cart. orig., folio 30, verso; copie, p. 59.

(1) Anno 1134, Nucharienses has terras Moneadii commutaverunt cum Majoris Monasterii monachis pro *la Chassagne*. Vide inferius, cart. CDLXXIX.

XIII.

Archembaldus concedit monasterio Nuchariensi, post mortem Berthæ uxoris suæ, census aliaque jura.

(C. AN. 1045.)

Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ cultoribus quod ego Archembaldus dedi uxori meæ Berthæ in dotem dimidiam quartam terræ super Esmantiam, unde Marrannus reddebat ei unoquoque anno XII denarios census in festivitate Sancti Maximi et bis in anno conredium suum (1) tertio et suis equis, et unam quartam terræ Casæ, unde Arnaldus Coralis et Gosbertus, frater ejus, reddunt unoquoque anno XVI denarios, Arnaldus X, et Gausbertus VI; et unam quartam terræ Capetis, et domum suam, et unum arpennum vineæ Nucastri, et totum fedium domni Irvisi Cabruns. Hæc omnia possidebit Berta, uxor Archembaldi, quantum ipsa vixerit; post obitum autem ejus, monachi Sanctæ Mariæ Nucharii in perpetuum. Illam dotem quam dedit Archembaldus Bertæ, uxori suæ, annuit ei Ganilo et Marrannus, frater Archembaldi, teste Gauffredo de Boceiis, et Odone Brisa Hastam, et Ebone de Monte Basonis.

Cartul. orig., folio..... — copie, p. 61.

(1) Conredium sumitur pro *procuratione*, seu conviviis quæ dominis præstabantur a vassallis.

XIV.

Effredus de Mota et Agnes, uxor ejus, concedunt monasterio Nuchariensi quidquid habent in Huelino Diabolel.

(C. AN. 1045.)

Sciant præsentes et futuri quod Effredus de Mota et Agnes, uxor ejus, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis Nuchariensibus, quicquid habebant in Huelino cognomento Diabolel, et alia quæ in aliis habentur scripta. Testes: Longus de Nuchariis; Benedictus, præpositus; Arduinus, presbyter; Rainaldus Chillos, et duo filii ejus, Arnulfus et Stephanus; et Vaslinus, serviens.

Cart. orig., folio 46, recto; copie, p. 65.

XV.

Marricus, collibertus Ansterii de Nucastro, dat molendinum de Salvatico, consentientibus Ansterio et Ildeburga, ejus uxore.

(C. AN. 1055.)

Ecclesiasticum morem secuti, litteris mandavimus hoc quod dedit quidam vir Marricus nomine de Pulsigniaco, et uxor ejus, Odela nomine, Deo et monachis Sanctæ Mariæ Nuchariensis, pro redemptione animarum suarum, et præcipue pro hoc quod monachum eum fecerunt, et in cimiterio ejusdem ecclesiæ sepeliverunt. Dedit namque prædictæ ecclesiæ molendinum de Salvatico, quod emerat a Widone, filio Franccæ, eo tenore, quod uxor ejus medietatem, donec adviveret, possideret; et

post suum excessum, in jus monachorum, similiter ab eis sepulta, rediret.

Hujus rei testes quamplures vicini et cognati fuerunt, et præcipue Rainaldus, præpositus ejusdem ecclesiæ, qui jussu domini Andreæ abbatis, eum de propria domo ad monasterium adduxit et habitum sacræ religionis adhuc viventi contradidit. Quod etiam Ansterius de Nugastro vidit et audivit, cujus collibertus erat ipse Marricus, et uxor ejus Ildeburga vidit itidem et annuit. Viderunt quoque alii quorum hic subsequuntur nomina : Adelardus, filius ipsius Marrici; Arnaldus calvus; Durandus, vicarius; Adelardus Muguerius.

Cart. orig., folio 193, recto; copie, p. 69.

XVI.

Petrus Ferti, filius Achardi, uxorque ejus Ala, concedunt abbatiæ Nuchariensi omnes consuetudines in terra apud Antoniacum et in circuitu capellæ S. Sulpicii.

(C. AN. 1056.)

Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, notum fieri volo qualiter abbas Nuchariensis monasterii, et alii fratres, ad me pervenerunt, humiliter deprecantes quatenus eis commendationem (1), omnesque consuetudines, pro Dei amore dimitterem quas habeo in illa terra, quæ eis data est apud Antoniacum, in qua Sancti Sulpicii sita est capella; et in ejusdem capellæ circuitu omnis terra illa continuatim adjacet, scilicet quantum octo boves arare possunt. Quorum vero

(1) Commendatio, status eorum qui domino alicui se commendarunt accepto ab eo beneficio, seu prædio.

petitionem ego Petrus nomine, Acardi filius, benigne suscipiens, Omnipotenti Deo et Sanctæ Mariæ, ejusdem Genitrici, Sanctoque Sulpicio, et Andreæ illius locelli abbati, aliisque fratribus inibi Deo die noctuque servientibus, terræ illius omnem commendationem, omnesque consuetudines, nihil omnino retinens, dimisi, pro anima patris mei, et cœlestis patriæ desiderio, et meorum peccatorum remissione, et ut pro me et uxore mea Dominum in orationibus suis deprecentur. Et si eam in dominio arare possunt, vel alicui ad arandum tradant, liberam atque solutam ab omni consuetudine teneant et possideant omni tempore; ita ut nihil omnino unquam aliquis meorum in eadem terra capiat.

Testes hujus rei sunt ii: Goffredus Spallus; Stephanus de Targiaco; Ansterius de Canavellis; Ala, uxor ejusdem Petri, cognomento Ferti; aliique plures.

Cart. orig., folio 55, recto; copie, p. 73.

XVII.

Milesendis, Guitburgæ filia, concedit partem dotis suæ in parochia Dangiaci.

(An. 1058, 19 martii.)

Notet sibi fidelium memoria quæ cartulæ hujus serie continentur, quia videlicet quædam bonæ actionis mulier, nomine Milesendis, dimissam sibi a parentibus partem prædiorum in parrochia ecclesiæ Dangiaci consistentium, pro adquirenda tam sibi, quam eisdem parentibus suis, requie superna, monachis Sanctæ Mariæ Nuchariis commorantibus perpetuo tradidit possidendam. Sed quædam in ipsis alodis, multis jam præcedentibus annis, orta

fuerat calumnia, unde ab aliquibus hominibus Castelli Araldi possidebantur, a quibus prædicti monasterii abbas Andreas, præfata muliere volente, soluto quod ab eis postulabatur pretio, ipsos redemit alodos, quorum redemptio fuit solidorum x et vii.

Virorum autem illorum nomina sunt hæc: Adraldus Bastardus et Goscelinus Pievinus, qui, acceptis solidis, reddiderunt ex eis vii solidos cuidam Goscelino, qui ex dono eorum eosdem tenebat alodos, cæteros sibi dimiserunt. Cumque jam bene omnia complessent, obtulit memoratus abbas, tam eis quam cunctis qui de sua et illorum parte convenerant, caritatem panis et vini. Quam cum voluntarie sumpsissent, redierunt singuli ad loca sua.

Testes vero sunt ipse vicecomes; Adraldus Bastardus; Goscelinus Pievinus; et alius Goscelinus, et Galterius Tinniosus, et Lonus, et Acfredus.

Hæc vero supra scripta concedit mater Milesendæ, nomine Guitburga, in maritali dotalitio ipsi Milesendæ; et postea firmavit per jussum et consensum parentum suorum. Hæc sunt nomina eorum:

† Signum. Geilla, soror ejus.

† Signum. Walterius et Aimericus.

† Signum. Guitburga.

† Signum. Raginaldus, qui vocatur Gelduinus.

† Signum. Alia Guitburga, et infantes sui.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo quinquagesimo septimo (1), indictione decima, regnante Henrico rege. Ergo testes sunt hi:

† Signum. Gislebertus.

† Signum. Hubertus.

(1) Scilicet anno 1058, secundum recentiorem stylum.

† Signum. Lambertus sacerdos.

† Signum. Araldus.

Hi sunt de familiaribus Milesendis: Hanno, monachus; Letardus, monachus; Hildebertus, monachus; Hucbertus, sacerdos † scripsit, XIII Kalendas aprilis.

Cart. orig., folio 198, verso; copie, p. 75.

XVIII.

Ansterius, pro animabus duarum ipsius uxorum defunctarum, concedit partem prædiorum suorum in parochia Dangiaci.

(C. AN. 1058.)

Quia divina voce docemur ut ignem aqua, sic eleemosynis extingui peccata, necessario sibi prospiciunt terrenis ditati, quo, largiendo minima capiant potiora. Unde ego in Dei nomine Ansterius partem prædiorum meorum, in parrochia Dangiaci consistentium, monachis apud Nucharios commorantibus trado perenniter possidendam, pro mea videlicet salute, seu pro parentum meorum, qui mihi ea reliquerunt, redemptione, uxorum quoque, et filiorum ac filiarum æterna remuneratione, necnon et pro sepultura duarum uxorum mearum, quæ quidem olim jam defunctæ, et in cimiterio ejusdem ecclesiæ a monachis sepultæ fuerunt; quibus tamen pro earum beneficio nihil hactenus contuleram. Sed quod hucusque distuli, nunc, adjuvante Christo, perficio. Hæc vero prædia cum omnibus in ipsis meæ ditioni subjacentibus, filiis meis ac filiabus consentientibus, jam dictis fratribus dedi, quatenus eorum precibus, immo magis sanctæ Dei Genitricis Mariæ, pro cujus amore id

facio, gloriosis meritis, tam mihi quam cunctis parentibus meis vivis et defunctis, et peccatorum remissio et hereditas tribuatur superna. Quædam etiam neptis mea, nomine Milexendis, filia sororis meæ Geliæ, partem sibi debitam alodorum, juxta meos adjacentium, prædictis monachis dedit pro sua et omnium parentum suorum salute.

Hujus rei testes filii mei et filiæ, quorum assensu et voluntate gesta est : Effredus; Solius; Ansterius; Otgerius; Erbertus; Aremburgis; Agnes; Benedictus, presbyter; Rainaldus de Belmonte; Rainaldus Camalardus.

Cart. orig., folio 198, verso; copie, p. 77.

XIX.

Andreas abbas emit areas quasdam apud Grizaicum ab Aimerico, milite.

(C. AN. 1060.)

Cunctis esse notum volumus quod domnus abbas Andreas, a quodam milite, nomine Aimerico Ligerii, emit areas quasdam apud Grizaicum, quinque solidis, ad molendinum faciendum, tali convenientia, ut ab omni calumnia eas defendens, liberas loco Sanctæ Mariæ Nuchariensis faciat, atque inde nullam consuetudinem expetat, nisi tantum duos solidos ad censum in die sanctæ Mariæ de martio.

Testes autem hujus rei sunt ii : ipse Aimericus, miles; Ingelbertus, collibertus ejus; Gosbertus; abbas Andreas; Rainoardus, monachus.

Cart. orig., folio 161, verso; copie, p. 79.

XX.

Aimericus, filius Aimerici senioris, morti proximus, dat tertiam partem de terra quæ vocatur Grizaicus, annuentibus patre et uxore ipsius.

(An. 1061.)

Anno secundo Philippi, regis Francorum, cum comes noster Goffredus junior, bonis ornatus moribus et actibus, primum in honore suo ageret annum (1), vir quidam apud castrum Fagiæ, nobili genere ortus, nomine Aimericus, filius Aimerici senioris, ultima necessitate prævenitus, ac morti jamjamque proximus, mandavit ad se venire abbatem Andream monasterii Nuchariensis. Cui confessus, dum ab eo esset absolutus, se supplex commendavit, rogans corpus suum ad ejus monasterium deportari ac sepeliri, credens se fratrum ibidem Deo servientium posse orationibus adjuvari. Quod ut impetrare quivisset, dedit ipsi abbati et monachis in eodem loco Christo sub ipsius almæ Genitricis honore servientibus, tam præsentibus quam futuris, tertiam partem prædiorum suorum quæ sunt inter Vigennam et Mirmandam, de omni illa terra quæ vocatur Grizaicus et de cunctis ad ipsam pertinentibus, de servis suis et ancillis, de vineis et silvis, de terris cultis et incultis, et de omnibus quæ suæ ditionis erant. In ea donum fecit Sanctæ Mariæ et fratribus jam dicto loco commorantibus, jussu patris sui, ac consensu et voluntate conjugis suæ, nomine Alsendis. Quod donum, quia ipse per se super

(1) Rex Philippus, consecratus die 23 maii 1059, patri suo Henrico successit die 29 augusti 1060. Goffredus junior, cognomine Barbatus, patrui sui Goffredi Martelli beneficium excepit die 14 novembris 1060.

altare ponere non potuit, rogavit patrem suum et uxorem ut ipsi hoc, post mortem suam, facerent.

Cujus precibus pater et uxor libenter consentientes, miserant plures ex suis, tam clericos quam laicos, qui hanc donationem, vice illorum, firmarent, inter quos maxime fuerunt : Algerius, presbyter Fagiæ; et Gosbertus *Dei Gratia*, qui tunc erat præpositus supradictæ terræ. E quibus Algerius, presbyter, jussus a seniore Aimerico et præfata Alsende, uxore defuncti, coram multis testibus, qui undique convenerant, cuncta hæc ut scripta habentur hic, prius ante altare narravit, et sic super illud donum posuit.

Quæ omnia cum ad notitiam supradicti principis nostri perlata fuissent, ipse placido animo et alacri vultu hæc libenter consensit, et ut firma perpetuo manerent, sua auctoritate roboravit. Qui cum postmodum honorem ipsius Aimerici dedisset cuidam Guidoni Nevernensi (1), et ipse ista cognovisset, tota voluntate hæc, ut dicta sunt, assensit, promittens ista se nequaquam minuere, sed potius multiplicare.

† Signum Johannis, presbyteri.
† Signum Salconis, clerici.
† Signum Eleazari.
† Signum Radulfi.
† Signum Alonis, fratris ejus.
† Signum Bosonis de Furniols.
† Signum Rotberti, filii Ilvei.
† Signum Bernardi Tuabovem.
† Signum Gosberti *Dei Gratia*.
† Signum Stephani Sancii.

(1) Adela, filia Fulconis Nerræ, et conjux Bodonis seu Odonis Nevernensis, comitis Vindocinensis, quatuor filios habuit, inter quos Guidonem Nevernensem.

† Signum Stephani senescalli.
† Signum Effredi juvenis.
† Signum Guillelmi de Rajacia.
† Signum Aimerici Aldeberti.
† Signum Gosleni, presbyteri.
† Signum Effredi Guanilonis.

Cart orig.. folio 169, verso; copie, p. 81.

XXI.

Hugo, miles, dat ancillam, cum terris et pratis in parochia de Paizaico.

(C. AN. 1061.) (1)

Vir quidam fidelis, Hugo nomine, clarus genere et opibus, quanquam militiæ esset actibus præpeditus, non tamen funditus sæculi futuri oblitus, sed quo tremendi judicis excusatus foret aspectibus, pauperum ejus se humiliter commendabat precibus, solerter procurans eos sibi facere amicos de mammona iniquitatis, ut in æterna tabernacula recipi mereretur ab eis; de quorum numero, fratrum apud Nucharios, Salvatori Christo, sub almæ ipsius Matris honore famulantium, cupiens mereri societatem, decrevit ista quæ hic videntur inserta, illorum necessitatibus ex sua largiri abuudantia : unam videlicet ancillam, unumque arpennem de pratis. In parrochia quoque ecclesiæ, quæ Paizaicus dicitur, concessit eis terram quæ possit duobus modiis seminari, eo tenore ut, tam decimam, quam cætera omnia, quæ ipsa terra illi reddere solebat, ipsi fratres, amodo suscipiant

(1) Carta ista eadem videtur ac carta sequens. Attamen, propter variantes, dissimilis æstimari potest.

perpetuo possessam. Quibus etiam tradidit decimam de una carruca cum sex vel quatuor bovibus arante, apud quamdam capellam, in prædictæ ecclesiæ parrochia sitam. De ipsis quoque hominibus qui ad eamdem capellam de aliis undique locis confugerint, concessit eis et cuncta quæ matri ecclesiæ debentur, exceptis his qui de præfato vico, scilicet Paizaico, illic habitaturi convenerint, qui omnia debita quæ consueverant ei semper exsolvent.

Horum autem omnium super altare donum posuit abbas et monachi, ac quibusdam suis fidelibus testibus, quorum nomina sunt hæc : Gislebertus, nepos ejusdem Hugonis ; Malrannus ; Ingelgerius.

Cart. orig., folio 197, recto ; copie, p. 85.

XXII.

Hugo, uxorque ejus Amabia dant terram in parochia quæ dicitur Paizaicus, et unam collibertam.

(C. AN. 1061.) (1)

Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis quod vir quidam fidelis, Hugo nomine, cum uxore sua Amabia, dedit fratribus apud Nucharios, Christo sub ejus Genitricis honore servientibus, ea quæ hic subscripta habentur : unum arpennem de pratis, et unam collibertam, in parrochia quæ dicitur Paizaicus ; terram ad duos modios seminandos, sine ulla consuetudine eis concessit. In qua etiam parrochia apud capellam quamdam in honore Sancti Sulpicii sitam, dedit eis decimam omnium frugum

(1) Juxta notas chronologicas D. Housseau an. 1062-1060.

de una carruca (1) cum sex bovibus arante, quocumque modo eam excolere possint, aut per se aut per homines qui de aliis locis ibi advenerint. Si autem de ipsa parrochia alii in ipsa carruca seminaverint, domnus Hugo decimam accipiet, sed et de hominibus quos ad eamdem capellam, vel ad eamdem terram, quam supra diximus, de aliis undique locis ad habitandum adduxerint, concessit eis offerendam (2) et sepulturam, et decimam omnium pecorum quæ infra eamdem terram nascentur vel nutrientur, excepto beneficio militum suorum. Quod si de parrochianis suis aliqui ibi hospitaverint, cuncta quæ matri ecclesiæ debentur, non monachis, sed domno Hugoni persolvent. Hæc autem omnia pro redemptione animæ suæ, et uxoris, et pro societate eorum habenda eis tribuit perpetuo possidenda.

Testes : Goscelinus Lupellus ; Rainaldus de Salmociaco ; Malrannus ; Stephanus de Plancis ; Rainaldus Mansels ; Goffredus ; Odo Francus, qui ipso die præpositus erat illius terræ.

Annuit autem hæc omnia postéa Galino, filius ejus, addens hoc in beneficio patris, ut qualicumque modo supradicta sex boum culta sit, aut de suis parrochianis, aut ab alienis cum aratro, vel cum fossorio, exinde habeant monachi decimam ; et si ibi vinea plantata fuerit, similiter habeant monachi decimam.

Testes ex hoc : Ervisus Cabruns ; Galterius Poteruns ; Gaufridus Pelegrinus ; Gaufridus Malrannus ; Lambertus ; Rainaldus ; Cornevinus.

Cart. orig., folio 155, recto ; copie, p. 83.

(1) Carruca seu carrucata, tantum terræ quantum uno aratro coli potest in anno.

(2) Offerenda, oblatio quævis, gallice *offrande*.

XXIII.

Frogerius de Nucastro, homo monasterii Nuchariensis.

(C. AN. 1062.)

Frogerius de Nugastro tenuit quamdam vineam de Andrea, abbate de Nuchariis, pro qua sicuti fidelissimus, ut decuit, ei servivit. Mortuo autem eodem abbate, cum accepisset loco ejus abbas Goffredus abbatiam, recognoscens se de eo tenere debere prædictam vineam, quam de prædecessore ejus tenuerat, factus est homo ejus accipiens de eo in fedium, sicut prius eamdem vineam, tantum in vita sua. Videns autem modicum esse illud fedium, sæpius causatus est se pro tali fedio nolle servire, nisi adderetur; quod utile prospiciens, addidit et unum arpennem et medium, tali tenore ut post mortem suam, bene ædificatam atque constructam, tam illam vineam, quam eam quam prius tenuerat, absque ulla parte filii sui, aut alicujus parentis, jam dictum monasterium habeat cum cæteris rebus, quas dare voluerit pro anima sua.

Testes : Benedictus, præpositus; Ingelgerius; Rainaldus Chillos.

Cart. orig., folio 57, verso; copie, p. 87.

XXIV.

De molendino Grauuel, et de contentione pro eo inter Goffridum abbatem et Malrannum.

(C. AN. 1062.)

Notum sit omnibus quod Archembaldus Longus dedit Sanctæ Mariæ de Nuchariis, domnoque abbati Andreæ,

ac monachis ejusdem loci, omnia sua empta, tam in pratis, quam in vineis atque terris, pro redemptione animæ suæ et omnium suorum parentum, annuente atque consentiente suo fratre Malranno, quatenus æterni regni Deo donante et sancta ejus Genitrice deprecante, cum sanctis particeps mereretur effici. Dedit etiam molendinum unum quod habebat ad Grautel, cujus areas ad illum faciendum emerat a fratre suo Malranno, ipso annuente, sicut et cætera. Habuitque illud domnus abbas Andreas, et post illum domnus abbas Goffridus, multis diebus absque ulla calumnia, usque ad tempus quo Malrannus separatus est a domno Hugone de Sancta Maura cum maxima ira; et isdem Hugo tulit ab eo quidquid de se possidebat. Tunc ergo accepit molendinum Malrannus dicens se nequaquam illud vendidisse, sed in conguagium (1) fratri dedisse. Pro qua re factum est placitum, et in eo placito judicatum bello hoc debere probari; sed ille, die constituti belli, ex parte Sanctæ Mariæ probis hominibus cum domno abbate Goffrido ad bellum paratis, recognoscens coram multis astantibus se hoc non recte suscepisse, reliquit calumniam injuste assumptam, annuente atque consentiente uxore sua et filio.

Deprecatus est autem prædictum abbatem ut ejus paupertatis misereretur, quod ipse prospiciens, dedit ei xx solidos, multis id poscentibus atque ad testimonium relictionis molendini astantibus, quorum nomina sunt hæc: Rainnoardus; Algerius, monachus; Rainaldus de Haia; Agnes, uxor ejus, de Malliaco; Galterius Potironnus; Achardus Tanetus; Odo Francus; Richardus de

(1) Conguagium, sive gagium, idem est ac vadimonium, pignus, gallice *gage*.

Balnols ; Gosbertus Corallus, homo Malranni ; Letbertus, clericus ; Hugo, noster homo ; Goffredus de Monte Landerii ; Archembaldus, frater Malranni.

Cart. orig., folio 202, recto ; copie, p. 89.

XXV.

Gaufridus confirmat donationem terræ apud Dulciacum factam pro anima Petri Foliati, annuitque emptionem a monachis factam in ecclesia Raziniæ.

(C. AN. 1062.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quod Gaufridus, qui calumniabatur monachis de Nucharіis terram quamdam apud Dulsiacum, quæ data eis fuerat pro anima Petri Foliati, eo quod alia res non erat, quæ pro eo daretur, et domnus abbas Gaufridus ejusdem monasterii tale quid fecerat, ut die Paschæ pro eo deportando ad eum isset, in omnibus jam dictus Gaufridus, filius Fulcradi, annuit, et eamdem donationem manu sua firmavit, cum omnibus pertinentibus ad eamdem terram, sive in collibertis, sive in quibuslibet rebus pro redemptione animæ suæ et patris et matris, atque uxoris, et omnium suorum parentum, quatenus Dei misericordia, pro quo id facit, eorum peccata dimittat, et regni cœlestis præmia concedat. Annuit etiam emptionem quam dicti monachi in ecclesia Raziniæ fecerant, tam in eadem ecclesia, quam in omnibus suis casamentis (1) : scilicet quidquid emerint, vel datum eis fuerit de cætero, vel emerint retro, tali convenientia

(1) Casamentum idem est ac casa, domus, ædificium.

ut beneficium monasterii mereatur accipere, et si se sepeliri apud idem monasterium voluerit, monachi id devote faciant, similiterque uxorem, et filios ejus, et fratres. Habet quoque in convenientia uxori et fratribus suis atque comiti id facere consentire ; et prædictus abbas dedit ei pro ista donatione beneficium loci et suum mulum quem equitare consueverat.

Testes : Rogerius de Berneza ; Goffridus, filius Ebroini ; Radulfus Rex ; Aigardus ; domnus Guido ; Guanilo ; Sulio ; Araldus ; Atfredus ; Hubertus Petrosilus ; Oggerius ; Longus ; Albuinus ; Primaldus ; Andreas ; Siguinus ; Rogerius de Mota ; Raimbaldus Abelinus ; Benedictus, præpositus ; Umbertus, presbyter ; Durandus ; Vaslinus ; Arnulfus ; Stephanus.

Cart. orig., folio 140, verso ; copie, p. 93.

XXVI.

Johannes Follicius, filius Petri Foliati, dat alodum apud Dolsiacum, cum colibertis.

(C. AN. 1062.)

Omnibus tam præsentibus quam futuris notum fieri volo quod ego Johannes, Follicius cognomine, do Sanctæ Mariæ Nuchariensi domnoque Goffrido, abbati ejusdem loci, atque omnibus monachis Deo ibi servientibus, quemdam alodum apud Dolsiacum, quem teneo de Goffredo Fulcrado, cum omnibus quæ ad eum pertinent, et colibertos et colibertas, pro redemptione animæ parentis mei Petri Folliati, qui mihi omnia quæ habuerat reliquit. Perpendens namque ego omne beneficium mihi relictum, ac nolens eum sine eleemosyna sepeliri, dedi Sanctæ

Mariæ et sibi servientibus supradictum alodum coram multis testibus, quorum nomina sunt hæc : Gaufredus Focalis ; Burchardus, nepos ejus ; Ivo Folium ; Burchardus senex et filius ejus Burchardus ; Vivianus Brocardus, et filius ejus Matheus ; Germanus et Hubertus, presbyteri.

Cart. orig., folio 144, verso; copie, p. 95.

XXVII.

Gimo, cognomine Carococta, dat terram sitam apud Dolciacum.

(C. an. 1062.)

Ad notitiam fidelium, tam præsentium quam futurorum, litteris mandare curavimus quod Gimo, cognomine Carococta, pro redemptione animæ suæ dedit Deo et monachis Nuchariensibus, sanctæ Dei Genitrici Mariæ servientibus, præsente domno Gaufrido abbate, terram quamdam quam habebat apud Dolsiacum, juxta domum monachi, annuente Aldeburga Divite et filio ejus Oggerio, concedente etiam Sulione, filio Yrvisi, de cujus casamento erat. Testes hujus rei fuerunt : Ansterius, monachus ; Rainaldus Silex, et filius ejus Arnulfus ; Hubaldus, servus ; Thiebaldus Latro.

Postea Rotbertus de Valle et filii ejus, qui supradictam terram de Gimone habuerant ad terragium (1), eamdem terram sine lite dimiserunt prædictis monachis ut hoc pacto orationes fratrum mererentur.

Cart. orig., folio 141, recto; copie, p. 97.

(1) Pars fructuum terræ domino feudi debita, aliis plus, aliis minus, secundum consuetudinem locorum. Gallice, *terrage*, *champart*.

XXVIII.

Richildis, filia Richardi uxorque Sulionis, concedit omnes alodos prope Petram Munitam sitos, annuentibus Sulione filiisque eorum.

(C. AN. 1062.)

Notum sit omnibus quod ego Richildis, filia Richardi, do Sanctæ Mariæ de Nuchariis et fratribus sub ejus patrocinio Deo servientibus, abbate Goffrido hoc dirigente, alodos omnes quos habeo ad Petram Munitam (1), absque ulla retentione, cum consensu Sulionis, domini mei, ac filiorum Lisierdi, Hionii, Eudonis, Guidonis, Adæ, pro redemptione animæ meæ ac omnium parentum meorum, dominique mei Sulionis, ut Dei nostri misericordia nos ab omnibus peccatis absolvat, et cœlestis regni prœmia cum sanctis suis nobis concedat. Habet etiam in convenientiam dominus meus Sulio ut alodos de Puziolis (2), quos ipse, contra meam voluntatem, Goffrido Papabovi (3) vendiderat, Sanctæ Mariæ et monachis, si aliquo modo potuerit, adquirat.

Testes sunt Alcherius, et frater ejus Vivianus; Gauscelinus.

Cart. orig., folio 14, verso; copie, p. 99.

(1) Ex notis D. Fonteneau, Petra Munita idem est ac gallice *la Pierre-Guarine*, sive *Guérine*, sive *Garnie*.

(2) Ex notis D. Fonteneau, gallice *Pouzoles*.

(3) Iste Goffridus Papabovem nominatur anno 1063 in carta Majori Monasterio concessa. (*Archives de Marmoutier*. Catalog. analyt. de D. Housseau, dans le tome XIV des *Mémoires de la Soc. archéol. de Touraine*.)

XXIX.

Achardus, filius Guillelmi de Nuchastro, dat colibertum unum, nomine Goslenum, cum ejus uxore et filiis.

(C. AN. 1063.)

Notum sit omnibus fidelibus Ecclesiæ quod Achardus, filius Guillelmi de Nucastro, dedit Sanctæ Mariæ de Nuchariis domnoque abbati Goffrido, et monachis Deo ibidem servientibus, quemdam suum colibertum, nomine Goslenum, cum uxore sua et filiis quos de ea habebat aut habiturus erat, pro redemptione suæ animæ et omnium suorum parentum, annuente uxore sua Amelina et duobus filiis ejus Johanne et Alexandro. Testes Vaslinus; Arnulfus; Stephanus, ejus frater; Goffridus, coquus.

Cart. orig., folio 87, recto; copie, p. 101.

XXX.

Archembaldus, filius Thetbaldi, dat monachis Nuchariensibus quidquid habet in ecclesia Pulsiniaci.

(C. AN. 1063.)

Divina auctoritate docente, didicimus ut quisquis suorum peccaminum veniam a Domino poscit, de suis rebus loca sanctorum adaugeat, quatenus illorum precibus, quæ a Deo poscit feliciter adquirere possit. Idcirco, ego Archembaldus, filius Thetbaldi, memor meorum criminum, do Sanctæ Mariæ Nuchariensi et monachis sub ejus patrocinio servientibus, illam partem omnem

quam habuit pater meus in ecclesia Pulsinniaci, quicquid ad eam pertinet, pro redemptione animæ meæ, meæque uxoris, atque omnium meorum parentum, et ut beneficium prædicti loci habere merear, sumpto pretio sexaginta solidorum ad meam partem, et ad partem uxoris meæ unam vaccam cum suo vitulo.

Testes hujus doni : domnus abbas Goffridus, sub cujus præsentia hoc factum est; Johannes, prior; Algerius, monachus et omnis congregatio Sanctæ Mariæ Nuchariis; Erbertus, presbyter; Odo Consolz; Acardus de Cosmiaco; Campis de Haia; Tetbertus Tusellus; Benedictus, præpositus; Adelardus Pastellus; Ainbertus Scalbronia; Gosbertus Dans; Arduinus; Durandus; Almarus; Andreas; Stephanus, servus; Arnulfus, frater ejus; Girardus, servus; Rainaldus, servus; Rainaldus Silvanus; Gosbertus *jam manducabit.*

Cart. orig., folio 158, recto; copie, p. 105.

XXXI.

Aldeburgis, Oggerii Modici filia, dat dimidium juctum terræ apud Pulsiniacum.

(C. AN. 1064.)

Notum sit omnibus nobis succedentibus quod Aldeburgis, filia Oggerii Modici, dedit Sanctæ Mariæ Nucharіensi domnoque abbati Gaufrido, et monachis Deo sub ejus militia in eodem loco servientibus, dimidium juctum (1) terræ apud Puzigniacum, juxta cimiterium

(1) Juctus, junctus, voces ductæ a *jugo* boum, significant tantum terræ quantum par boum arare potest.

ecclesiæ, et in cimiterio ejusdem ecclesiæ omnes macerias quas ibi habet, terramque in qua sedent, exceptis maceriis quæ sunt ante frontem ecclesiæ. Dedit etiam ex campo quem habent, et inter ecclesiam et Vigennam, dimidiam partem ad censum solvendum VIIII denariorum, ex qua accepit pretium XL solidorum pictavorum; et hoc donum annuunt filii ejus Oggerius et Nerbertus et soror ejus Agnes.

Testes hujus rei : Ragnulfus Bigoth; Gunterius; Benedictus Goslenus; Andreas, servus; Arnulfus; Stephanus, frater ejus; Gosbertus *jam manducabit;* Durandus; Girardus, servus; Gosbertus Beletus; Rotbertus; Rainaldus Chillols; Unbertus; Aldierius; Moneadius.

Cart. orig., folio 41, verso; copie, p. 107.

XXXII.

Galterius des Aigrons *fit homo de Nuchariis accipiens in fedium partem quamdam terræ in Portu ad Pilas.*

(C. AN. 1064.)

Quidam vir, nomine Galterius des Aigrons, factus est homo domno abbati Goffredo de Nuchariis, accipiens ab eo in fedium partem quamdam quam possidebat in portu qui est ad Pilas, propter suum navigium, quod dicebat jure emptionis se ibi habere. Pro qua re etiam legem judicii suscepit, quam implere non valens, ad hoc, ex consensu abbatis et monachorum venit, ut sicut dictum est in fedium illam partem acciperet, tantum in vita sua, et post mortem ejus, nullus de parentela ejus, nec filius, nec filia, vel affinis, aliquid sibi de ea vindicaret. Juravit etiam fidelitatem abbati prædicto, ut in quantum

potuerit ea quæ in prædicto portu abbas et monachi ejus possident, custodiat.

Testes hujus rei : Goslenus, presbyter ; Osbertus Captivellus ; Achardus, filius Gislerii ; Adelardus Pastellus ; Sicherius, filius Osberti ; Aimericus de Valentiaco ; Ademarus, homo Galterii ; Joscelinus, filius Archembaldi ; Longus, miles ; Durandus Palestellus.

Cart. orig., folio 59, recto ; copie, p. 111.

XXXIII.

Galterius des Aigrons, *homo abbatis Goffredi, accipit viginti novem solidos, terram et prata.*

(C. AN. 1064.)

Notum sit omnibus quod Galterius des Aigron calumniatus est domno abbati Goffredo, et monachis Sanctæ Mariæ Nucharienſis, quamdam terram atque prata ultra Crosam, unde se recognoscens, ad hoc venit ut omnem illam terram atque prata ex integro relinqueret, fieretque homo domno prædicto abbati, ac juraret illi atque omnibus monachis fidelitatem. Dedit ergo illi in fedium viginti novem solidos, quos illi debebat, et terram quam habebat circa domum suam atque etiam terram cum modico prato, quæ est ad Vilers ad terragium, tali convenientia, ut si illam terram partitus fuerat cum illo faciat placitum quod potuerit de illius parte, nihil monachis quærens, nisi illorum partem, neque servitium circa illos imminuens.

Testes hujus rei : Goslenus presbyter ; Osbertus Captivellus ; Achardus, filius Gislegerii ; Adelardus Pastellus ; Sicherius, filius Osberti ; Aimericus de Valentiaco ;

Ademarus, homo Galterii; Goscelinus, filius Archembaldi; Longus, miles; Durandus Pastellus; Gislardus; Andreas; Johannes; Benedictus, præpositus; Aimericus Pastuns; Giraldus Truina; Arnulfus; Bernardus; Gosbertus, vianderius; Arduinus Gaschet.

Cart. orig., folio 177, verso; copie, p. 113.

XXXIV.

Gualterius tradit alodos suos in vico qui dicitur Nucharius super ripam fluminis Crosæ.

(C. AN. 1064.)

Notum fieri volo sanctæ Ecclesiæ fidelibus quod ego in Dei nomine Gualterius, supernæ patriæ cupiens heres effici, ejusdem mercedis obtentu decrevi monachos Nuchariis commorantes bonorum meorum heredes in posterum facere. Sunt enim mihi alodi in vico qui dicitur Nucharius, siti super ripam fluminis Crosæ, quos mihi placuit omnes ex integro, tam in terris quam in pratis atque aquis, pro redemptione animæ meæ vel parentum meorum, sive etiam pro salute animæ uxoris meæ nec non pro sepultura ejus, supradictis fratribus perenniter possidendos tradere. Siquidem uxor mea, nomine Oda, morti propinquans, petivit se apud idem monasterium sepeliri; cujus petitioni ego libentissime annuens, defunctam illam ibi efferre feci, et sicut supra dictum est ipsos alodos jam dictis monachis in hereditate obtinendos donavi, hac videlicet causa, quatenus æterni judicis sententia nostris peccatis debita, ipsorum precibus, immo magis gloriosæ Genitricis Dei, cui ipsi serviunt, placitis meritis flectatur ad misericordiam.

Hoc autem factum est abbate ipsius loci nomine Gaufredo vivente, ac præsente domino nostro vice-comite Hugone, multisque aliis astantibus, et ipsum fieri unanimiter laudantibus, quorum ista sunt nomina : Boso, filius vice-comitis; Stephanus de Turre et Stephanus, filius ejus; Aimericus Burdet; Goscelinus de Romeliaco; Guillelmus Umbertus; Guillelmus; Rainaldus; Fulcherius, frater vice-comitis; Radulfus, archipresbyter; Archembaldus, presbyter; Abraham, presbyter; Longus; Ingelgerius; Unbertus, presbyter; Arnulfus; Durandus.

† Signum Hugonis, vicecomitis.

† Signum Bosonis, vicecomitis.

† Signum Radulfi, presbyteri.

Cart. orig., folio 176, verso; copie, p. 115.

XXXV.

Odelina, filia Gualterii senioris, dat alodum in loco qui dicitur Peremonie.

(C. AN. 1064.)

Ne nostra nostrorumque laberetur a memoria de beneficiis, quæ tradunt homines istius sæculi pro redemptione suarum animarum sanctis, litterarum, ut consuetudo est, inseruimus notitiæ. Quædam itaque nobilis femina, nomine Odelina, dat Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, pro redemptione animæ suæ et patris sui senioris Galterii atque parentum suorum animarum remissione, unum alodum in loco qui dicitur Peremonie, cum terra arabile, cum vineis et pratis, et omnibus quæ in eo sunt.

Annuit hoc filius ejus Marcoardus, et uxor ejus Gundiva; et ad hoc firmandum testes subnotavimus :

Erchembaldus, frater ejus; Israhel; Herbertus, suus clericus; Urricus; Labertus; Bartholomeus; Guillelmus, presbyter; Bernerius, præpositus; Gelduinus, filius ejus; Fredericus.

Cart. orig., folio 47, recto; copie, p. 119.

XXXVI.

Hubertus Petrosilus dat quosdam census in castellania Insulæ, annuente Burchardo.

(C. AN. 1064.)

Ego in Dei nomine Hubertus Petrosilus do Sanctæ Mariæ Nucharіensi, et domno abbati Goffredo, monachisque ejusdem loci, quicquid consuetudinis habeo ac teneo de domno Burchardo in omni terra de castellania Insulæ quæ data eis fuerit aut emere potuerint, scilicet unam gallinam ex unoquoque foco et unum denarium, et unum panem et annonam, pro redemptione animæ meæ omniumque meorum parentum, annuente Agnete, uxore mea; quatenus Dei misericordia peccatorum nostrorum vincula solvat, et hereditatem perpetui regni nobis concedat, atque meum anniversarium uxorisque meæ post obitum omni anno devote a prædictis monachis persolvatur, nominaque nostra in eorum martyrologium scribantur. Si quis autem in terra eorum hospitaverit, et terram meam coluerit, quæ mihi debet reddat, hoc est annonam, et ex foco monachis gallinam et denarium et panem.

Testes : Robertus Achardus; Achardus; Benedictus; Arnulfus; Goffridus; Goffridus de Sancto Adutio; Goffredus de Baleemis.

Hanc autem donationem annuit Burchardus dominus Insulæ, de quo Hubertus hoc tenebat, et sua auctoritate firmavit, signum crucis hic imprimens † coram multis testibus. Et hi sunt testes qui viderunt quando Burchardus annuit hoc : Hubertus, presbyter de Ismantia; Herlandus, archipresbyter ; Guillelmus, capellanus ; Ludovicus; Hugo, præpositus; Goffredus; Alcherius de Rajacia; Ganilo, filius Benedicti Cainonensis.

Cart. orig., folio 111, verso; copie, p. 121.

XXXVII.

Acfredus, filius Ansterii militis, dat monasterio Nucha-riensi quosdam census apud Pulsiniacum.

(C. AN. 1064.)

Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis quod Acfredus, filius Ansterii militis, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nucariis et monachis Deo ibi servientibus, omnes macerias quas habet apud Pulsiniacum, in cimiterio ejusdem ecclesiæ, et exitus domorum quæ ibi ædificabuntur, excepta una domo quam sibi retinet ad censum, et una curte (1) quam in alio loco restaurabit, et duos junctos terræ, unum inter ecclesiam et Vigennam, et alterum super viam; et terram quantum opus est ad hortum, et unam operam prati. Quod donum dedit absque ulla consuetudine sibi retenta, pro redemptione suæ animæ, et suorum parentum. Annuerunt autem hoc donum fratres ejus, et mater eorum, et uxor ejus nomine Agnes. Insuper etiam quicquid dabunt fratres ejus et

(1) Villa, habitatio rustica, ædificiis, colonis, servis, etc., ad rem agrestem necessariis instructa.

Aldeburgis, mater eorum, annuit idem Acfredus. Ex hoc autem dono sumpsit pretium quoddam et sex denarios census.

Testes autem hujus rei : domnus abbas Goffridus, in cujus præsentia hoc donum factum est, et omnes monachi ejusdem loci, id est Ansterius, frater ejusdem Acfredi ; et cæteri omnes. Sunt etiam alii quamplurimi, quorum nomina sunt hæc : Malrannus, miles ; Gosbertus Corallus ; Aimericus, presbyter ; Adelelmus, Pugneverius ; Benedictus, præpositus ; Erbertus, presbyter ; Goslenus, serviens ; Arnulfus ; Umbertus ; Erbertus, coquus ; Girardus, pistor ; Andreas et ipse pistor.

Cart. orig., folio 158, verso ; copie, p. 125.

XXXVIII.

De sclusa in Vigenna.

(C. AN. 1065.)

Gosbertus, socer Huberti, et Engelbertus, frater ejus, emerunt areas in Vigenna ad sclusam (1), quam simul fecerunt, ex qua dedit Engelbertus pro sepultura et beneficio suo mediam guttam (2). Deinde Gosbertus, frater ejus, aliam mediam guttam ex eadem sclusa pro suo etiam beneficio dedit monachis Sanctæ Mariæ de Nuchariis, sicuti fecerat Engelbertus. Post mortem vero Engelberti, uxor ejus vendidit supradictis monachis aliam mediam guttam. Cumque Gosbertus mortuus esset, Hubertus, maritus filiæ ejus, cui reliquum ædificium sclusæ remanserat, dedit illud in conguagium Andreæ

(1) Ex notis D. Fonteneau, ibi agitur de sclusa de Rupe.
(2) Canalis, rivus.

Grosso de Haia supra quatuor libras denariorum, ex quibus fuit fidejussor Gimo, presbyter de Nugastro. Post hæc vero rogaverunt Hubertus, uxorque ejus, cum consilio Gimonis, ut jam dicti monachi darent quatuor libras et possiderent ædificium jure emptionis, annuentibus filiis Huberti, eo quod ipsi non poterant illud redimere. Quod fecerunt monachi, datis super quatuor libras viginti solidis, ex quibus medietatem dederunt in manu majoris filii ejus Bernardi, et aliam in manu junioris, nomine Rainaldi, ex quo habuit venditionem Ansterius, quam recepit Aldeburgis, uxor ejus. Coxam quoque vaccæ, quæ reddebatur pro eodem ædificio, et quatuor denarios census, pepercit idem Ansterius ad unam candelam et quatuor denarios census, nec quicquam aliud consuetudinis monachi redderent ex hoc ædificio, nisi unam candelam et quatuor denarios.

Testes ex hoc : Rainaldus Chillols; Benedictus, præpositus; Arnulfus, sartor; et multi alii.

Cart. orig., folio 26, verso; copie, p. 129.

XXXIX.

De terra quam dederat Goslenus Curialis monachis Nuchariensibus ad Paiziacum vicum.

(C. AN. 1065.)

Notum sit omnibus quod quidam juvenis, nomine Goslenus Curialis, dedit quamdam terram quam habebat ad Paiziacum vicum post suum decessum Sanctæ Mariæ Nuchariensis abbati Gaufredo, et monachis ibidem famulantibus, quatenus eorum intercessionibus a peccatorum suorum liber efficeretur nexibus. Ipsa autem terra

erat divisa in tribus partibus, et ipse Goslenus habebat unam partem, et mater ejus alteram, et frater ejus tertiam. Cum autem isdem Goslenus mortuus fuisset, mater ejus et frater ejus, funeri advenientes, ipsas partes quas habebant, pro ipsius animæ redemptione suarumque animarum, post suum decessum, jam dicto cœnobio contulerunt, tali convenientia ut eorum corpora a jam dictis monachis in eorum sepultura honorifice tumulentur, absque ulla pecunia que ab eis exquiratur, nisi sua voluntate eis aliquid dederint.

Hujus autem rei testes sunt : Humbertus, presbyter; Rainaldus Joquet; Arnulfus Chillos; Aimericus Pastuns; Girardus Bosellus; Thetbaldus; Arnaldus; Goscelinus; Goffridus, nepos presbyteri; Rainaldus, pistor; Beringerius; Rainmundus et Fulco, frater ejus; Johannes, vicinus.

Cart. orig., folio 197, recto; copie, p. 127.

XL.

Donatio pro ædificatione ecclesiæ juxta Ismantiam inter tres vias.

(C. AN. 1065.)

Ego in Dei nomine Odila, et filii mei Aimericus et Girardus atque Thetbaldus, cum filiabus Lizina et Umberga, damus Sanctæ Mariæ de Nuchariis domnoque abbati Goffrido et monachis ejusdem loci, pro redemptione animæ Ivonis, patris nostri, et nostrarum, omniumque parentum nostrorum, terram inter *tres vias*, apud Ismantiam, et censum et omnem consuetudinem quam ibi habemus, ad monasterium et burgum ædifi-

candum; et hoc tali convenientia, ut nos ibi habeamus quartam partem sepulturæ et quartam partem quatuor festivitatum, et medietatem junioratus, et unam mansionem in suburbio, ex qua nos censum monachis reddemus. Et ut si aliquis ex nobis monachus fieri voluerit, aut in hac ecclesia, aut apud Nucharios, sive mortuus fuerit, absque ulla re quæ ei requiratur, nisi voluntarie dederit, recipiatur, et anniversarium Ivonis, et uxoris, ac trium filiorum, devote agatur. Et si aliquis de parrochia quicquam monachis dederit terræ aut cujusque rei, exceptum hoc quod divisum est, sit monachis. Si etiam quisquam ex alienis parrochiis ibi jacere voluerit, aut quocumque modo eis aliquid dederit, illorum sit proprium. Propterea autem partiemur in his quæ diximus, scilicet in quarta parte sepulturæ, et quarta parte quatuor festivitatum, et medietatem junioratus, et ut ipsi partiantur similiter in nostra ecclesia apud Cruziliam. Et hoc factum est, annuente domino nostro Burchardo, et uxore ejus Agnete, qui initium hujus bonæ voluntatis ædificandæ ecclesiæ in omnibus factus est. Adhuc autem auctorizamus eis terram in qua ecclesia constructa est, censum et omnes consuetudines. Quando autem pistrinum constructum fuerit in terra quæ est inter *tres vias*, habebimus ibi medietatem, et monachi similiter medietatem in pistrinum quod est ad Cruziliam, excepto pistrino monachorum in quo panem proprium coxerint.

† Signum Odilæ.
† Signum Aimerici.
† Signum Girardi.
† Signum Tetbaldi.
† Signum Fulconis, comitis.
† Signum Burcardi.

Testes: Burchardus, dominus Insulæ; Hubertus, pres-

byter; Guillelmus, filius Guicherii; Otbertus de Monte; et multi alii.

Cart. orig., folio 118, recto; copie, p. 131.

XLI.

Rainaldus, presbyter de Insula, concedit Goffrido, abbati monasterii Nuchariensis, domos et vineas.

(C. AN. 1065.)

Ego, in Dei nomine, Rainaldus, presbyter de Insula, do Sanctæ Mariæ Nuchariensi et domno Goffrido abbati ejusdem monasterii, simulque omnibus monachis, qui ibi Deo serviunt, domos meas quæ sunt apud Insulam, cum omnibus vasis quæ in eis sunt et cæteris omnibus meis rebus, exceptis vestimentis, nisi monastica vita mihi placuerit. Nam tunc et vestimenta et quicquid habere potuero, jam dictum monasterium possidebit. Do etiam omnes vineas, quas habeo, et monachi dant mihi XL solidos, tali convenientia ut XX solidos ex his reddam eis, ad ædificia emenda, aut aliud quod libuerit opus.

Testes : Hubertus; Gaufridus Fodialis; Burchardus, nepos ejus; Ivo Foliolus; hujus rei testes et concessores; — Fulco, presbyter; Germanus, presbyter; Constantinus, vicarius; Garnerius, parvus; Hugolinus, mercator.

Cart. orig., folio 117, verso; copie, p. 133.

XLII.

Ulricus de Insula, factus monachus in monasterio Nuchariensi, dat unum furnum et domos in mercato de Insula.

(C. AN. 1065.)

Quidam vir, nomine Ulricus de Insula, factus monachus in monasterio Sanctæ Mariæ Nuchariensis, contulit ipsi monasterio unum furnum, cum quinque mansionibus, et aliis domibus apud Insulam in mercato, pro suis redimendis peccatis et pro adipiscenda societate sanctorum sæculo renuntiantium. Deditque domnus Goffridus Fodialis Deo et Sanctæ Mariæ, atque domno abbati Goffrido, simul devotæ ejus congregationi, omnes consuetudines quas habebat in ipso furno intus et foris de tribus hominibus suis consuetudinariis, et de omnibus aliis, quos ad eumdem furnum adduxerint, qui ejus consuetudinarii non sunt; sed et domnus Burchardus, nepos ejus, rogatus hoc donum facere, fecit illud de omnibus hominibus, et consuetudinariis et non consuetudinariis, intus et foris, qui ad eumdem furnum venerint, dicens die Vinculorum sancti Petri, coram multis testibus, ante pontem Insulæ: « Sicut misereri ex integro Dominum nostrum volumus; sic quod illi damus, ex integro dare debemus. »

Nomina testium sunt hæc : Goffridus, filius Fulconis; Hugolinus Pasmaniam; Goffridus Savaricus; Goffridus Rucivallis; Goffridus Berardus; Aldierius; Adraldus Aldebertus; Guarnerius Modicus; Willelmus de Rajacia; Longus; Constantinus, vicarius.

Cart. orig., folio 117, recto; copie, p. 135.

XLIII.

Stephanus de Targiaco, factus monachus, dat monasterio Nuchariensi terram apud Fonlarge aliamque terram apud Ussellum.

(C. AN. 1065.)

In notitiam venire debet futurorum quicquid præsentes utiliter et rationabiliter, maxime de rebus Ecclesiæ, gerimus, ne posteris velut de ignotis objurgandi occasio tribuatur. Unde sciri volumus quod Stephanus de Targiaco, quando factus est monachus, et filius ejus Hugo, dederunt nobis terram quamdam quæ est ad Fonlarge, et unam quartam terræ apud Ussellum; arpentum quoque prati ad Targium in Ausim, decimam quoque vini de Polinniaco, et si vinea illa in messem mutata fuerit, decimam similiter messis; quatuor solidos pictavienses de censu singulis annis in festo Cirici et Julitæ, annuente Petro Achardo, de cujus feudo erat. Hæc in capitulo nobis dederunt, et super altare posuerunt. Testes ii: Effredus de Fronpelle; Bernardus Panet; Petrus Berlandus.

Terram autem de Fonlarge annuit nobis Josbertus de Chabannis, accepta compositione pro una medietate, quæ ad eum pertinuerat, audientibus Effredo, Bernardo, Oggerio de Mainic.

Hanc terram supradictam de Fonlarge calumniatus est Drogo Maielis, quæ erat de feudo ejus; de qua calumnia nos ei satisfacientes ei in capitulo beneficium nostrum dedimus, et xv solidos de pictaviensibus in caritate, et ita annuit nobis terram, cum uxore et fratre suo. Inde

testes fuerunt : Isembardus de Marciliaco, et Adelelmus, carpentarius, et Nichans et Thetbaudus, famuli.

Cognoscant omnes filii Ecclesiæ quod Humbaldus de Ussello dedit Deo et ecclesiæ Nuchariensi terram quam habebat inter se et fratrem suum, partem suam post obitum suum.

Testes : Buchardus de Mirmanda ; Aimericus de Tusca.

Cart. orig., folio 80, verso; copie, p. 137.

XLIV.

Gaufredus, Iterii filius, nobilis vir de Castro-Araudi, dat consuetudines in alodis de Polinniaco, annuente Rainfredi, filia Petri Acardi.

(C. AN. 1065.)

Notum sit omnibus fidelibus Christi Ecclesiæ filiis quod Gaufredus, Iterii filius, nobilis vir de Castro-Araudi, omnes consuetudines quæ illi eveniebant de terra Radulfi Gabent et de terra Longi de Nuchariis, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, annuentibus hoc uxore et filio, quatenus ipsius sanctæ Dei Genitricis Mariæ interventu, peccatorum suorum absolutionem assequi mererentur, et ut totius beneficii monachorum supradicti loci participes efficerentur, et ut monachi eos in suo cimiterio tumulent, si ipsi expetiverint. Dederunt autem supradicti monachi Gaufrido Iterii propter hoc x et VIII solidos; et ipse Gaufridus dominæ suæ Rainfredi tres solidos pro annuatione, quia de illa habebat illas consuetudines; et Durandus monachus dedit illi duos solidos et fuerunt ita quinque et unum sextarium fabarum. Quæ hoc annuit

ita dicens : « Ego Rainfredis, filia Petri Acardi, do et annuo omnes consuetudines quas habet Gaufridus, Iterii filius, de me in alodis de Polinniaco, quas ipse dat, me præsente, Deo et sanctæ Mariæ ac monachis de Nuchariis, pro anima patris mei et pro caritate quam mihi dant, sicut Gaufredus, et uxor ejus, et filius dant, ita ego annuo monachis in perpetuum possidenda. »

Testes Durandus monachus, et famulus ejus Girbertus; Aimericus Tafet; Stephanus de Targiaco; Stephanus Garluppa; Galterius de Villa Nova; Stephanus Grænolla; Gaufridus de Ussello, et frater ejus Araldus; Fulco, venderius; Ademarus Callo; Ademarus Cosinarth; Fulco de Pictavis.

† Signum Gaufridi.
† Signum uxoris ejus.
† Signum filii eorum.
† Signum Rainfredis.

Cart. orig., folio 183, recto; copie, p. 139.

XLV.

Guanilo de Castellono dat monasterio Nuchariensi collibertum quemdam, Hubertum nomine.

(C. AN. 1065.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quoniam Guanilo de Castellono, eo tempore quo honorem Aimerici de Faia tenebat, dedit Sanctæ Mariæ de Nuchariis collibertum quemdam de prædicto honore, nomine Hubertum, qui nutritus fuerat in obsequio ejusdem Sanctæ Mariæ, pro redemptione Aimerici animæ, rogantibus hominibus ejusdem honoris ac deprecantibus ab-

batem Goffredum de prædicto loco, in cujus præsentia hoc factum est, ut cantarentur tres missæ pro eodem Aimerico; et isdem abbas promisit eas in conventu monachorum persolvi. Et hoc factum est annuentibus atque rogantibus hominibus prædicti honoris, scilicet Bernardo *Macta-bovem*, et Galterio Potirone, et Ardrea, Rodulfo quoque de Bosiniaco, atque Gofredo Guanilone et Gosberto de Graciis, et Christoforo, atque Rainaldo de Grandi Campo, et aliis quamplurimis, qui simul hoc donum facere laudaverunt.

Post mortem quoque Guanilonis dum Aimericus, filius Aimerici, in honorem suum rediret, dictumque illi fuisset quod pro patre ejus ac omnibus ejus parentibus hoc donum factum fuisset, placuit ei in omnibus et rogatus a supradictis monachis ut hoc donum et ipse annueret, devotissime annuit, cæteraque dona ex ejus honore supradictis monachis ante suum tempus data, astantibus et rogantibus multis nobilibus hominibus et mediocribus ut id faceret. Sunt nomina eorum ista : Boso de Fornols, et filius ejus Bernardus *Macta-bovem;* et frater ejus Richardus; Pipinus; Odo, vicarius; Gosbertus de Graciis; Christoforus, vicarius; Ebrardus, vicarius; Goslenus, vicarius; Stephanus Tosels, et frater ejus Adelardus.

† Signum Ganilonis.

† Signum Aimerici.

Cart. orig. folio 44, recto; copie, p. 141.

XLVI.

Rainaldus de Haia dat monachis Nuchariensibus omne cenagium de sclusa ad Pilas.

(C. AN. 1065.)

Notum sit omnibus fidelibus tam præsentibus quam futuris quod Rainaldus de Haia dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis Nuchariensibus, omne cenagium (1) de sclusa eorum quam habebant ad Pilas, quam emerat Isembardus, monachus, et cenagium de propriis eorum rameriis (2), quos fecerint supra eamdem sclusam. Testes hujus donationis fuerunt Rainaldus calvus, et Gosmarus, vicarius, et Rainaldus Fulchoinus, et Aimericus Pourals, et Goffredus Malagarda. Facta est autem hæc donatio tempore Gaufridi abbatis, ipsi Gaufrido et Isembardo, monacho, et supradictis fratribus.

Cart. orig., folio 178, recto; copie, p. 145.

XLVII.

Achardus de Nucastro pro ipsius filio, qui monachus factus est, dat monasterio Nuchariensi dimidiam quartam terræ ad Fontanas. Achardus ipse monachili habitu se induens, dat terram quæ dicitur Chanda.

(C. AN. 1065.)

Hoc notum sit omnibus quod quidam miles de Nugastro Achardus nomine, quemdam filium suum, vocitatum

(1) Firma sive census piscium qui in exclusis molendinorum capiuntur
(2) Ramerium, rameda, species piscatus.

Johannem, in cœnobio Sanctæ Mariæ Nuchariensis ad serviendum Deo obtulit, deditque pro eo quamdam dimidiam quartam terræ quæ dicitur *ad Fontanas*, post decessum suæ uxoris, eadem sua uxore annuente, ex qua jam dicti monachi duos solidos et dimidium de censu redderent. Ipse vero, postea, divino instinctu inspiratus, ad regularis vitæ tramitem sectandum se contulit, relinquens omnia illicitamenta hujus sæculi, monachili habitu se induit, dans pro se quamdam terram quæ dicitur Chanda, annuente sua uxore.

Ipsa autem terra, ex fedio Sulionis, filii Teacci de Rupibus, erat, qui hoc donum jam dicto cœnobio annuit, rogante domno abbate Gaufrido jam dicti cœnobii, in cubiculo archipræsulis Turonicæ urbis, quando omnes abbates Turonici pagi ad eamdem urbem pro electione abbatis Sancti Genulfi præsentes aderant. Et ex hoc testes existunt duo monachi supradicti abbatis, Ansterius et Galterius, et duo viri ejusdem Sulionis, Ganilo clericus, ejus frater, et Gastho, consobrinus ejus.

Ex ipso autem Sulione eamdem terram quidam miles de Sancta Maura, nomine Campis, tenebat, qui et ipse donum quod Achardus, qui ab eo tenebat, fecerat, annuit, tali convenientia ut si ejus voluntas fuerit, a dictis monachis in eorum sepultura absque ulla pecunia, quæ ab ipso petatur pro sepultura, tumuletur. Similiterque uxor ejus hoc annuit eadem simili convenientia. Hujus autem rei sunt testes : Guibertus Brito ; Odo Centum Solidos. Annuit autem hoc Niva, soror ejus, uxor Thomæ, audiente Christoforo et Rainerio, famulo monachorum.

Cart. orig., folio 17, recto ; copie, p. 147.

XLVIII.

Fulco, filius Vitalis, dat terram in fedio Ambasiensi.

(C. AN. 1066.)

In nomine summi Salvatoris Dei, ego Fulco, filius Vitalis, do Sanctæ Mariæ de Nucariis et monachis ejusdem loci sub domno abbate Gaufrido, omnem terram quam habeo *ad Petram* ex fedio Ambasiensi, et omnes pratos quos ibi habeo, et olcam terræ, quæ est ante domum Berengerii, pro redemptione animæ meæ, et uxoris, ac filiorum meorum cunctorumque parentum, annuente uxore et filio meo, tali tenore ut a calumnia omnium qui calumniari possunt, quamdiu vixero, defendam. Annuit autem dominus meus hoc donum, de quo hoc teneo, saluti corporis et animæ in omnibus consulens, ut et ipse particeps beneficii, quod accepi, effici mereatur.

Testes : Gislebertus de Sancta Maura ; Umbertus, presbyter; Hubaldus.

Cart. orig., folio 114, verso; copie, p. 149.

XLIX.

Convenientia inter Radulfum de Bosniaco et Goffredum, abbatem Nuchariensem, de alodo et molendino super Vosdam.

(C. AN. 1067.)

Hanc convenientiam fecit Radulfus de Bosniaco cum abbate Goffredo et monachis Sanctæ Mariæ de Nucharіis, propter centum solidos quos præstiterunt ei iidem

monachi, ut alodum illum totum quem habebat prope Vosdam et molendinum quod est in eadem Vosda, possideant monachi, absque ulla computatione redditionis centum solidorum, pro Dei amore et suæ animæ redemptione, quousque centum solidos reddat. Si autem inter hæc, antequam reddat, mortuus fuerit, non loquens qui centum solidos reddiderit, alodum habeat solummodo, et jam dicti monachi molendinum, quod extra conventionem centum solidorum jam dederat Sanctæ Mariæ, post suum decessum. Quod si vel in periculo mortis, vel in sanitate corporis placuerit ut mundum relinquat, se cum quicquid potuerit habere, dedit Sanctæ Mariæ et domno abbati Goffredo, calumniante eum eodem abbate cuicumque loco.

Ii sunt testes qui hoc audierunt vel viderunt : Rainaldus de Grandi Campo ; Odo, vicarius ; Gosbertus de Gratiis ; Bernardus Tuebovem ; Ricardus, frater ejus ; Goslemus, vicarius ; Gauzlenus Pleirustici ; Gauzlenus, presbyter ; Gauzlenus, præfectus ; Gauzlenus de Pende Pulicem ; Hubertus de Karriciaco ; Guillelmus de Monte ; Geraldus Busellus ; Adraldus Vitalis, filius Gauzleni, piscatoris ; Gauzfridus, filius Odonis, archipresbyteri.

Cart. orig., folio 212, recto ; copie, p. 155.

L.

Fulco, comes Andegavensis, dederat Guidoni de Nervennis quemdam servum, Hubertum nomine, cum uxore et filiis Huberti, quos Guido, annuente Fulcone, dedit monasterio Nuchariensi.

(C. AN. 1067.)

Fulco Andegavensis comes (1), dedit domno Guidoni de Nervennis domino Nugastri, quemdam suum, nomine

(1) Fulco IV, dictus Richinus, nepos Goffredi II Martelli.

Hubertum, qui erat de Andegavensi, non de Nugastri honore, cum uxore et filiis suis omnibus, et cunctis eorum ædificiis et rebus universis, quos idem Guido, sicut quictos et absque calumnia acceperat, ita etiam, annuente domno Fulcone comite, solutos et quictos dedit Sanctæ Mariæ de Nuchariis, domnoque abbati Gaufrido, et monachis ejusdem loci, cum omni fructu eorum, et ædificiis et rebus omnibus, pro redemptione suæ animæ animæque uxoris suæ Agnetis et adquisitione perpetui regni. Isdem autem Guido et uxor ejus Agnes, fecerant unum molendinum, una cum eisdem servis, et habebant in convenientia illud molendinum mittere in quamdam guttam (1), ex qua iidem servi tortum faciebant Sanctæ Mariæ et ejus monachis, illudque molendinum et convenientiam dedit Guido et Agnes uxor ejus Sanctæ Mariæ et monachis illi devote famulantibus. Erant autem filii ipsius Huberti quatuor, Bernardus Vasluns, et Rainaldus Popos, et Gosbertus Damnus, et Adelardus, et soror eorum Reinerdis Joquet. Hos omnes Guido de Nevernis dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, tali convenientia ut monachi eis ignoscerent tortum quem eis fecerant de sclusa, et post mortem eorum, videlicet illorum quatuor fratrum, omne illud ædificium quod in aqua habuerint, integerrime monachis remaneat, et aqua, et sclusa, et piscatio monachis remaneat, et monachi eos, propter hoc, in suo cimiterio honorifice sepeliant. Tamen in eorum vita adjudicatum est a domno Guidone molendinum monachorum quod ipse eis dederat in gutta ripæ esse remanendum, quod ita servi annuerunt.

Testes Guanilo; Adraldus; Helias; Boellus; Humber-

(1) Id est sclusam, *écluse*.

tus, presbyter; Albuinus; Rainaldus Ibernus; Bernerius; Hugo de Bosco; Otgisius; Aimericus Petralis; Giraldus; Benedictus, præpositus; Albertus; Bernerius; Arnulfus.

† Signum Guidonis.

† Signum Agnetis.

† Signum Fulconis, comitis.

Cart. orig., folio 30, verso; copie, p. 157.

LI.

Fundatio et ædificatio ecclesiæ Sancti Egidii, prope Ismantiam, in castro de Insula.

(C. AN. 1067) (1).

Sanctæ Ecclesiæ sit notum cunctis fidelibus quod quidam vir nobilis Burchardus nomine, filius Huonis, dominus castri Insulæ Burchardi, dum eidem castro dominaretur, voluit in suburbio Ismantiæ ædificare ecclesiam, ut ex eadem parte, causa ecclesiæ, castrum ædificaretur et amplificaretur. De hac eadem re rogaverunt eum abbas Gaufridus et monachi Sanctæ Mariæ de Nuchariis ut eis annueret ecclesiam construere in honore sancti Egidii apud Ismantiam, in olca (2) quadam quam habebat Guillelmus, filius Guicherii, juxta rivum Ismantiæ, quam ipse Guillelmus ad ecclesiam faciendam supradictis monachis dedit pro anima patris sui, et matris suæ, qui eam emerant, et erat census de eadem olca filiis Ivonis de Tavento (3). Sed quia ipse Willelmus, filius fuerat servi domini Insulæ, et Burchardus, dominus

(1) Ex schedis D. Housseau circa an. 1069.

(2) Olca, gallice *ouche*, terræ portio arabilis, fossis vel sæpibus undique clausa.

(3) Apud Taventum, *le bois Fils-Yvon* servat adhuc memoriam filiorum Ivonis.

Insulæ eumdem Guillelmum liberum fecerat, non poterat Guillelmus de hereditate patris, nec de emptionibus patris sui, vel matris, alteri dare aut vendere sine jussione domini sui Burcardi, quia ad eumdem Burchardum ejus hereditas redierat. Rogaverunt abbas Gaufridus et monachi Burchardum, ut eis eamdem olcam annueret. Qui Burchardus eamdem (dedit) olcam Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis de Nuchariis, quam Guillelmus prius dederat ad ecclesiam ædificandam, rogavitque filios Yvonis et matrem eorum, ut de eadem olca censum monachis darent, et ut ecclesiam ibi facerent, annuerent. Qui, eodem præsente Burchardo, censum et ecclesiam faciendam monachis annuerunt, teste Gaufrido, filio Adelelmi; et Guillelmo, filio Guicherii; et Gaufrido de Boisé; et ita Burchardus suo firmo dono, donum Guillelmi firmavit.

Dedit autem Burcardus supradictis monachis Sanctæ Mariæ de Nuchariis omnes consuetudines et vicariam (1) quam habebat in supradicta olca; et de illa terra quæ est inter tres vias, inter viam quæ ducit versus Cainonem, et duas vias quæ tendunt ad castrum Insulæ, dedit similiter omnes consuetudines, et omnem vicariam; et de illis hominibus, quos ibi hospitaverint ad habitandum, dedit omnes consuetudines et vicariam et offensas, ita ut in hostem, nec in pugnam, pergant, nisi ad defensionem castri. In festivitate quoque sancti Egidii dedit feriam tribus diebus ante et tribus diebus post, excepto pedagio, et quod venditum fuerit in castello et suburbiis ejus. Hæc omnia dedit Burchardus, filius

(1) Vicarius dictus est qui, vice comitis vel alterius judicis partes exequitur in pagis vel minoribus oppidis. Gallice, *viguier*. Unde vicaria est jurisdictio vicarii; ejusdem officium, munus; et itidem districtus vicarii, locus in quo justitiam suam exercet.

Ivonis, Sanctæ Mariæ de Nuchariis, pro amore Dei, et pro redemptione animæ suæ et omnium suorum parentum, quatenus donum perpetuæ hereditatis a Christo bonorum retributore, mererentur accipere. Testes fuerunt ex hoc: Arnaldus de Luziniaco; Savaricus de Bosceia; et Gaufridus, frater ejus; Aimericus, filius Ivonis; et frater ejus Thetbaldus; et Girardus; Johannes Folium; Alcherius de Rajachia; Gaufridus, filius Adelelmi; Odo de Pontibus; Lonus de Septimis; Guillelmus, filius Aimonis; Vivianus, pontenarius.

Hæc omnia annuit Gaufridus Focalis, teste Ainardo, nepote suo, Gaufrido Savarico et Huelino Calvo, atque Bodardo.

Hæc eadem omnia annuit Fulco, comes Andegavensis, teste Gaufrido Focale et Johanne de Cainone; Pagano, filio ejus; Alberico, filio Riberti; Guillelmo Normanno. Hæc omnia sicut scripta sunt annuit Andreas Peloquinus, filius Archembaldi Burrelli, et sicut patruus ejus Burchardus dederat, ita annuit. Testes Fulco, comes; Johannes de Cainone; Paganus, filius ejus; Gaufridus Savaricus; Albericus, filius Riberti.

Annuit hanc ecclesiam faciendam archiepiscopus Bartholomæus et manu propria tres petras benedixit, quæ in fundamento ecclesiæ supradictæ sunt positæ. Testes Radulfus, tunc decanus, postea archiepiscopus; Burcardus, cantor. Hæc omnia annuit Bartholomæus, filius Archembaldi, qui castrum Insulæ post Peloquinum tenuit. Testes Hugo Ulrici; Radulfus Albuini.

† Signum Burcardi.
† Signum Fulconis, comitis.
† Signum Goffredi Focalis.
† Signum Andreæ Peloquini.

Cart. orig., folio 108, verso; copie, p. 161.

LII.

Goslenus, filius Albuini Nigri, nepotem suum monasterio Nuchariensi obtulerat, et reliquit monachis alodum de villa Poleta.

(C. AN. 1067.)

Antiquorum exempla sequentes, nos monachi Sanctæ Mariæ de Nuchariis, rem istam litteris ad posteros transmittere curamus, quod quidam homo, Goslenus nomine, filius Albuini Nigri, nepotem suum Deo serviturum in hoc loco offerens, in præsentia domni abbatis Goffredi, et ideo decrevit de suis rebus, pro posse, aliqua nobis relinquere, scilicet alodum quemdam qui est super laccum de villa quæ dicitur Poleta, quem ipse tenebat in beneficio de Radulfo, milite de Bosnai, vidente ipso et volente, et hoc ipsum libenter consentiente. Hoc vero ipse Radulfus, cum prædicto Gosleno, præsentibus nobis, firmans totum ipsum alodum sine ulla calumnia vel consuetudine, nostro monasterio perpetuo possidendum dereliquit.

Cart. orig., folio 206, recto ; copie. p. 163.

LIII.

Gaufridus, filius Adelelmi, dedit quamdam terram apud Cruzilias.

(C. AN. 1068.)

Ut ad futurorum memoriam quæ præsentes agimus, litterarum monimentis reducantur, quibusdam notulis assignare libuit ea quæ gessimus, ne per neglectum

nostrum in errorem oblivionis cæteri inducantur. Scriptum igitur posteris relinquimus quoniam Gaufridus, Adelelmi filius, pro anima sua terram quamdam quæ erat apud Cruzillias, quam de sua pecunia emerat, Deo et Sanctæ Mariæ Nucharіensi dederit, et in perpetuum habendam cum redditione census, qui Effredo de Pulia redditur, trium videlicet solidorum, irrevocabiliter tradidit. Hanc, post mortem illius, Peloquinus, Insulæ dominus, quia de feudo suo, ex quo Goffridus tenuerat, esse dicebat, monachis Sancti Egidii qui eam colunt, calumniavit. Et terram utrique annuerunt Peloquinus et Eustachia, uxor sua.

Testes hujus rei fuerunt : Nicholaus, monachus ; Matthæus Rucevallis ; et Effredus de Pulia; et Alo ; Drogo, presbyter.

Cart. orig., folio 108, recto; copie, p. 165.

LIV.

Gaufridus, filius Adelelmi, dat monasterio Nucharіensi, inter cætera jura, decimam de terra in qua ædificant ecclesiam et suburbium apud Ismantiam.

(C. AN. 1068.)

Notum sit omnibus quod ego Gofridus, filius Adelelmi, do Sanctæ Mariæ de Nucharіis, dominoque abbati Goffrido et monachis ejusdem loci, quartam partem sepulturæ ecclesiæ de Cruzilia, et quartam partem festivitatum quatuor; taliter ut ego similiter accipiam in ecclesia quam illi ædificant apud Ismantiam, et unam domum in suburbio, ex qua censum monachis omni anno reddam. Do quoque decimam quæ mihi evenit in

illa terra, in qua ædificant ecclesiam et suburbium, et propter hoc facient me monachum, aut in hac ecclesia, aut apud Nucharios, si voluero ; sive antea mortuus fuero, pro hoc me recipiant.

† Signum Goffridi.

† Signum Unbergæ, uxoris ejus.

† Signum Burchardi.

† Signum Fulconis, comitis.

Cart. orig., folio 106, verso ; copie, p. 167.

LV.

Gaufridus, filius Adelelmi, fit monachus Nuchariensis, datque terram apud Cruzilias.

(C. AN. 1068.)

Ne facta piorum calumniæ iniquorum subjaceant, posteris sciendum relinquimus quod Gaufridus, Adelelmi filius, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, domnoque abbati Gaufrido et monachis ejus loci, quamdam decimam, quam habebat apud Ismantiam in terra in qua ecclesia Sancti Egidii nunc sita est et suburbium, tali conditione ut ipsi facerent eum monachum in ecclesia sua apud Nucharios tamen si hoc voluerit. Si autem ante obierit, sepelient ipsum in ecclesia sua.

† Signum Goffredi Adelelmi.

† Signum Unbergæ, uxoris ejus.

† Signum Burchardi.

Postea vero cum supradictus Goffredus, Adelelmi filius, monachum vellet profiteri, dedit Deo et jam dictæ ecclesiæ Nuchariensi terram quam apud Cruzilias habebat, et ita factus est monachus in eadem ecclesia.

Annuit hoc Peloquinus, dominus Insulæ, et Eustachia, uxor sua, audientibus et videntibus Nicolao, monacho; Drogone, presbytero; Matheo Ruscevallis; Effredo de Lapuilla, cui idem monachi tres solidos census de eadem terra annuatim reddunt; Alone, præposito.

Cart. orig., folio 124, verso; copie, p. 169.

LVI.

Herbertus Darsus et Ludovicus, nepos ejus, dant alodum inter Crosam et Vigennam. Herbertus dat monasterio Nuchariensi alodos suos ad Drachiacum.

(C. AN. 1069.)

Quisquis sanctorum consortiis aggregari desiderat, necesse est ut Dei nostri juxta monita, eos de rebus transitoriis, quas possidet, sibi amicos faciat, eorum videlicet loca ditando, seque eorum intercessionibus assidue committendo. Idcirco ego Herbertus Darsus atque meus nepos Ludovicus, damus Sanctæ Mariæ Nuchariensi et domno abbati Goffrido monachisque in eodem monasterio Deo servientibus, illum alodum quem habemus inter Crosam et Vigennam, quatenus beneficium ejusdem loci mereamur accipere, et per intercessionem sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cui illum alodum damus, superna cœlorum regna possidere. Do etiam ego Herbertus, ex mea parte, excepto eodem alodo, quem præsentialiter damus, ego et meus nepos, omnes alodos quos hereditario jure possideo ad Drachiacum, et partem porti quam in Crosa habeo, post meum finem, tali convenientia ut si mihi placuerit, me in monachi habitu suscipiant, aut in sæculari, si ita voluntas mea fuerit;

et ut decet custodiant, supradicta omnia possideant. Si autem sic morte præventus fuero, ut hæc implere nequeant, eant et me ad suum monasterium portari faciant, atque in suum cimiterium cum honore sepeliant.

Testes hujus rei sunt hi : Guanilo ; Oldoardus ; Gualterius ; Fulco ; Aimericus ; Arnulfus, homines mei. Et hi homines monachorum : Ingilgerius ; Durandus ; Goslenus ; Andreas ; Arnulfus ; Girardus ; Gosbertus.

Facto ergo Herberto Darso monacho, venit ad eum Ludovicus, suus nepos, præcepitque ei isdem Herbertus ut redderet Goffrido abbati monachisque suum equum, et duos boves, et quinque porcos, et quatuor modios annonæ, et unum modium vini ; rogavitque Ludovicus abbatem quod ei prædictum equum venderet, atque sua sponte obtulit XL solidos ; quod abbas annuit. Sed isdem Ludovicus rogavit abbatem quod medietatem prædiorum de villa, quæ dicitur Dracensis, et suam partem porti, pro eisdem solidis acciperet, donec ipse eos redderet. Abbas autem respondit : nunquam hoc fore ut ipse vel monachi ab aliquo homine conguagio aliquid acciperet, reddens quicquid expleti (1). Ad hæc Ludovicus dedit illud expletum, quod exiret pro redemptione animæ suæ et patris et avunculi sui, donec redderet prædictos solidos, et porcos et boves, et annonam et vinum. Et illam (partem) quam retinebat de iisdem prædiis et de medietate porti eo tenore dedit Sanctæ Mariæ post suum obitum, pro redemptione animæ suæ, ut si tandem monachus fore fieri voluisset, annuat domn' s abbas cunctique monachi. Et illam particulam quam tenebat Gosbertus de Graciis, quod daret Sanctæ Mariæ, rogavit eum jam

(1) Expletum, reditus, proventus terræ, prædii.

dictus Herbertus. Quod ipse annuit. Testes : Fulco; Gualterius; Herbertus, presbyter.

† Signum Herberti.

† Signum Ludovici.

Cart. orig., folio.....; copie, p. 171.

LVII.

Campelinus, miles, in infirmitate gravi constitutus, rogavit abbatem Gaufredum ut ad monasterium deportaretur sperans ibidem se sanitatem sic recepturum precibus et meritis monachorum.

(C. AN. 1069.)

Omnibus fidelibus catholicæ Ecclesiæ volumus fieri notum quod quidam miles, Campelinus nomine, in infirmitate nimia laborans, et de se valde timens, arcessiri fecit domnum abbatem Gaufredum de Nuchariis, quatenus ad illud monasterium deportaretur, quo meritis sanctæ Dei Genitricis Mariæ et precibus fratrum ejusdem monasterii sanitatem mereretur accipere. Quod devote faciens prædictus abbas, antequam eum de loco suo moveret, dedit isdem Campelinus, multis astantibus et præcipue domno Hugone, alodum quod habebat apud Maxigniacum, et ad Bometium terram bonam, mediocrem et deteriorem, quantum quatuor boves possunt excolere duobus temporibus, et unam loricam super viginti quinque solidis de coronatis, aut xxx de turnisis. Si autem de illa infirmitate moreretur, tertiam partem omnium suarum rerum, ubicumque reperiri potuissent, tam in annona et vino, quam in cæteris rebus. His omnibus uxor ejus devote consensit, quatenus et ipsa bene-

ficii particeps efficeretur. Testes: domnus Hugo; Gaufridus Peloquinus.

Cart. orig., folio 138, verso; copie, p. 173.

LVIII.

De Gaufredo Berardo; de terra et pratis quæ dederat Fulco, filius Vitalis.

(C. AN. 1069.)

Gaufredus Berardus calumniatus est terram et prata quæ dederat Fulco, filius Vitalis, Sanctæ Mariæ de Nuchariis. Postea autem ad talem concordiam pervenit, ut calumniam terræ dimitteret, et prata libera concederet, tali convenientia, ut v solidos darent ei monachi supradicti cœnobii. Testes vero hujus rei fuerunt ii : Erlandus; Germanus ; Oggisius ; Rainaldus de Faia; Rainaldus Mestivers, et Achardus, frater ejus; Achardus Mancels; Gislebertus; Goffredus. Postea autem dedit illi Rainoardus, monachus, duos solidos. Hæc omnia quæ sunt dicta factaque, in Insula castello acta sunt. Postea vero venit in capitulum Sanctæ Mariæ jam dictæ, die Purificationis; accepto suo beneficio annuit coram abbate Gauffrido cæterisque fratribus hæc aspicientibus et videntibus, simul cum aliis, quorum ista nomina sunt: Oggisius; Goffredus ; Otbertus; Pelivicinus.

Cart. orig., folio 119, verso; copie, p. 175.

LIX.

De sepultura ecclesiæ S. Patricii.

(C. AN. 1069.)

Post hæc autem accidit ut quidam miles ex ejus familia, nomine Gauzlinus Aldebertus, caderet in infirmitate; qui cum videret se de illa infirmitate nullatenus posse evadere, nullum aliud subsidium animæ suæ sciens, nisi monachilem habitum, petiit a supradictis monachis ut ei misererentur, eique sanctitatis habitum traderent; qui gratanter hoc suscipientes, fecerunt eum monachum. Dimisit autem eis in eleemosynam quæcumque habebat, id est, suum equum et sua arma, et centum solidos quos ei debebat jam dictus Archembaldus. Postea autem fecerunt concordationem, domnus abbas G. et ejus monachi, cum supradicto viro, ut eis dimitteret quartam partem sepulturæ jam dictæ ecclesiæ Sancti Patricii, quam sibi retinuerat, et illi ei dimitterent omnia quæcumque jam dictus vir Gauzlinus eis dederat. At ille, hoc gratanter suscipiens, accepit equum super pretium x librarum et centum solidos, quos mortuo debebat, et omnia ejus arma, et concessit illis quartam partem sepulturæ, quam illo vivente tenuerunt solutam atque quietam.

Hujus autem rei testes fuerunt Aimericus et Adraldus, fratres ejusdem Gauzlini. Hæc quoque supra conscripta auctorizavit Engelgerius et Ermensenda, uxor ejus, apud quamdam ecclesiam Sancti Hilarii, quæ est Turonis, præsente Gaufrido, tunc temporis Nuchariis abbate, et Gosberto, monacho, et Goscelino Britone; et Aimerico *pelle de Oia*. Auctorizavit quoque ista Machahellus et uxor ejus Richelda, et filius ejus primogenitus Aimeri-

cus, præsente Richardo, monacho, qui ideo tradidit eidem viginti solidos, qui etiam donum concessionis ejus jussu deferens super altare Sanctæ Mariæ posuit; unde testes Gaufridus, presbyter, et Fulcherius de Fonte, et Benedictus Baldrannus.

Transactis autem multis diebus, perrexit memoratus vir Archembaldus, cum Fulcone, comite Andegavensi, ad obsidionem castri vocabulo Trebas; vulneratus est ibi ad mortem. Cum autem eum visitandi gratia adiisset abbas G. qui tunc regimen nostræ congregationis tenebat, rogaverunt, qui præsentes aderant, filium ejus Andream, ut illud donum quod ejus pater dederat, auctoritate firmaret. Qui libentissime hoc faciens in præsentia plurimorum, non solum quæcumque pater ejus dederat, sed multo majora promisit se daturum pro redemptione patris vel matris et omnium suorum parentum.

Testes autem fuerunt : Savaricus de Insula, et frater ejus Gaufridus ; Gaufridus, filius Adelelmi; Zacharias; Guilelmus Ferra-Bovem ; Thebaldus de Valenna ; Rainardus; Hubertus, monachus.

Cart. orig., folio 97, verso; copie, p. 177.

LX.

Isembardus, presbyter, inter alias donationes, dat domum suam apud Sanctam Mauram.

(C. AN. 1069.)

Notum fieri volumus omnibus succedentibus nobis fidelibus quod quidam Isembardus, presbyter, cupiens superna hereditate ditari, dedit monachis apud Nucharios Christo Domino in ipsius almæ Genitricis honore

famulantibus, quicquid in vineis, vel in pratis aut in terra arabili, sive in silva, in terra Sancti Martini jure censili possidebat, id est XII arpennes ad censum XII denariorum. Quam donationem qualiter melius ædificare vel construere poterit, ita post mortem suam, vel post relictam sæculi vanitatem, si forte, Deo adjuvante, contigerit, eis integram obtinendam reliquit, quatenus miseratione Dei et piæ Matris ejus suffragiis, et jam dictorum fratrum precibus, et mortem æternam evadere, et vitam perpetuam mereatur possidere. Dedit etiam eis similiter quicquid habebat in terra Gaufredi Guanilonis: sex arpennes et unam domum ad fruges suas congregandas in eadem terra ad censum solvendum XII denariorum, aliamque domum apud Sanctam Mauram, volente atque consentiente domno Hugone, filio Goscelini, cui et censum solvebat, quatuor scilicet denarios, pro eadem domo. Hoc autem donum sicut privatim decreverat se daturum, ita et publice postea firmavit die festivo, quo ab ortu refulsit Mater luminis æternæ, lucis genitura splendorem, multis coram adstantibus, qui ad diem festum ad idem monasterium convenerant expectantes solemnia missæ.

Hæc omnia, sicut supra scripsimus, in præsentia domni Goffredi, abbatis prædicti monasterii, facta sunt et multorum aliorum quorum nomina hæc sunt : Gaianilo de Nucastro; Adraldus, nepos ejus; Galterius Potiruns; Goffredus Peloquinus; Adfredus; Odo Brisa-Hasta.

† Ego Hugo firmavi.

† Ego Isembardus feci.

Cart. orig., folio 131, verso; copie, p. 179.

LXI.

Gaufridus Peloquinus dat B. Mariæ de Nuchariis aream molendini ad Constantium, pratum et collibertum, Albertum nomine, cum uxore sua et tribus filiabus.

(C. AN. 1069.)

Notum sit omnibus quod Gaufridus Peloquinus dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et domno abbati Gauffrido, cæterisque monachis in eodem cœnobio, sub norma divinæ justitiæ Deo famulantibus, aream quamdam molendini quæ vocatur ad Constantium, et duo juncta terræ, in unum sibi cohærentia ad Salvaticum, et unum pratum et unum collibertum nomine Albertum cum uxore sua et tribus filiabus, pro redemptione animæ uxoris et pro patris ac matris absolutione, suique patrui, nomine Anstasii, de cujus parte hæc omnia possidebat, et aliorum omnium sibi pertinentium, tali convenientia ut eum jam dicti monachi in suum beneficium reciperent et post suum decessum in suam sepulturam decentissime tumularent.

Hoc autem donum annuerunt Adraldus Bloinus, et tres filii ejus, Odo et Atbrannus, et Arnaldus, ad quos hereditario jure debebatur, ut et ipsi similiter supradictorum monachorum beneficium sortirentur.

Testes vero hujus rei fuerunt ii : Sulio, filius Teacci; Gasto et Raimundus, homines ejus; Ricardus de Banniolis; Oggisius; Aimericus Petralis; Constantinus; Raimundus et Tetbaldus; Gaufridusque, famuli Sanctæ Mariæ.

Cart. orig., folio 158, recto; copie, p. 181.

LXII.

Borellus ac Peloquinus dant monasterio Nucharіensi quidquid habebant monachi in feodis et casamentis eorum.

(C. AN. 1071.)

Borellus concessit Deo et Beatæ Virginis Mariæ de Nucariis monachis, quicquid habebant sive habituri erant de feodis et casamentis ejus, ita ut ipse non perdat caput servitiorum suorum, concedentibus uxore ejus Agnete, et filio utriusque Huone, audientibus Simone, filio Ulrici et Petro de Brisaio; et Sansone; Gerardo Brochar; et Roberto, magistro; et Pagano, clerico; et Alone, præfecto.

Manifestum sit omnibus a veritate non discrepantibus Peloquinum concessisse monachis Sanctæ Mariæ de Nucariis quicquid habebant de feodis et casamentis ejus, absque ullo retinaculo et denominatione illud quod ipse habebat in burgo Gaufredi Berardi, et terram Enardi Charchois de Cheverio. Promisit etiam se non ulterius facturum aliquam molestiam in aliqua rerum ad Sancti Egidii ecclesiæ beneficium pertinentium, quicquid monachi seu facerent seu dicerent adversus eum. Audientibus Radulfo Articis; et Alexandro; et Reginaudo Farcini; et Reginaudo Chotart; et Alone Sancti Egidii præfecto; et Pagano, clerico.

Cart. orig., folio 108, recto; copie, p. 183.

LXIII.

Ermengarda dat terram apud Faicum pro absolutione duorum suorum conjugum, quos successive habuit, Odonis nempe et Guillelmi.

(C. AN. 1071.)

Ego, in Dei nomine, Ermengarda, do Sanctæ Mariæ de Nuchariis, domno abbati G., cæterisque monachis in eodem cœnobio sub norma divinæ justitiæ famulantibus omnem terram matrimonii mei, quam habeo ad Faicum ita liberam et solutam absque ulla calumnia, quemadmodum possedi eam usque ad hanc diem, et omnia quæ ex ea procedunt, quæ meæ portionis sunt. Hanc autem donationem feci pro absolutione animæ meæ, et pro absolutione duorum meorum conjugum, Odonis et Guillelmi, et omnium parentum meorum, ut plasmator et recreator humani generis Deus animabus nostris concedere dignetur sempiternam requiem, et ut nomen meum et nomina seniorum meorum scribantur in martyrologium, et anniversaria nostra annuo recursu celebrentur a supradictis monachis jam dicti cœnobii. Huic autem pactioni annuerunt duo filii mei, Aucherius et Aimericus, tali convenientia ut eorum corpora a jam dictis monachis in proprio cimiterio tumulentur, absque ullo pretio, quod ab eis requiratur, nisi ex propria voluntate aliquid eis dare voluerint, et ut nomina eorum scribantur in martyrologium, ad recitandum omnibus annis. Testes autem hi sunt : Sarrazina, uxor majoris filii Aucherii ; Garinus, presbyter ; Bernardus.

Hæc autem terra quam Ermengarda dedit Sanctæ Mariæ fuerat ei a patre suo in matrimonium data, et erat ex

casamento Stephani Rufi de Castro Adraldo. Postquam autem monachi terram acceperunt, adierunt abbas Rainerius et monachi jam dictum Stephanum, rogantes ut illis terram annueret, qui libentissime hoc annuit; acceptis a monachis xv solidis tali convenientia ut ex illa terra jam nihil consuetudinis requirat, nisi tantum ab unoquoque rustico vi denarios, eo tenore ut ab omni pago Pictaviensi illos defendat; itemque filio ejus ii solidos qui sicut pater omnia hæc annuit.

Cart. orig., folio 82, recto; copie, p. 185.

LXIV.

Aimericus, dominus de Faya, concedit villicationem in alodo Gathnaici monachis Nuchariensibus.

(C. an. 1072.)

Quoniam generatio advenit et generatio præterit, et bene gestorum vix aliqua fides in hominibus invenitur, testimonio litterarum prænotamus quod Aimericus, dominus Fagiæ, qui ecclesiam Beatæ Mariæ Nuchariensis præ cæteris locis diligit religionis, et possessionibus et ædificiis amplificat, eidem ecclesiæ hoc donum, sicut subscriptum est, fecit in alodo Gathnaici, quod dedit nobis bonæ memoriæ Hubertus, primus constructor ecclesiæ Nuchariensis. Venerant homines de familia Sanctæ Radegundis, qui hospitati sunt ibi, a quibus villicus domini Fagiæ et clam et aperte villicationem (1) exigebat. Eapropter, Rainaldus Torquatini, ejusdem loci prior, ad Aimericum dominum Faiæ conquestum rogavit, ut in eleemosynam Sanctæ Mariæ, et monachis ejusdem eccle-

(1) Villicatio, præstatio quæ fit villicis a tenentibus.

siæ concederet, nullam villicationem ulterius a villicis suis in hominibus Gathnaici requiri. Cui rei libenter assensum præbuit, et firmavit et a se et a suis successoribus in perpetuum conservari. Hoc videns, Rainaldus Torquatini, ejusdem loci prior, pro largitione hujus eleemosynæ quam fecerat, dedit ei XL solidos, et filio ejus Aimerico totidem, et uxori ejus Eustachiæ X, qui libenter hoc concesserunt.

Hujus rei testes sunt : Briccius de Chillo; Araudus, canonicus; Fulco Velcerius; Stephanus Aseccati; Gauterius de Chergiaco; Andreas et Christoforus, fratres.

Cart. orig., folio 208, recto; copie, p. 187.

LXV.

Isembardus dat alodum de Carriciaco; Oda, illius relicta, concedit boscum pro animabus Stephani filii, Joannis generi et Stephani, consobrini, occisorum in bello. Romam profecturus Marricus de Silice dedit masuram terræ.

(C. AN. 1072.)

Notum sit omnibus quod Isembardus de Carriciaco, vi cogente infirmitatis, ad extrema deductus, convocatis filiis ac filiabus, ait illis : « O filii mei ac filiæ meæ, mei miseremini, quia, ut videtis, jam extremæ horæ sum proximus, et ideo vos rogo ut alodum meum de Carriciaco Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis annuatis pro mea redemptione. » Qui libenter hoc annuerunt, et ita dedit Sanctæ Mariæ de Nucariis alodum de Carriciaco, ubi est mansio unius hominis, annuentibus suis filiis ac filiabus. Propter hoc sepelierunt eum monachi in suo cimiterio honorifice, et in suo beneficio eum admiserunt.

Postea vero, oppugnante Guidone Nevernensi domum Effredi de Ambreria, occisus est Stephanus, filius supradicti Isembardi, et Johannes, qui habebat sororem ejus, et Stephanus, consobrinus ejus. Qui mortui, delati ad castrum Fagiæ, venit Araldus *Viva rabies*, qui habebat filiam ejus majorem, sororem Stephani, ad Alonem monachum, qui stabat ad Carriciacum, et duxit illum in Fagiam pro corporibus illorum. Erant autem nives magnæ, et non potuerunt deferre corpora ad Nucharios; sed tamen, ut monachi Nucharienses pro illis agerent beneficium similiter veluti si in eorum sepultura jacerent, dedit eis mater jam dicti Stephani, Oda nomine, annuentibus reliquis filiis ac filiabus, unum boscum qui erat ad Carriciacum; et hoc donum viderunt Guillelmus de Rajeia; Goslenus, vicarius; Adraldus; Aldebertus; Albuinus, vicarius, et Effredus.

Et postea mortua est Oda, uxor Isembardi, et ante mortem suam rogavit filios suos ac filias ut darent pro anima ejus quamdam terram ad Carriciacum, juxta illam terram quam maritus ejus dederat, ubi est mansio unius hominis. Qui libentissime hoc fecerunt, et propter sepulta est in cimiterio monachorum. Ex qua accepit III solidos Aimericus, filius ejus, loco emptionis atque annuentis, quod annuerunt frater ejus Ainardus et Hugo cum uxore sua Ainorde, et Ersendis et Ermensendis, sorores eorum. Hæc omnia quæ scripta sunt, et donum patris, et donum matris, annuerunt omnes isti, Aimericus, Ainardus, et sorores eorum, Adenordis, Ersendis. Ermensendis. Transacto aliquanto tempore, vulneratus est Aimericus ad mortem, et dedit Sanctæ Mariæ de Nuchariis partem terræ suæ quam habebat cum Hugone, juxta Rupem Isembardi, et terram, erat unde census trium denariorum Adraldi *Viva rabies*, juxta viri-

darium Isembardi, annuente Ainardo et Hugone, et cunctis sororibus ejus.

Testes sunt isti : Aimericus Aldebertus ; et Adraldus ; Aimericus Johannes ; Burcardus de Tuscia ; Bernardus Macta-bovem ; Goslenus, vicarius ; Odo de Tuschia ; Ricardus, monachus, qui benedixit eum ad monachum.

Adraldus *Viva rabies* dedit Sanctæ Mariæ de Nuchariis quamdam terram quæ est juxta viam quæ ducit ad ecclesiam Gatniaci, super domum Oggerii, et propter hoc dedit illi Alo, monachus, in caritate III solidos et III modios annonæ, et unam minam milii. Hoc autem annuerunt Guilla, uxor ejus, et filius ejus Bartholomæus, et filiæ ejus.

Tempore quo primum monachi Nucharienses in provincia Fagiæ cœperunt aliqua adquirere ad Carriciacum, erat in eadem provincia quidam vir nobilis, nomine Marricus de Silice, qui in eadem provincia multa possidebat. Multoties autem rogaverunt eum monachi ut illis aliqua ex sua possessione impertiret, et ille promisit se hoc quandoque facturum. Hac autem promissione multum expectata, cœpit jam dictus vir iter suum præparare quo Romam pergeret ; et venerunt ad eum monachi requirentes suam promissionem. Dedit autem eis unam masuram terræ sub Monte Morini, et alio loco unum campum subtus domum Salomonis de Gaitnaico, pro redemptione animæ suæ, et fecit hoc annuere Bosoni, filio suo, et filiabus suis, et propter hoc dederunt ei abbas et monachi beneficium ecclesiæ Sanctæ Mariæ.

Quidam enim vir, Goslenus nomine de Coldra, habitabat in provincia Fagiæ, qui ad paupertatem devolutus, petiit a Gosleno asinario ut illi præstaret aliqua de suis rebus. Qui præstitit ei usque ad pretium XL solidorum, et cum postea non haberet unde

redderet, dedit illi campum nomine Mulsatum, et terram quæ est super boscum Sanctæ Mariæ. Defuncto autem Gosleno de Coldra, post longum tempus calumniaverunt nepotes ejus illum campum, quem Goslenus dederat. Acceperunt autem monachi inde placitum ad ecclesiam Gatnaicam, et direxit Rainerius abbas Goslenum monachum, cum præposito illius obedientiæ, et fuerunt ibi parati, et non invenerunt cum quibus disceptarent. Testes autem sunt isti, qui hoc viderunt : Amalricus de Sancto Savino ; Goffredus Calcatus ; Christoforus, præpositus ; Hugo Aimericus, filius Stephani dapiferi senescalis; Odo, cubicularius, et omnes qui ad ecclesiam confluxerant.

Cart. orig., folio 210, verso ; copie, p. 189.

LXVI.

Ecclesia de Abilliaco.

(C. AN. 1074.)

Innotescat omnibus fidelibus quod Goffridus Fulchardus dedit Deo et Sanctæ Mariæ ecclesiam de Abilliaco, et decimam, et quicquid ad ecclesiam pertinebat. Annuit hoc Aimericus, frater ejus, vidente Gauterio, monacho, et Johanne Musca; Galterio Potone; Normanno de Sancto Florentio ; Petro, famulo.

Cart. orig., folio 106, verso ; copie, p. 193.

LXVII.

Acharias de Mirmanda.

(C. AN. 1074.) (1)

Acharias de Mirmanda habuit bellum cum proconsule Castri Adraldi, et cum Aimerico, domino Fagiæ, et cum Gaufrido Fodiale, domino Insulæ, et isti tres congregati adversus eum destruxerunt castrum ejus, et Rupem, et suam omnem terram ei abstulerunt. Ille autem Acharias, amissa terra, venit ad Noviastrum, et ibi mansit plurimis diebus pugnans adversus Insulam, et Fagiam, et Castrum Adraldi. Illo in tempore contigit ut Peloquinus, Borrelli filius, invaderet castrum Insulæ, et Acarias abiit ad eum, et fecit cum eo pacem, et mansit apud Insulam, et exinde cœpit pugnare adversus Castrum Adraldi, et adversus Noviastrum. Egressus autem quadam nocte ad prædandum, venit cum hominibus suis ad montes qui dicuntur de Grizaico, et ibi, in domo cujusdam rustici invenit congregatos aliquos, et cœpit eos expugnare, et illi deintus absconderunt se in rupem; et illi deforis incenderunt domum super eos et extinxerunt eos omnes in rupe. Ibi extincta est soror Galterii de Podiis montibus, cum filiis suis, et mater Bernardi, fratris Huberti de Podiis, et alii plures ibi mortui sunt, fœminæ et pueri. In illa nocte, isdem Acharias a nepote suo captus est et ad Noviastrum ductus, aliquamdiu mansit in custodia. Post hæc vero, animadvertens ob

(1) Graviter erravit D. Chalmel circa factum in hac carta relatum, quod tribuit anno 1149. *Hist. de Tour.* t. II. p. 17.

magnum peccatum quod fecerat hoc sibi evenisse, rogavit abbatem Rainerium et monachos Sanctæ Mariæ de Nuchariis ut orarent pro eo Dominum, solvens eis tres eorum piscatores quos habebat in vinculis.

Liberato autem Acharia a vinculis, rogavit jam dictum abbatem Rainerium et monachos ejus ut ab illis hominibus, quorum parentes extinxerat, pacem illi quærerent; quod abbas et monachi libenter fecerunt, et illos homines quorum parentes extinxerat apud Insulam duxerunt, et cum Acharia eos concordaverunt, tali convenientia ut ducentas missas pro eorum mortuis faceret cantare. Ille autem Acharias rogavit memoratum abbatem et monachos de Nuchariis ut illas ducentas missas cantarent, quod illi libenter fecerunt, et ille dedit eis medietatem porti quam dederat eis Stephanus senescalis de Fagia; et est ille portus supra Nucharios contra ecclesiam quæ dicitur Portus; ipsam medietatem porti quam ante calumniatus fuerat monachis, annuit Acharias Deo et Sanctæ Mariæ et ecclesiæ Nuchariensi, quatenus interventu sanctæ Dei Genitricis a peccato homicidii liberaretur. Hoc autem factum est apud Insulam, audiente abbate Rainerio et Lisiardo, monacho.

Testes, Guillelmus Tira-prædam; Bernardus de Fraxinis; Girardus, præpositus; Galterius de Podiis; Hubertus de Podiis et frater ejus.

Cart. orig., folio 190, recto; copie, p. 195.

LXVIII.

Compositio de ecclesia S. Ægidii inter abbatem Nucharien-sem et abbatem Majoris Monasterii.

(C. AN. 1075.)

Post ædificationem ecclesiæ Sancti Egidii, quam in claustro Insulensi legaliter et sine ullius contradictione feceramus, cum eamdem ecclesiam multo tempore quiete et canonice possidemus, tempore Reginerii abbatis nostri, Bartholomæus, abbas Majoris Monasterii terram in qua præfatam ecclesiam ædificaveramus, nobis calumniatus est. Tunc Reginerius, abbas, calumnianti satisfacere volens, in curiam ejusdem abbatis Bartholomæi, quæ est apud Taventum, se venturum esse pollicitus est, et calumniæ ejus secundum rationem justitiæ responsurum. Quod cum abbati Bartholomæo placuisset, constituto termino, ipse quidem huic placitationi interesse non potuit. Duos autem de monachis suis, Vivianum Brochardi et Archembaldum, filium Ulgerii, Taventum misit, qui, vice sui, de hac re disceptarent.

Abbas vero Reginerius, assumpto secum Lisiardo, monacho suo, et aliis amicis et hominibus suis, statuto loco et termino eis occurrit. In hac igitur placitatione, præsente Hugone Brochardo et Galterio filio Gischerii, et aliis quampluribus, ita omnis calumnia monachorum Majoris Monasterii convicta et propulsata est, ut ipsi sibi satisfactum esse testarentur, si tamen abbas Bartholomæus, cujus jussu venerant, idem concederet. Tunc abbas Reginerius, ne aliquis ultra nodus restaret, transactis paucis diebus, assumpto secum præfato Lisiardo,

monacho suo, ad Majus Monasterium profectus est, ut transactæ placitationis ordinem, et judicium abbati Bartholomæo referret. Abbas igitur Bartholomæus coram monachis suis Drogone bajulo (1), Gaufrido, præposito, Ebrardo de Pusacio, Viviano Brochardo, Argembaldo, filio Ulgerii, et aliis quampluribus, audito placitationis exitu, causæ et æquitati nostræ testimonium perhibuit; et ne quis ab illo die amplius nobis de hac re calumniam inferret edicto prohibuit, et signum amicitiæ abbati Reginerio casulam dedit.

Cart. orig., folio 24, verso; copie, p. 197.

LXIX.

Maingodus de pago Turonico dat census quos recipiebat a Lamberto de Haia.

(C. AN. 1075.)

Memoriæ posterorum tradere volumus quæ nostris gesta sunt temporibus, scilicet nos monachi Nucharienses, quia cum abbas Reginerius jam dicti cœnobii Nucchariensis, pergeret per Lemovicensium pagum, petendo auxilium ad jam dictum cœnobium restaurandum, venit ad Sanctum Valericum ubi invenit quemdam virum, Maingodum nomine, de Turonico pago, qui dedit illi et monachis supradicti cœnobii IIII denarios census, quos recipiebat unoquoque anno Gaufridus Pilitulus de pratis quæ tenebat idem Maingodus de Lamberto de Haia. Item habebat terram ad Quartas, ex qua exiebat illi

(1) Bajulus seu balivus in monasteriis sæpe dictus est is qui expensas curabat et victualibus comparandis erat præpositus.

unoquoque anno dimidius modius segle, quem recipiebat Benedictus Berierius, et ipsum dimidium modium similiter dedit monachis pro eo quod in eodem cœnobio nutritus fuerat, et ut beneficium omnium monachorum in eadem ecclesia Deo servientium tam corpori quam animæ illi sit proficuum.

Cart. orig., folio 18, verso; copie, p. 199.

LXX.

De terra quam dederat Oggisius Aldebertus, monachi Nucharienses concordant cum Herveo Boguerello et Helisabeth ejus uxore.

(C. AN. 1076.)

Tam futuris quam præsentibus notum fieri volumus quod Oggisius Aldebertus dedit Deo et Sanctæ Mariæ Nucharіensi et monachis ejus, terram quamdam, quæ est apud Boellum, inter stagnum et viam quæ ducit Nugastrum, pro eo quod monachi supradicti eum susceperunt, et monachum de eo fecerunt. Postea vero Herveus Boguerellus et uxor ejus Helisabeth, calumniati sunt supradictam terram, eo quod de fisco (1) eorum erat; sed monachi postea fecerunt concordiam cum eis, dando beneficium monasterii tempore domni Rainerii abbatis. Et duo monachi qui tunc in monasterio eleemosynarii erant, Lisiardus et Stephanus, dederunt prædictis Herveo et uxori ejus Helisabeth, filiisque suis, Archembaldo et Richardo, x et VIII denarios in caritate, pro terræ con-

(1) Fiscus, feudum, beneficium, quia in primæva feudorum institutione principes *terras fiscales* fidelibus suis concedebant in beneficium.

cessione; ita tamen prædictam terram concesserunt, ut ejusdem terræ fructus in expensis pauperum semper habeatur. Testes prædicti monachi et Engilgerius.

Cart. orig., folio 144, recto; copie, p. 201.

LXXI.

De Portu de Pilis et de bello quod actum est inter equites Castri Araldi et equites Turonorum.

(C. AN. 1076.)

Auctoritate patrum didicimus, memoriæ posterorum commendandum quæ nostris temporibus constant esse facta, ne a memoria futurorum labantur. Idcirco nos monachi Nucharienses cunctis fidelibus Ecclesiæ præsentibus et futuris innotescimus quod Hubertus Darsus, proximans suæ morti, monachus apud nos effectus, dedit nobis partem porti, quam habebat ad Pilas. Quam partem calumniata est nobis quædam domina Castri Araldi, filia Petri, filii Achardi, diuque in ipsa calumnia partem porti tenuimus, ab ipsa redimendo, interdum emendo, usque ad tempus, quo illam sortitus est uxorem Fulcherius patruus proconsulis Bosonis, qui eamdem partem porti abbati Rainerio et nobis calumniavit. Contigit autem eodem tempore bellum fieri inter equites Castri Araldi et equites Turonorum, in quo certamine vulneratus est ad mortem quidam miles Castri Adraldi, Ademarus nomine de Baldimento. Quem acri vulnere percussum, et nudatum auxilio amicorum in regione hostili, et captum manu inimicorum, nos adeuntes, perduximus eum ad nostrum cœnobium, fecimus eum

monachum, et ei prout potuimus succurrere studuimus. Qui moriens reliquit nobis unum equum, et centum solidos, quos illi debebat Fulcherius jam dictus, patruus proconsulis. Considerantes autem nos oportere aliquam emptionem nobis facere ex ipsis centum solidis, quæ esset apparens nostræ ecclesiæ, pro anima defuncti, orta collocutione inter domnum abbatem Rainerium et domnum Fulcherium de centum solidis, dedit nobis ipse et uxor ejus partem porti quam nobis calumniabat, pro redemptione animarum suarum et pro anima Petri filii Achardi, et domnus abbas Rainerius, annuentibus omnibus nobis, dedit illi sexaginta solidos, quos nobis debebat, et ejus uxori equum qui fuerat Ademari, aut viginti solidos de XL solidis qui remanserant.

† Signum Bosonis, vicecomitis.
† Signum Fulcherii.
† Signum Rainfredis, uxoris ejus.
† Signum Alæ, matris ejus.
† Signum filii ejus Stephani, abbatis Sancti Romani.
† Signum Galterii, tinniosi.
† Signum Goffredi Iterii.
† Signum Guillelmi, maxelli.
† Signum Ainordi de Zuions.
† Signum Guidonis, rubaterii.
† Signum Levini, butellerii.
† Signum Stephani Guarlupi.
† Signum Petri Gaufri.
† Signum Pascharii.
† Signum Viviani de Marinne.
† Signum Fulberti de Luiens.

Hæc Karta firmata est die festivitatis sancti Romani, regnante Philippo rege, et Guillelmo Pictaviensi comite, et Isemberto, episcopo.

† Signum Radulfi, canonici.
† Signum Gaufridi.
† Signum Oldeberti, fratris ejus, de Valleta.

Cart. orig, folio 176, recto; copie, p. 203.

LXXII.

Goscelinus de Sancta Maura dat monasterio Nuchariensi quidquid habet in ecclesia de Sepmis.

(C. AN. 1078.)

Vir nobilis de Sancta Maura, Goscelinus nomine, dedit Deo et Beatæ Mariæ, ac monachis Nuchariensibus, quicquid habebat in ecclesia de Sepmis, medietatem scilicet junioratus, et omnium oblationum, et sepulturam de suis hominibus, medietatem omnium ecclesiæ reddituum, exceptis consuetudinibus, relevationibus, baptismis, caritatibus, absolutionibus, quæ ad fedium sacerdotale pertinebant, et in solemnitatibus oblationem domini et uxoris, ac præpositi ipsorum.

Hujus autem donationis testes subscripti sunt: Goffredus Peloquini; Guillelmus de Bro; Guillelmus Malranni.

Cart. orig., folio 104, verso; copie, p. 205.

LXXIII.

Concordant monachi cum Effredo, cognomento Centum Solidi, et Belutha, uxore ejus, de rebus quas dederant Gaufridus Savaricus, et Savaricus, frater ejus.

(C. AN. 1079.)

Notum sit omnibus quod Effredus, cognomento *Centum Solidi*, habuit quamdam uxorem, filiam Hugonis Dindelli, quæ fuit filia filiæ Gaufredi Savarici, et pro ipsa calumniabatur monachis de Nuchariis omnia quæ dederat eis Gaufridus Savaricus, et frater ejus Savaricus. Postea vero monachi fecerunt concordiam cum eo et uxore ejus, annueruntque ipsi, Effredus et uxor ejus Belutha, omnia quæ dederat Gaufridus Savaricus et frater ejus Savaricus ecclesiæ Nuchariensi, id est molendinum de Sancto Egidio, quod est apud Insulæ castrum in Esmantia, et terram de Montiniaco, et alia omnia quæ dederant supradicti fratres annuerunt Effredus et uxor ejus Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis de Nuchariis. Annuit adhuc Effredus et uxor ejus v solidos census, quos dederat Odo, pater ejus, terram quam habebat de eo filius Alexandri de Coisme, et censum et dominium illius quartæ, omnia annuit monachis. Dedit autem adhuc Effredus supradictæ Nuchariensi ecclesiæ quicquid datum fuerit eidem ecclesiæ de casamentis suis, excepto quod caput casamenti non perdat. Hoc etiam annuit uxor ejus et filia, et alia omnia quæ supra scripta sunt. Quod si de supradicta terra placitaverint inter filios Alexandri, et filios Christiani Turbati, abbas de Nuchariis ad Sanctam Mauram faciet illis judicium in curia

sua, et per rectum æquabit utrosque ; et si in curia abbatis non potuerint æquari, ibunt postea in curia Effredi.

Testes Gaufridus Peloquini et frater ejus Roscellinus ; Guillelmus Malranni ; Engilgerius, vicarius ; Rainaldus, archipresbyter.

Cart. orig., folio 120, verso ; copie, p. 207.

LXXIV.

De molendino quod est sub turre apud Haiam.

(C. an. 1080.)

Noverit universitas fidelium quod Fulcherius Achardi, vir nobilis, cum apud Haiam vitam finisset, inter alia beneficia, quæ pro anima sua in eleemosynam disposuit, dedit ecclesiæ Nuchariensi v solidos, in censibus suis de Bretonnorio, in festivitate sancti Martini hiemalis, annuatim solvendos. Testes Matheus Pinuns, presbyter ; Andreas, capellanus Sancti Georgii ; Hubertus Ribotelli ; Archembaudus Guerrici ; Aamerus de Maullaio ; Simon, prior Buxeriarum, et alii plures.

Procedente vero tempore, Fulcherius, præfati Achardi filius, correptus ægritudine, cum ad extrema venisset, suamque disponeret eleemosynam, contulit ecclesiæ Nuchariensi unum sextarium frumenti ad mensuram Haiæ, in molendino suo, apud Haiam, quod est sub turre, omni anno ad festum sancti Michaelis sumendum. Testes Hugo, dominus Haiæ, qui interfuit sepulturæ ejus apud Nucharios, juxta patrem suum ; Bartholomæus, presbyter de Paiziaco ; Roscelinus de Dumere ; Goffredus Guerrici ; Hugo de Campo Bono ; Petrus Gaschot.

Cart. orig., folio 8, recto ; copie, p. 357.

LXXV.

Hubertus Petrosilus, vir nobilis de Monte Basonis, in gravi infirmitate constitutus, fit monachus Nuchariensis datque monasterio cuncta quæ habebat in loco qui dicitur Marthaicus.

(C. AN. 1080.)

Omnibus sanctæ Ecclesiæ fidelibus in Christo credentibus notum sit quod quidam vir nobilis de Monte Bazonis, Hubertus Petrosilus nomine, in infirmitate positus, abbatem Sanctæ Mariæ Nuchariensis ecclesiæ mandavit ad se venire. Eo autem in tempore præerat eidem ecclesiæ abbas Stephanus, qui eumdem Hubertum valde diligebat, venitque ad eum, et eum monachum fecit atque ad suum monasterium eum portare fecit, qui, sanitate recepta, multis post diebus in eodem Nuchariensi monasterio monachus vixit. Dedit autem isdem Hubertus Petrosilus Deo et Sanctæ Mariæ, et ecclesiæ Nuchariensi, ac monachis ibidem Deo et ejus sanctæ Matri servientibus, omnia quæ habebat in ecclesia quæ dicitur Marthaicus, de offerentiis ecclesiæ et de sepultura et de decima annonæ et vini, et terram cultam et incultam quam habebat in eadem parrochia omnem, et cuncta sua prata ad eamdem terram pertinentia, et colibertos ac colibertas in eadem terra manentes, omnia hæc Nuchariensi ecclesiæ tradidit possidenda. Annuit hæc uxor ejus Agnes, et filius ejus Hubertus Petrosilus, et filiæ ejus Sarmannia et Borilla. Testes ex hoc : Petrus, nepos ejusdem Huberti ; Herbertus de Corrum ; Rainaldus ; Rainerdus, senescal ; Gislebertus Barbavant ; Gislebertus de Candei.

Mortuo autem Huberto Petrosilo, monacho, venit filius ejus Hubertus Petrosilus juvenis in capitulo Nucharіense, et hæc omnia, ut supra scripta sunt, Nucharіensi ecclesiæ annuit. Insuper et omnia quæ dederant avunculi ejus, Oggerius et Nerbertus, Nucharіensi ecclesiæ, annuit isdem Hubertus Nucharіensi monasterio et monachis ejusdem loci.

Testes ex hoc : Simon *qui habebat ;* soror ejus ; Milio ; Rainaldus ; Vaslinus ; Stephanus Chillos.

Cart. orig., folio 54, verso ; copie, p. 123.

LXXVI.

Froinus et Achardus de Sivriaco restituunt pratum quoddam monachis Nucharіensibus.

(C. AN. 1080.)

Duo quidam fratres de Sivriaco, Froinus et Achardus, abstulerunt monachis Sanctæ Mariæ de Nucharіis pratum quoddam, quod est super rivulum qui dicitur Rodiola ; sed postea recognoscendo hoc male egisse se, annuerunt jam dicti monachis omne illud pratum absque calumnia, sicut antea habuerunt, et monachi eos in suum beneficium receperunt. Testes Rainaldus Frisluus ; Rainaldus longus ; Gaufridus Malagarda.

Cart. orig., folio 139, verso ; copie, p. 215.

LXXVII.

Controversia de terris et vineis super ripam Ismantiæ et Vigennæ.

(C. AN. 1080.)

Quidam vir de Insula, Gaufridus nomine, cognomine Pila-Vicinum, accepit beneficium suum in ecclesia Sanctæ Mariæ Nuchariensis, tempore Gaufredi abbatis, qui postea in infirmitate positus, eumdem abbatem ad se venire fecit, eique et ecclesiæ Nuchariensi, pro anima sua, dedit terras et vineas quas habebat super ripam Ismantiæ et Vigennæ. Qui, ingravescente eadem infirmitate, a jam dicto abbate et ejus monachis factus est monachus, et post mortem, in Nuchariensi cimeterio inter monachos ab eisdem ecclesiæ monachis honorifice tumulatus. De ipsis autem terris ac vineis reddebat censum supradictus Gaufridus Oggisio, filio Aldeberti, qui in eadem commendatione eleemosynæ Gaufridi cum aliis pluribus præsens adstans, ab abbate et aliis hæc audientibus rogatus, libentissime hæc annuit; et non solum hæc, sed et alia omnia quæ de ejus fedio ecclesiæ Nuchariensi collata fuerant, multis audientibus, libenter annuit, uxore ejus hæc audiente et annuente. Horum omnium testes fuerunt: Gaufridus Fodialis; Savaricus de Bosceia; et frater ejus Gaufridus; Gaufridus Berardus.

Post mortem autem Gaufredi, calumniatus est monachis omnia quæ eis Gaufridus dederat, Otbertus de Monticulo, atque judicio omnia adquirens, partem eis abstulit, partem reliquit. Sed postea cogitans non esse sui

commodi abstulisse mortuo suam eleemosynam, tempore abbatis Stephani omnia quæcumque retinuerat monachis ecclesiæ Nuchariensis annuit, accepta ab eis caritate, id est quatuor libras denariorum. Testes ex hoc : Goscelinus de Bosceia ; Rainaldus de Fagia ; Adelelmus Pugna vicarium ; Arnulfus Chillos ; et frater ejus Stephanus ; Rogerius Bigoth ; Fulco, homo Savarici.

Hoc autem calumniatus est Savaricus, filius supradicti Oggisii, abbati Stephano ac monachis, dicens patrem suum illa omnia quæ Gaufredus monachis dederat, et Otbertus annuerat, in dotalicium dedisse matri suæ, quæ hoc omnino se denegabat annuisse. Qua de causa abbas et monachi contra eum testes adhibentes coram domino Peloquino Insulæ, Gaufridus Berardus se dixit paratum ad probandum omni lege se vidisse et audisse Oggisium, patrem Savarici, hæc omnia annuisse, et quæ de fedio suo monachis data fuissent, vidente et audiente, nec contradicente uxore ejus, Rostha nomine. Ex hoc etiam testis fuit Gaufridus Savaricus, augens hoc in testimonium se vidisse et audisse Rostham, uxorem Oggisii, hæc quæ supra scripta sunt annuisse. Hæc in conspectu Peloquino sic affirmata sunt, astante eodem Peloquino.

Testes ex hoc Raimbaldus de Columbers ; Stephanus Chillos ; Thevinus de Nucariis ; Rainerdus.

Cart. orig., folio 112, recto ; copie, p. 217.

LXXVIII.

Willelmus, clericus, dedit collibertos et collibertas monasterio Nucharіensi.

(C. AN. 1080.)

Villelmus, clericus de Pictavis, nepos Oggisii, cantoris, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis ac monachis ejusdem loci, tempore Rainerii abbatis, colibertos et colibertas quos habebat apud Nucharios, scilicet Gaufridum de Curva-rota, et sororem ejus uxorem Aimerici Pastuns, et Giroardum piscatorem, cum uxore et filiis et filiabus, et filias Huelini presbyteri de Porto. Omnes hos dedit Deo et Sanctæ Mariæ, pro anima patris sui et matris, et ut nomen patris ejus Guillelmi in martyrologium scriberetur a monachis; et insuper in caritate accepit a monachis XL solidos. Testes Arnulfus Chillos; Aimericus Pastuns; Giroardus; Huelinus.

Postea, tempore domni Stephani abbatis, annuerunt hæc omnia Fulco, frater jam dicti Guillelmi, et Stephanus de Moncellis, qui istos omnes in fedium de Falcone requirebant, propter Dei amorem et suarum animarum remunerationem; et monachi dederunt eis in caritate XXX solidos.

Testes ex hoc: Stephanus Siccus; Tedevinus; Arnulfus Chillos; Stephanus, frater ejus; Aimericus Pastuns; Rainardus Curteis.

Cart. orig., folio 61, recto; copie, p. 219.

LXXIX.

De terra de Droe (Druye).

(C. AN. 1080.)

Ad notitiam futurorum atque præsentium litteris ascribimus quoniam Landricus quidam nomine tradidit et concessit quamdam terram suam monachis de Droe, quam ipsi, eo vivente, tenuerunt. Post vitæ vero suæ decessum, Goscelinus prædictam terram calumniatus, eam monachis auferre voluit. Denique Huberto monacho elaborante et concordiam de hac re faciente, terram illam Goscelinus concessit, et uxor ejus Audeardis. Concesserunt etiam hoc idem Engelbertus Belorda; et Frehetburgis, uxor ejus; et Arnaldus, filius ejus; et super altare Sancti Petri de Droe miserunt donum hujus rei, annuentibus etiam parentibus eorum.

Testes hujus rei fuerunt Doelinus et Tescelinus, filius ejus; Rainardus, carpentarius; Tescelinus de Barra. Iterum testes Paganus, presbyter; Tescelinus, præpositus; Garinus.

Cart. orig., folio 73, verso; copie, p. 221.

LXXX.

De terra quæ est apud Insulam, juxta domum leprosorum.

(C. AN. 1080.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quod Petrus Thomæ dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis terram quæ est juxta nostram terram, apud In-

sulam, prope domum leprosorum. Concessit etiam nobis terram quam dederat Rainaldus de Balneolis et Thomas, filius ejus, lineamque terræ, quæ est ante portam monachi de Dolsaico, quam servi Petri calumniabant. Hæc omnia annuit pro anima filii sui Guillelmi, nostri monachi. Hoc concesserunt Calva, mater mortui, Petrus, frater, Juliana, soror, et Helisabeth, uxor defuncti.

Testes sunt Goffredus Foillet; Paganus Derviavia; Huellinus de Bollento; Ursus de Bernezai; Araldus Podrats; Guibertus Chambitor; et Hugo, filius ejus; Bruno Guiberti; Paganus, clericus; Rainaldus Torcatim, monachus de Canda.

Hi sunt testes qui audierunt quando Niva, uxor Thomæ de Insula, annuit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, terram de Canda, pro anima sua et anima filii sui Ivonis : Huelinus, parvus, de Insula; Adraldus de Ponte; Vivianus, pontonarius; Arnulfus Chillos.

Cart. orig., folio 124, recto; copie, p. 223.

LXXXI.

Donum de Montillo, de Rupe Gaufredi et de quibusdam aliis.

(C. AN. 1080.)

Notum sit omnibus Ecclesiæ sanctæ fidelibus quod quidam vir de Nugastro, Gaufridus nomine, habuit terras trans flumen Vigennæ, in parrochia ecclesiæ quæ dicitur Marcilliacus, scilicet ad Montillum et ad Vinnaicum, et inter Ruelinam et Marciliacum, et in parrochia ecclesiæ quæ dicitur Rilliacus, terram quæ vocatur Rupis Gaufredi, et ad Vinnaicum, in parrochia ecclesiæ quæ

dicitur Parchaimo. Has omnes terras, cum pratis et aquis, et omnibus redditibus tenuit in vita sua quiete absque ulla calumnia, et post mortem ejus, filius ejus Gosbertus similiter easdem terras tenuit. Post mortem autem Gosberti, filius ejus Tethbaldus cunctas hic denominatas terras ex paterna hereditate possidens, accepit uxorem Ersendem Vicariam, ad quam nulla ex his terris pertinebat, de qua habuit filium, Tedevinum nomine, et filiam nomine Raath, uxorem Uberti Pugnavicarium. Quæ Raath, post mortem patris sui, et fratris Tedevini, cunctas prædictas terras cum jam dicto marito suo Huberto absque ulla calumnia tenuit. Habuit autem filium nomine Adelelmum, et alios duos, Ademarum et Odonem. Quorum Odo, in infirmitate positus, in monasterio Nuchariensi factus monachus, obiit, et Ademarus, gladio peremptus, in eodem Nuchariensi monasterio a monachis ejusdem ecclesiæ est sepultus. Frater vero eorum Adelelmus, solus relictus, ob hoc habens magnam familiaritatem cum monachis jam dictæ ecclesiæ, vivente adhuc matre, venit in eorum capitulum, et eadem matre sua annuente, dedit eidem ecclesiæ Nuchariensi de his terris, quæ supra scriptæ sunt, id est terram de Montillo, et prata, et aquam, et sclusam, et terram quæ dicitur Rupis Gaufredi, cum silva, et omnibus quæ ibi habebat. Has terras dedit primo pro patre suo et matre, et suis fratribus, augens eis adhuc olcam terræ, quam habebat inter crucem et vicum Nuchariensem.

Testes hujus rei: Adraldus de Mota; Oggerius, filius Ansterii; Rogerius Brunus; Ligerius; Arnulfus Chillos et frater ejus Stephanus; Radulfus, serviens; Goffredus Otbertus de Aurinniaco, et frater ejus Christianus.

Hæc omnia, sicut scripta sunt, annuit Hugo de Sancta Maura. Testes: Radulfus de Fontanellis; Achardus,

filius Achardi Mancelli ; Arnulfus Chillos, et nepos Stephanus.

Adelelmus dedit iterum jam dictæ ecclesiæ Nuchariensi omnem terram quam habebat inter Marsilliacum et Ruelinam, medietatem in vita sua, pro filio suo, quem dedit Nuchariensi ecclesiæ ad monachum faciendum, cum medietate decimæ ejusdem terræ, et aliam medieattem terræ post suum decessum, et alodum de Nugastro.

Testes : Hugo de Sancta Maura ; Achardus, filius Achardi Manselli ; Arnulfus Chillos, et nepos ejus Stephanus.

Hæc autem omnia calumniati sunt filii Ingelgerii, dicentes hæc sibi evenire post mortem Adelelmi. Sed monachi et Adelelmus, ob hoc congregantes optimos viros ad placitum, ipsis cum matre, per quam clamabant, adstantibus, præsto fuit Adelelmus probare omnibus legibus ipsos non de genere illorum esse, per quos hæc hereditas Adelelmo eveniebat. Pater enim Rahait, matris Adelelmi, Tetbaldus, cujus fuerunt hæc omnia, nihil pertinuit Huoni Normandel, neque Goffrido Normandel, neque Cadiloni Normandel, de quibus nata est Serra, mater filiorum Engelgerii. Quæ Serra non est ausa, neque filii ejus, de his rebus contra Adelelmum placitare. Hoc audierunt Radulfus de Fontanellis ; Gaufridus, filius Adelelmi ; Rotbertus Mansellus, nepos ejus ; Guillelmus de Albariis, Gaufridus de Malfemer, Arnulfus Chillos.

Cart. orig., folio 15, verso ; copie, p. 225.

LXXXII.

Ecclesia de Saviniaco.

(C. AN. 1081.)

Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium cœtibus congregatæ patefactus constat esse introitus baptismi ablutione, in quo versipellis hostis astutia noscitur esse terrificata, quod ita firmiter et æternaliter traditur, ut post primam dationem non queat iterari. Sed quia nemo mundus manet a sorde, nisi infans, cujus vita in spatio unius diei terminatur, nec valet quisquam primam munditiam absque peccati labe tenere, rursus cœlestis Regis clementia vitiorum contagione lapsis medicamentum aliud propinavit, ut eleemosynarum largitione baptismi transgressionem diluerentur, comparando sibi amicos de mammona iniquitatis; qui quodam loco pœnitentibus ait: *Abscondite eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orat pro vobis ad Dominum.* Qui et in judicium veniens, beatificabit illos qui suorum præceptorum memores, pauperibus spiritu prout potuerunt ministravere. Et beatus Tobias, filium instruens, ait: *Fiducia magna erit coram Deo eleemosyna omnibus qui faciunt eam.* Eleemosyna omnibus pauperibus data semper est proficua; est tamen Deo acceptior pauperibus spiritu data. Illi namque verbo Domini sunt beati pauperes spiritu, qui tamnentes terrena fastigia, mundi hujus petunt humilia, Ecclesiæ Christi vivunt in servitio, alieno semper parentes imperio, hereditatem Christi, id est sanctam Ecclesiam quasi cœleste regnum possident. Unde quidam retroactis temporibus peccatorum mundatione multati, ad fortissimum asylum Ecclesiæ Christi se contulerunt, pauperum Christi

se commendantes orationi, de suis hereditatibus Christum et Ecclesiam facientes heredem, suffragio orationum Deo famulantium, suorum omnium peccaminum veniam a Domino meruerunt.

Unde divino favore incitati, Rainaldus de Grandi Campo et nepotes ejus, Effredus et Aimericus, Jacobus et Goslenus, pro redemptione suorum patrum, et pro sua absolutione, et omnium suorum parentum, dederunt quamdam ecclesiam quæ dicitur Savinniacus, Sanctæ Mariæ Nucharіensi et abbati Rainerio et monachis in eadem ecclesia almæ Dei Genitrici famulantibus, sicut Constantius, pater Rainaldi et avus Effredi, fratrumque ejus, tenuerat illam liberam et quictam ab Aimerico domino Fagiæ. Hoc autem dederunt in eadem ecclesia Savinniaci omne quod ad ecclesiam pertinet, id est junioratum, et omne quod ad ecclesiam venerit, et sepulturam, et omnem decimam agnorum et porculorum totius parrochiæ, et unam partem decimæ annonæ, omne fedium quod habuerat Constantius de Grandi Campo in eadem ecclesia, ab Aimerico, domino Fagiæ, et quod Rainaldus et ejus nepotes nunc ab hoc Aimerico domino Fagiæ tenebant.

Et ut hæc datio firma consisteret, ipse domnus Aimericus, dominus Fagiæ, ex cujus beneficio erat, coram omni frequentia sua hoc annuit pro redemptione suorum omnium parentum, quatenus, almæ Dei Genitricis interventu, peccatorum suorum accipiant levamen. Ipseque domnus Aimericus manu propria signum crucis imprimens, hoc testamentum firmum reliquit. Ipsi etiam primi datores, Rainaldus et ejus nepotes, manibus propriis signantes, hoc firmaverunt, tali convenientia, ut si monachi esse voluerint Rainaldus et filius ejus, et qui habuerit filiam ejus, et ejus quatuor nepotes, absque

ulla requisitione pretii a monachis jam dicti cœnobii suscipiantur.

Testes sunt ii : Johannes de Volort; Effredus, filius Stephani; Aimericus, clericus; Guillelmus, filius Hugonis de Sancta Maura; Eleazar; Savaricus; Goffridus Savarici; Acarias; Aimericus, filius Stephani; Buchardus de Stucia; Hugo Crassa-Levra; Bernardus Mactabovem; Odo, vicarius; Giraldus de Claustro; Hugo Dindels; Guillelmus Rufus; Adraldus; Aldebertus; Odo Nutritor; Urias; Hugo Bastart; Albuinus, vicarius; Gaufridus, presbyter.

De his omnibus quæ supra scripta sunt, retinuit sibi in vita sua tantum Aimericus, clericus, duas partes, ut eas in fevum de abbate ac monachis haberet; et hoc ipse solus in vita sua. Postea vero dimisit eis omnem decimam annonæ Bufet, et de aliis omnibus locis unde habebat decimam; et monachi dimiserunt ei tertiam partem sepulturæ quam habebant in vita sua, sicut alias res. Quando autem hoc fecit, dedit eis omnia sua empta quæ emerat, sive in domibus, sive in aliis ædificiis, quæcumque habebat, die qua eis decimam dimisit, et abbas Stephanus dedit ei unum pullum.

Testes Goslenus, frater ejus, qui hæc et alia omnia sicut scripta sunt, annuit; Arnulfus Chillols; Stephanus, nepos ejus; Humbertus, tunc cæcus; Rainaldus, frater Duranni.

Hæc eadem omnia, coram his omnibus, annuit Jacobus, frater eorum. Aimericus autem quamdiu Nuchariis in clericali habitu manere voluerit, habebit panem et vinum et pisces, sicut unus monachus.

Cart. orig., folio 84, recto; copie, p. 227.

LXXXIII.

Terra de Monte-Ilio seu Montillo et de Rupe Raimberti in parochia Rilliacensis ecclesiæ (1).

(C. AN. 1081.)

Quidam vir de Nuchastro, Gualfrizius, emit quamdam terram trans fluvium Vigennæ, ad Montem-Ilium, quam in vita sua quietam tenuit ; et post ejus decessum eamdem terram tenuit filius Gosbertus ; et post Gosbertum, filius ejus Theobaudus eamdem terram tenuit, et post Theobaldum filia ipsius, Raab nomine, uxor Huberti Pugna-Vicarium, eamdem terram cum suo marito tenuit; et post eam filius ejus Adelelmus Pugna-Vicarium supra memoratam tenuit terram. Adelelmus Pugna-Vicarium autem, adhuc vivente matre sua, venit in capitulum monachorum Sanctæ Mariæ Nuchariensis cum matre sua, et accepit eorum beneficium, deditque eis omnem terram supradictam, et prata, tali convenientia, ut in vita sua medietatem ejusdem terræ haberent monachi, et post decessum Adelelmi omnis terra illa remaneat monachis. Et hoc annuit mater ejus. Habebat autem in parrochia Rilliacis ecclesiæ quamdam terram, quæ dicitur Rupis Raimberti ; et ipsam similiter dedit Adelelmus Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis de Nuchariis, post decessum suæ matris, annuente eadem matre sua. Hæc omnia dedit Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi in die Circoncisionis Domini, vidente abbate Stephano, et cuncta ejusdem loci congregatione.

Testes hujus rei : Adraldus ; Ogerius, filius Aldebur-

(1) Donum hoc jam supra memoratur carta LXXXI.

gis; Rogerius Brunus; Ligerius; Arnulfus Chillos, et frater ejus Stephanus; Constantinus, vicarius; Radulfus Goffredus; Otbertus de Aurigniaco, et frater ejus Christianus.

Cart. orig., fol. 150, verso; copie, p. 273.

LXXXIV.

Suffisa, cognomento Rainfredis, confirmat donationem prædiorum inter fluvium Vigennæ et Crosæ.

(C. AN. 1081.)

Tam futuris quam præsentibus notum fieri volumus quod Rogerius de Nugastro, et frater ejus Achardus, dederunt Sanctæ Mariæ Nuchariensi et monachis ibidem Deo et Beatæ Mariæ famulantibus, omnia prædia quæ habebant inter fluvium Vigennæ et Crosæ. Quæ postea Petrus, cognomento Achardus, monachis calumniavit, quia cum eisdem fratribus discordiam habuit, suoque dominio mancipavit. Sed post mortem ipsius Petri, filia Suffisa, cognomento Rainfredis, ipsam terram domno abbati Stephano suisque monachis, pro anima ejusdem patris sui, reddidit, et ab eis x solidos unamque minam fabarum in caritate accepit.

Hujus rei testes fuerunt ii: Bartholomæus, præpositus; Petrus, cognomento Gaufrus; Ademarus Loripes; Arnulfus Chillo; Gaufridus Iterius; Radulfus Alcaretha; Landricus, serviens; Aldebertus, clericus Salbarræ.

† Signum Rainfredis.
† Signum Gaufridi.
† Signum Alæ.

Cart. orig., folio 177, recto; copie, p. 231.

LXXXV.

Terra de cultura Palestrelli.

(C. AN. 1081.)

Sit omnibus tam præsentibus quam futuris cognitum quod quidam vir Ingelgerius nomine, apud Nucharias habitans, in infirmitate positus, antequam eadem infirmitate vitam finiret, domnum abbatem Stephanum ejusdem loci Nuchariensis ad se venire fecit, et ab eo humillime consolationem animæ et corporis expetiit, et quod devote expetiit, benigne ab eo recepit. Dedit autem eidem ecclesiæ Nuchariensi, cum consensu uxoris snæ, Serræ nomine, et filiorum suorum, terram quamdam, cum prato, quæ terra dicebatur Cultura Palestelli (1), et est inter maximam viam quæ de Nugastro tendit ad Portum Pilarum, et viam quæ de Nuchariis ducit ad fontem, qui dicitur Fons Poillosa. Mortuo autem illo, et ob hoc a monachis sepulto, uxor et filii ejus, transacto luctu, denegaverunt se monachis annuisse jam dictam terram, quam prius in eleemosyna patris annuerant. Accidit autem in eodem anno, dum eadem mulier prægnans ad castrum Nugastrum pergeret requirere oves quorumdam suorum rusticanorum, tempore nivis, corruit in terram, et facto abortivo, nimio mortis metu exterrita, rogavit supra memoratum abbatem Stephanum ad se venire, et, cunctis filiis ejus adstantibus et annuentibus, supradictam terram, videlicet terram Palestelli, ut descriptum est, ecclesiæ Nuchariensi et monachis

(1) *La treille au peltier* (D. FONTENEAU.)

ejusdem loci iterum annuit, et pratum quod in ea erat, quod nos Beram appellamus. Annuerunt autem hoc sex filii ejus : Paganus, Guillelmus, Rainaldus, Benedictus, Urias et Galterius.

Testes Huo, presbyter; Adelelmus Pugna-Vicarium ; Arnulfus Chillos; Stephanus, frater ejus ; Gaufridus de Malo Fremero ; Hubelinus, mercerius ; Humbaldus juvenis.

Cart. orig., folio 14, recto; copie, p. 233.

LXXXVI.

Commutatio alicujus olcæ terræ pro octo libris inter Sulionem Aridum mare et monachos Nucharienses, de consensu Telezinæ, uxoris ejusdem Sulionis.

(C. AN. 1081.)

Notum sit omnibus quod monachi Nucharienses habebant unam olcam terræ ante rupem Sulionis *Aridum mare*, quæ fuerat de alodis Herberti Darsi, quam quæsivit Sulio a monachis, ut eam sibi venderent au tcambirent. Ipse enim Sulio habebat terram juxta vineas monachorum , apud Nucharios , et erat de feodo Gidonis, filii Sulionis. Pro hac re, simul convenientes monachi et Sulio, tempore abbatis Stephani, dederunt Sulioni prænominatam olcam, et Sulio dedit eis medietatem illius terræ, quam habebat juxta vineas eorum , illam partem quæ erat juxta viam, quæ ducit ad Nugastrum, ubi erat quoddam pratulum. Hanc commutationem concessit Gido de Rupibus, de cujus feodo erat terra illa, et pro hac concessione donaverunt ei monachi octo libras, quas eis

debuerat pro Meginardo de Rupibus, quem sepelierunt monachi in viridario suo.

Testes horum omnium fuerunt Arnulfus Chillos, et Aimericus, filius ejus ; Stephanus Chillo, et Stephanus, filius ejus ; Rodulfus, serviens ; Garinus de Dire; Goffredus de Marsilliaco; Odo de Albiniaco; Odo Guttuns; Durandus de Rupibus.

Hoc etiam concessit uxor Sulionis, Tezelina, audiente Hugone de Sancta Maura, et filio ejus Goscelino ; Gaufrido Peloquino ; Rainaldo et Guicherio, presbyteris ; Arnulfo Rugibec ; Stephano, vicario ; Benedicto de Duum.

Cart. orig., folio 13, verso ; copie, p. 235.

LXXXVII.

Adraldus de Nucastro dat totam suam terram de Nuchariis.

(C. AN. 1086.)

Notum sit omnibus quod Araldus, Galterii filius, de Nugastro, dum in infirmitate, qua postea mortuus est, detineretur, monachos de Nuchariis fecit ad se venire, et condonavit eis totam terram suam, post mortem suam, et filiorum suorum, et uxoris suæ. Et si filii sui ante uxorem suam morerentur, ipsa uxor, quamdiu viveret, dotem tantummodo obtineret. Et post obitum suum, monachi cum alia terra totum haberent, excepta quadam parte inter Nugastrum et Canavellas, quam partem dedit fratribus suis nothis, id est bastardis, si se liberos de Sancto Mauricio possent vendicare ; si autem non possent, monachi totum haberent.

Testes Rotbertus, presbyter; Galterius Marsini ; Adelelmus Pugna-Viger ; Daniel ; Galterius Airchon ; Rainaldus de Nuient.

Cart. orig., folio 19, verso ; copie, p. 355.

LXXXVIII.

De terra de Magné, *quam dedit Rainaldus Daona.*

(C. AN. 1081.)

In posterorum successione, jurgia et lites quandoque oriri videmus de factorum præcedentium oblivione, dum ex præsentium negligentia, nulla rerum factarum sequentibus traditur memoria. Quapropter ego Rainaldus Daona, successoribus nostris, per litteras intimare volui quia ego emptionem, quam feceram de terra de Magné (1), post vitæ meæ decessum, totam terram cum nemore monachis Sanctæ Mariæ concessi Nucharіensi. Interim autem medietatem terræ illius in vita mea illis concedo; sed quia sine herede manere decreveram, quem postea ex conjuge quam accepi, habui, iterum ei, videlicet Philippo, filio meo, concesserunt monachi illam medietatem, quam habebam, in vita sua. Post mortem autem illius, monachis erunt omnia.

Testes fuerunt Fulcodius; Johannes de Dossiaco; Gauterius Primeta; Garnerius; Boerius; Morellus Chalvinus; Guillelmus de Fonte; Balduinus; Aimericus; Arnaldus, clericus, filius Marini.

Cart. orig., folio 73, verso; copie, p. 239.

(1) *Magné* seu *Menne*, in parochia quæ dicitur *Druye*.

LXXXVIII *bis*.

Girardus Deo gratias *mutuavit cum monachis terram et partem de portu de Pilis.*

(C. AN. 1081.)

Girardus *Deo gratias* de Faya habebat terram ad Pilas, et partem quamdam in portu de Pilis, et terram quamdam ad Aurinniacum quæ reddebat VII denarios census, et alias consuetudines, et hæc omnia mutuavit cum monachis de Nuchariis pro vineis quas habebant prope castrum Fagiæ, ut ipse Girardus haberet vineas, et monachi haberent suam partem de portu, et terram ejus de Pilis, et terram ejus de Aurinniaco, et omnes consuetudines ejusdem terræ. Testes omnis congregatio.

Qua de re dederunt ei monachi XXX et III solidos in caritate. Testes hujus rei sunt isti: Hugo de Sancta Maura; Hervisus Chevruns; Huo, presbyter de Cella; Galterius Diabolus; Hugo de Nucheriis; Heffredus Ricardi; Gosbertus de Ligueil; Stephanus Chillos, et filius ejus Stephanus; Andreas de Moncels; Gerardus de Monte acuto; Raginaldus Curialis.

Hæc omnia annuit Zacharias de Mirmandia, ex cujus beneficio eadem terra erat, et monachi dederunt ei LX solidos. Testes, Girardus, præpositus; Giroardus de Marinniaco; Johannes, frater Puelli; Arnulfus Chillos, et frater ejus Stephanus.

Annuit autem hoc Stephanus, cognomento Grenolla, qui de Zacharia hoc in fedio habebat, et monachi ei dederunt XX solidos in caritate. Testes proconsul Boso, et uxor ejus; Galterius de Vallibus; Ademarus de Curzai; Araudus *Guasta Landa*; Raginaldus, monachus, cogno-

mento Gallus, et famuli ejus; Giraudus, mediator; Constantinus; Benedictus de Moncelt; et Gauterius Armenaldi.

Cart. orig., folio 178, verso; copie, p. 241.

LXXXIX.

Terra de Avaleria.

(C. AN. 1081.)

Notum sit omnibus quod Rainaldus, monachus, dum esset ad Drui in obedientia, emit quamdam terram, campum scilicet de Avaleria a Guiburgi, sorore Raimbaudi de Columbariis et a filiis ejus, Gauterio, Arduino et Chagnardo, et Guichardo, et dedit eis ut in perpetuum habeant eam. Monachi Sanctæ Mariæ Nucharii quinquaginta solidos dederunt eis.

Hoc autem concessit Raimbaudus, frater ipsius Guitburgis, de cujus chassamento (1) erat ipsa terra, et dederat eam sorori suæ Guitburgi in mariagio. Testes Belutia, uxor Pagani; Araudus, miles Pagani; Gandelbertus de Drui; Durandus de Drui.

Mortuo autem Raimbaldo, calumniatus est hoc Jaquelinus, filius ejus, sed facta concordia cum Drogone, monacho, concessit hoc totum, insuper et quamdam vineam et quamdam terram, quæ vocatur terra de Avaleria, et quicquid habebamus de omnibus parentibus suis, acceptis quindecim solidis in caritate.

Testes Paganus, canonicus de Sancto Cosma, cognomento Boguerels; Burchardus de Sazillé; Bernardus de

(1) Casamentum, feudum quod a casa dominica dependet.

Azaico, cognomento *Gaulois*; Paganus de Cainone castro; Paganus, presbyter de Drivo; Araldus Bessum. Hoc etiam donum supradictum concessit Amelina, mater ipsius Jaquelini. Testes inde suprascripti.

Cart. orig., folio 72, verso, et 75, recto; copie, pp. 243 et 753.

LXXXIX *bis*.

Goffridus Garnigo annuit decimam quam dederat Raimbaudus de Columbariis.

(C. AN. 1081.)

Decimam quam Raimbaudus de Columbariis monachis Nuchariensibus dederat, calumniatus est Goffridus Garnigo, dicens esse rectum uxoris suæ. Postea vero concesserunt Goffridus et uxor ejus Helisabeth, et duo filii eorum, Hugo et Petrus, et filiæ, Amelina et Maria. Testes Moyses, monachus; Cristoforus Barre; Rainaldus Chingneth; Guiton; Messarius.

Cart. orig., folio 73, recto; copie, p. 755.

XC.

De terra apud Pilas super Crosam, ex ea parte quo ecclesia Cellæ sita est.

(C. AN. 1081.)

Hubertus Petrosilus habebat terram apud Pilas, super Crosam ex ea parte quo ecclesia Cellæ sita est, quam totam dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, abbati Stephano, et monachis ejusdem loci, post mortem Nivæ,

uxoris Rogerii Bigot, quæ eam habebat in vita suâ. Nam Rogerius dederat eamdem terram supradictæ Nivæ in dotalitium. Annuit autem hoc Agnes, uxor supradicti Huberti, et filius ejus Milo de Cancellis; Arnulfus Chillos.

Cart. orig., folio 176, verso; copie, p. 345.

XCI.

Decimam apud Cellam Garnaldus, miles, moriens restituit monachis Nuchariensibus.

(C. AN. 1081.)

Notum sit quibusque fidelibus quod miles quidam, nomine Hugo Garnaldus, decimam quamdam apud Cellam, quæ nostri juris fuerat, injuste nobis ablatam, moriens nobis dimisit, concedente uxore ejus Agnete.

Testes ii affuerunt: Archembaldus, presbyter; Campilius; Isembardus; Constantinus Olearius; Tethbaldus Renforcez; Achardus Fascina Vetulam; Vaslinus de Vallibus.

Cart. orig., folio 32, verso; copie, p. 247.

XCII.

Sulio, cognomento Aridum mare, *dat particulam terræ apud Nucharios.*

(C. AN. 1081.)

Quoniam omnium quæ in tempore sunt, labilis et caduca est memoria, nisi secundum morem antiquorum cartis commendetur, hac de causa, ego Sulio, cogno-

mento *Aridum mare*, et scribi et agnosci ab omnibus fidelibus volo quod unam particulam terræ, quam habebam apud Nucharios in capite culturæ monachorum, quam excolebat uxor Gosberti Fronteii, quæque est juxta viam quæ ducit ad campum Landrici, dederim monachis Nuchariensibus, et insuper sexaginta solidos pro equo quodam, qui fuerat Radulfi Herculis; quod ideo annotari volui, ne posteri mei eis eamdem terram calumnientur.

Testes hujus rei fuerunt: Arnulfus Chillo; et Stephanus frater ejus; Garinus de Aziaco; Nathal, sartor; Gaufridus de Marcilliaco.

Hoc autem concessit uxor mea Tezelina, audientibus et testantibus his: Hugone de Sancta Maura, et filio ejus Gauzelino; Reginardo et Guicherio, presbyteris; Arnulfo Rugebec; Stephano, vicario; Guillelmo de Albers. Nec solum hoc, sed et omnia quæcumque dedi præfatis monachis concessit uxor mea coram præscriptis testibus.

Cart. orig., folio 13, verso; copie, p. 249.

XCIII.

De consuetudinibus et quibusdam aliis juribus in ecclesia Sancti Patricii.

(C. an. 1082.)

Notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus, quod Matheus, filius Gisleberti Rufi, dimisit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis calumniam quam immiserat in ecclesia et cimiterio Sancti Patricii, annuitque jam dictæ ecclesiæ Nuchariensi ac monachis ejusdem loci omnem

dominatum ecclesiæ Sancti Patricii, et omnes ecclesiasticos ritus ipsius ecclesiæ, et omne cimiterium integre, et omnes consuetudines omnium manentium in cimiterio, et vicariam, et census, et vendas (1), et levagia (2), et omnes alias consuetudines, ita ut omnes qui in cimiterio habitaverint, nulli alii has consuetudines nisi monachis (persolvant). Annuit autem jam dictis monachis Matheus omnes haias et sepillos qui claudunt cimiterium, et terras monachorum, excepto sepillo vineæ Vasleth, et vineam Mainardi de Linguaco. Annuit eis et silvam, et hortum, et salices, quoquo modo ea monachi, vel dono, vel emptione, de Mainardo habere potuerint. Dedit autem eis adhuc Matheus duas domos, quæ erant extra cimiterium, ut habeant monachi de omnibus illis omnem dominationem, et vicariam, et omnes alias consuetudines, sicuti habebunt de illis domibus quæ erant in cimiterio: hæc sunt domus Fabri et domus Opilionis. Monachi autem annuerunt Matheo, ut si monachus esse voluerit, propter hoc eum suscipiant, et si de filio suo monachum facere voluerit, propter hoc eum recipiant. Quod si longe obierit, et monachi nuntium habuerint, quantum uno die equitare poterunt, exinde eum afferant, et in suo cimiterio sepeliant.

Testes ex hoc Engerrannus de Sancto Patricio, qui eo die et in eodem capitulo annuit Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi omnia quæ habebat, et quæ clamabat in omni cimiterio Sancti Patricii; Arnulfus Chillos; Radulfus, serviens; Mainardus, serviens; Odo Guittuns.

Annuit hoc autem Bartholomæus, dominus Insulæ,

(1) Venda, venditio, quod præstatur domino feudali pro distractionis seu venditionis prædii facultate.

(2) Levata, levagia, exta, viscera et quævis animalium intestina, ut cor, jecur, et alia hujusmodi.

et Girberga, uxor ejus. Testes Matheus et Philippus, frater ejus ; Gaufridus Savarici ; Gaufridus, filius Adelelmi.

Annuit et hoc Rotbertus de Blo et uxor ejus Arsendis, et filius ejus Peloquinus. Testes : In-Gaudiis, canonicus ; Gaufridus Gisleberti ; Alo Gisbardi ; Effredus Picherius ; Normannus de Sinnei.

Hæc omnia annuit uxor Mathei et filius ejus apud Insulam, ad Sanctum Egidium. Testes : Philippus, frater Mathei ; Gaufridus Folium ; Ansterius de Mota ; Garinus de Airio. Pro his omnibus dederunt monachi Matheo IIII libras denariorum, et uxori ejus XX solidos ; Engelranno autem pro suo dono dederunt monachi unum sextarium frumenti, pretio X solidorum.

Annuit hoc uxor Engelranni, Milesendis, et IIII filii ejus : Papa-Vitulum (1) ; et Riconnaus ; et Paganus ; et Stephanus. Testes : Gaufridus de Semblethai ; Giraudus, presbyter ; Ulricus, carpentarius ; Frogerius, carpentarius ; Adelardus, carpentarius.

Cart. orig., folio 71, verso ; copie, p. 253.

XCIV.

De consuetudinibus vici Sancti Patricii, quas dedit Mathæus, filius Gisleberti Rufi.

(C. AN. 1082.)

Matheus, filius Gisleberti Rufi, dedit Sanctæ Mariæ de Nuchariis omnes consuetudines vici Sancti Patricii, sicut alibi scriptum est. De ipsis autem consuetudinibus annuerunt monachi Landrico servienti medietatem vendæ panis, et medietatem levagiorum vini, et medietatem

(1) Illud nomen legi vix potest.

lumborum (1) et maxillarum, et medietatem quadrorum (2) arietum, in festivitate sancti Johannis, et medietatem pecorum, vaccarum et boum, et levagium propriæ domus, et omnes consuetudines propriæ domus, excepto censu et venda si vendita fuerit. Hæc omnia, sicut divisa sunt, habebit Landricus de monachis in fedium, et pro his serviet eis, et post mortem ejus hæc omnia in dominium monachorum venient. Monachi autem de suis propriis cellariis habebunt levagia integra.

Testes Rotbertus de Lavardin; Engelrannus; Matheus; Giraldus, presbyter.

Cart. orig., folio 99, recto; copie, p. 251.

XCV.

Philippus dat ecclesiæ Nuchariensi tantum terræ quantum duo boves possent excolere, apud Sanctum Patricium.

(C. AN. 1082.)

Philippus, filius Gisleberti Rufi, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis ac monachis ejusdem ecclesiæ, tempore abbatis Stephani, tantum terræ apud Sanctum Patricium, quantum possent duo boves duobus saisonibus excolere, pro anima patris sui et matris suæ, suaque et omnium suorum parentum; et abbas et monachi dederunt beneficium suæ ecclesiæ.

Testes ex hoc Robertus Planus; Galterius Escot; Aimericus de Gentiliaco; Adelelmus Pugna-Vicarium; Arnulfus Chillos; Landricus de Sancto Patricio; Gaufridus Esperums; Goscelinus de Bosceia.

(1) Lumbi, pernæ porcorum.
(2) Gallice, *quartier*.

Annuit hoc Aimericus Machael apud Cainonem, audiente Rotberto de Blo; et Garnerio Maingot; et Roberto Plano; et Gaufrido de Sembliaco; et Roberto Bodardi; et Rainaldo de Foria.

Annuit hoc et Matheus, frater Philippi, audiente Roberto Plano; Galterio Escot; Adelelmo Pugna-Vicarium; Arnulfo Chillos.

Cart. orig., folio 70, verso; copie, p. 255.

XCVI.

De molendinis et pratis ad Thueth, prope Campoventum.

(C. AN. 1082.)

Monachi Sanctæ Mariæ Nuchariensis ecclesiæ, qui habitant ad Canventum (1) habent molendinum de Guarnaico, a Rainaldo Guernone et a fratribus suis, ad totum tempus, ad moditionem (2) sex sextariorum annonæ, qualiscumque fuerit in multura; sed et horum sex sextariorum non reddunt monachi tres minas, quia Alcherius de Rajacia, et uxor sua Sarrazina, qui habebant has tres minas, dederunt eas Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensis ecclesiæ et monachis.

Testes: Huelinus Bogro; Radulfus Falchet; Fulco Bernardi; Alcherius de la Rajacia; et uxor ejus Sarrazina.

Insuper isdem Rainaldus Guernon, et fratres sui, dederunt monachis, pro anima patris eorum, piscaturam ipsius molendini de Guarnaico. Salices et medietatem prati ante molendinum Aucherii de Rajacia, apud Canventum, emit Odo, monachus, xx solidos ab Erfredo Cai-

(1) Gallice, *Champvent*, prope *Richelieu*.
(2) Moditio, modiatio, pensitatio frumentaria pro quolibet modio annonæ.

nardo. Hoc concessit uxor illius, et filii sui, et H. Goscelinus, de cujus feodo erat. Paganus de Valle dedit Deo et Sanctæ Mariæ Nucharii et monachis, et molendinum de Tueth, et omnia prata quæ ibi habebat. Omnia hæc, molendinum scilicet et prata, sunt in alodo. Hæc concesserunt Normannus, et Hugo, frater ejus, et mater eorum; Radulfus, patriaster eorum.

Hujus rei testes: Stephanus et Fulcherius de Maximiaco; Ainardus de Luens; et Maltalenz, cliens (1) Pagani ipsius.

Iterum Normannus de Valle dedit Deo et Sanctæ Mariæ Nucharii Varennas, terram scilicet quam habebat ante molendinum de Tueth; quare dedit ei Odo, monachus, v solidos in caritate. Hinc testis est Radulfus de Galart.

Rursum Radulfus de Galart dedit Deo et Sanctæ Mariæ arpentum unum prati, quod dederat ei Normannus, filiaster suus, quod pratum est ad Chiviriacum; et ipse Normannus concessit ut daretur monachis. Hoc utrumque et donum et concessionem Fulcherius Robelini audivit, Bonellusque cliens ipsius Normanni. Ipse supradictus Normannus moriens dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis varenas et prata, quæ habebat ante molendinum Tueth, et terram quam habebat ad fontem ripæ; quæ omnia etiam et molendinum Thueth, Hugo frater ejus annuit, retentis pratis de Chiviriaco in vita sua tantum, et post mortem ejus habebunt ea monachi. Testes de hoc Aimericus, dominus Phagiæ (2), et Aimericus, filius ejus; Brictius de Chillo; Alo Palpitrat; Stephanus Vecheria; Bernardus, famulus; Mauricius de Situla; Aligans.

(1) Cliens, armiger, gallice, *écuyer*.
(2) *Alias* Fagiæ (Faie).

Item Odo, monachus Sanctæ Mariæ Nucharii, emit a Richarda, et a viro suo, prata quæ sunt a molendino de Tueth usque ad vadum de Chisirio; pro quibus pratis dedit eis ipse Odo, monachus, xxv solidos; insuper et pratum super vadum de Manson, quod dederat monachis Aimericus de Aveir.

Hujus rei sunt testes Vivianus de Marigniaco, de ultra Vigennam; Goffridus Hiterii; David Belan; Gerardus de Verno; Fulbertus de Fagia. Adelardus de Braia et fratres sui dederunt monachis Nucharii terram quæ est post domum monachorum de Campovento, id est retro juxta terram eorum, pro anima matris suæ, et soror eorum concessit. Testes ex hoc Paganus Artaldus; Hugo de Montanai; Umbaudus Butet.

Petrus Goscelini calumniatus est monachis de Nuchariis emptionem quam fecerat Odo monachus a Richarda, matre uxoris suæ; sed postea, facta concordia, annuit ipse et ipsa uxor ejus Margarita, omnia, id est, prata quæ sunt ad Tueth, ad censum solvendum octo denariorum. Testes Aimericus, filius Aimerici Phagiæ; Araldus, filius Linæ; Brictius de Chillo; Odo Lepus; Aimericus de Esculio; Arnulfus, presbyter; Johannes Giroardi; Bernardus, famulus; Thebaudus cocus.

Cart. orig., folio 89, verso; copie, p. 257.

XCVII.

Mainardus de Sancto Patricio dat monachis Nucharien-sibus decimam quam habebat in alodo Sanctæ Mariæ Nucharien-sis.

(C. AN. 1082.)

Ne in his quæ agimus facile subrepat oblivio, litteris illa commendanda esse decrevimus. Unde notum faci-

mus præsentibus sive futuris quia Mainardus de Sancto Patricio decimam quamdam, quam habebat in alodio Sanctæ Mariæ Nucharіensis, dedit Deo et monachis Nucharіensibus. Annuit hoc Hugo Cervels, de cujus feudo hoc tenebat, et uxor ejus Odelina. Post mortem vero illorum, calumniatus est hoc donum Rotbertus, filius Hugonis. Unde conveniens eum Durandus, monachus Nucharіensis, fecit cum eo placitum, et acceptis ab eo duobus solidis in caritate, annuit ita ut pater suus prius concesserat, et frater ejus Siguinus. Iterum annuit hoc Matheus de Brollio Aimonis, et Paganus filius ejus, et inde habuit duos solidos, quos dedit ei idem monachus.

Testes hujus rei Aimericus, filius Salconis; Philippus Rufus; Gaufridus Rufus. Hoc fuit factum apud Cainonem, in festivitate sancti Maximi.

Prædictus Rotbertus annuere hoc fecit a matre sua, et a Pavia, sorore sua, apud Sisinniacum. Testes Goslenus de Sisinniaco; Radulfus de Sisinniaco; Martellus Borrellus; Ademarus; Siguinus.

Cart. orig., folio 69, recto; copie, p. 259.

XCVIII.

Cadilo, filius Bosonis de Forniolis, dat quidquid habet in ecclesia de Rupe Claremalli.

(C. AN. 1082.)

Notum sit omnibus fidelibus tam præsentibus quam futuris quod Cadilo, filius Bosonis de Forniolis, post mortem patris et matris suæ, mortuis etiam fratribus suis majoribus Radulfo et Bosone, Petro tertio apud Nucharios monacho effecto, videns sibi cessisse cunctum

honorem patris sui, statuit de rebus a patre et fratribus sibi relictis aliquid dare pro animabus eorum ecclesiæ Nuchariensi et abbati Stephano, et monachis ibidem Deo servientibus. Venitque ad eamdem ecclesiam, et ibi eidem ecclesiæ Nuchariensi et abbati Stephano ac monachis hoc dedit quod hic scriptum est, ita dicens : « Ego Kadilo, filius Bosonis, do Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis istius loci quicquid habeo in ecclesia quæ dicitur Campaniacus ad Rupem Claremalli (1), scilicet in juniorratu et in oblatione altaris, et in proferentia, et in sepultura, et in decima annonæ et vini, omnia do pro animabus patris, et matris, et fratrum meorum, et ut nomina eorum et meum in martyrologium scribantur inter nomina monachorum. » Hæc omnia, sicut Kadilo dedit, annuerunt Fulcherius et Aimardus, qui habebant sorores ejus.

Testes hujus rei : primum Effredus, canonicus ; Amalvinus Robelinus ; Goffredus de Volort ; Arnulfus Chillos ; Stephanus Chillos, et filius ejus Stephanus. Hæc omnia sicut scripta sunt, Guarnerius Maingot, absque ulla calumnia annuit apud Insulam, audiente proconsule Castri Araudi Bosone ; et Gualterio Poteruns ; et Ademaro de Cursai ; et Goffredo Savarici ; et Fulberto de Luiens ; et Goffredo Berard.

Postea vero annuerunt hoc apud Cainonem, omnes filii Rainaldi Maingot, Garnerius et Goslenus et Gulferius, pro anima patris sui Rainaldi. Testes Robertus de Blo ; Sicbrannus ; Cadilo de Forniolis ; Fulcherius de Maximiaco ; Paganus de Brisai ; Guillelmus de Riberia ; Otho de Laronico ; Bernerius de Campagniaco ; Goffredus de Gant.

Cart. orig., folio 96, verso ; copie, p. 261.

(1) La Roche-Clermault.

XCIX.

De quarta terræ ad Montiniacum quæ fuerat de fedio Savarici de Bosceia.

(C. AN. 1082.)

Omnibus notum fieri volumus, scilicet fratribus nostræ congregationis, quod quidam vir Matheus, filius Gisleberti Rufi, habebat unam quartam terræ ad Montiniacum, quæ fuerat matri ejus in matrimonium data, et erat de fedio Savarici de Bosceia, et ipsi Matheo venerat in partem. Quam ipse Matheus dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis de Nuchariis, pro anima patris sui et matris, suaque, et omnium suorum parentum, annuentibus fratribus suis, Gaufrido et Philippo. Annuerunt autem hoc patrui eorum Savaricus et Gaufridus, frater ejus. Abbas autem Stephanus præstavit illi, scilicet Matheo, propter hoc, viginti solidos.

Testes hujus rei : abbas Stephanus; Ansterius et Galterius, monachi; Clemens; Chotardus, vicarius; Tetbaldus de Ismantia; Rainaldus.

Cart. orig., folio 161, recto; copie, p. 265.

C.

Concordant canonici S. Georgii de Fagia cum monachis Nuchariensibus de molendino et de alodo quod dederat Ermengarda.

(C. AN. 1082.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris Ecclesiæ Christi filiis, quod quidam vir nobilis de Fa-

gia, Radulfus nomine, de Bosniaco, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, ac monachis ejusdem loci, molendinum suum quod habebat apud Carriciacum, post suum decessum. Quo modo autem illud dederit, et qui sunt qui audierunt testes, in alia carta scriptum habetur in eadem Nuchariensi ecclesia. Post mortem autem Radulfi, orta est contentio inter canonicos Sancti Georgii, et monachos Sanctæ Mariæ de Nuchariis, eo quod monachi, non solum molendinum, sed etiam alodum quod juxta erat, adquirere vellent, quorumdam legalium testium ad hoc impulsi testimonio, qui dicebant non solum molendinum, sed et alodum ab Ermengarda, matre Radulfi, datum fuisse jam dictis monachis, post mortem Radulfi. Ob quod, die constituta, congregati ad placitum apud Castrum Adraldi, abbas Gaufridus et canonici, diu utrique de hoc concertaverunt. Tandem, sedata contentione, sine consensu et consilio monachorum, jam dictus abbas annuit canonicis medietatem molendini, et canonici medietatem alodi annuerunt monachis, et ita, in hac mutua commutatione, diu reditus terræ et molendini partiverunt.

Postquam autem Athelinus, filius Radulfi, honorem patris sui adeptus est, exquisivit de alodo et molendino quomodo erat, et facta inquisitione, inventaque calumniandi occasione, intulit calumniam utrisque. Illo in tempore regebat Nuchariensem ecclesiam abbas Stephanus, qui cum multis strenuis viris in curia Aimerici, domini Fagiæ castri, adveniens, coram cunctis optimatibus jussit recitari litteras et testes quomodo pater ejus molendinum monachis dedisset. Recitatæ sunt autem a quodam canonico Sancti Georgii, Rainaldo, cognomento Brittone, qui prius eas esse veras attestans, post vero, tergiversatione facta, eas falsas ad-

clamans, cunctorum astantium adclamatione adjudicatum est canonicos nil recti in molendino habere; quippe qui debuissent monachis esse adjumento, plus illis fuerunt impedimento. Tunc Athelinus, consilio admonitus nobilium virorum, concordiam illam quam Gaufridus abbas cum canonicis, sine consilio monachorum fecerat, destruendam judicans, et donum quod pater ejus fecerat firmandum esse æstimans, annuit abbati ac monachis Nuchariensibus molendinum dictum, scilicet viam, cursum aquæ, pastum asinorum venientium ad molendinum; jam dictisque monachis interdixit ne de alodo, quod canonicis annuerat, aliquid exquirerent; similiter et canonicis interdixit ne de expleto molendini aliquid expeterent a monachis. Auxit etiam insuper donum suum, ita dicens: « Ego Athelinus, do memetipsum Deo et ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Nuchariis, ita ut si monachus esse voluero, in nulla alia ecclesia monachus sim, nisi in Nuchariensi ecclesia. Et si in sæculari habitu finiero, ubicumque finiero, corpus meum deferant, et in suo cimiterio tumulent, et omnem eleemosynam quam pro mea anima daturus sum, jam dictæ Nuchariensi ecclesiæ monachi possideant. » Pro molendino autem dederunt ei jam dictus abbas Stephanus Nuchariensis ecclesiæ et sui monachi ccxxx solidos et quatuor pavones, et duos cereos et unum verrum (1).

Testes ex hoc : Aimericus, dominus Fagiæ; Galterius Girorii; Hugo Goscelini; Zacharias de Mirmanda; Amalvinus; Urias, frater ejus; Fulcherius de Maximiaco; Petrus de Maximiaco; Radulfus de Forniolis; Boso Blanchet; Rainardus de Grandi Campo; Ainardus de Luiens; Aimericus de Luiens; Adraldus, filius Linæ; Gi-

(1) Verres, verrus, porcus masculus, gallice, *verrat*.

raudus de Claustro; Goslenus, cellerarius; Rainaldus Britto; Johannes de Marnaico; Landricus de Nuchariis; Vitalis de Nucariis.

Cart. orig., folio 212, recto; copie, p. 271

CI.

Notitia de præpositura Nuchariensis villæ.

(C. AN. 1082.)

Noverunt omnes, sicut Benedictus jurare, et legem judicii convenit portare, quod Rotbertus Candelarius, avunculus ejus, præposituram Nuchariensis villæ, in fedio et habuit de Maranno; et filius Rotberti, de abbate Ebrardo in fedio tenuit, et ipse Benedictus jure hereditario in fedio habuit de abbate Andrea et de cæteris abbatibus.

Cart. orig., folio 25, recto; copie, p. 273.

CII.

De terra quæ est ad Vitreum. (Vitré *seu* Vitrey.)

(C. AN. 1083.)

Rainaldus juvenis pro redemptione animæ suæ, et uxoris, ac filiorum suorum, dedit Sanctæ Mariæ ac monachis partem suam de terra quæ est ad Vitreum, excepta ea parte quam habet in silva, et censu decem denariorum, quem retinet in vita sua, eo tenore ut post finem ejus, monachi totum ex integro possideant. Pro hoc autem dono accipit a monachis pretium XL et eo amplius solidorum. Hanc ergo convenientiam multis viden-

tibus firmans, filiis suis coram stantibus jussit ut post finem ejus ab omnibus eam calumniis defendant.

Annuit autem hoc Helisabeth, uxor ejus, et filii ejus : Archembaldus et Richardus.

Testes, qui hæc viderunt et audierunt, sunt ii : Gosmarus, presbyter; Hubertus, presbyter; Benedictus; Arnulfus, servus; Stephanus, servus; Raimbaldus; Belinus; Roscelinus, cementarius; Goslinus Palestinus.

Ista vero quæ sibi ut supra diximus retinuerat in vita sua, post aliquot annos isdem rursum Rainaldus eisdem monachis reliquit, accepto iterum pretio quod ab eis postulavit, videntibus et consentientibus uxore et filiis suis.

Cart. orig., folio 144, verso; copie, p. 229.

CIII.

Rainaldus Fresluns de Haia, morti proximus, dat decimas de Dolciaco, Aurinniaco, Marcilliaco, et in parochia Nancré et ad Graillam.

(C. AN. 1083.)

Notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus quod quidam vir, Rainaldus nomine, cognomento Fresluns, in infirmitate positus apud Haiam, timens commune judicium mortis extremæ, mandavit abbatem Stephanum Nuchariensem, et alios amicos suos, voluitque monachus fieri; sed quia uxor ejus erat juvencula, et filios habebat parvos, aliquanti ex amicis ejus prohibuerunt eum monachum fore. Ille autem, tanquam monachus esset, nihilominus de suis rebus Nuchariensi ecclesiæ contulit. Dedit enim Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis

de Nuchariis, omnes decimas quas habebat, id est decimam quam habebat ad Dolsiacum (1), ad Aurinniacum et ad Marcilliacum, et ultra Vosdam, et in parrochia Namcré, et ad Graillam, et ubicumque habebat decimam, omnes suas decimas dedit Sanctæ Mariæ de Nuchariis. Annuit autem uxor ejus et filii ejus, quamvis essent parvi, et Guillelmus frater ejus. Annuit autem hoc Acharias de Mirmanda decimas quæ de suo fedio erant. Annuit et Aimericus, filius Yvonis, eam quæ de ejus fedio erat.

Testes hujus rei fuerunt : Acharias de Mirmanda ; Aimericus, filius Yvonis ; Ribotellus ; Giraldus Choeta ; Choetellus ; Goscelinus de Mosei ; Rainaldus Calueth ; Alpinus, frater ejus ; Philippus Lamberti ; Aimericus de Balesma ; et Gaufridus, frater ejus ; Bernardus Freslums ; Drogo de Ferreriis ; Bernardus, famulus ; Corbellus Bertinus.

Annuit et Girardus filius Yvonis, quod frater ejus Aimericus annuerat. Testes Effredus *Centum solidi ;* Hugo, clericus de Mantelan ; Engilgerius de Mota ; Durandus de Ismantia ; Aimericus, filius presbyteri ; Bernardus et Corbellus, famuli.

Cart. orig., folio 141, recto ; copie, p. 277.

CIV.

De decima quæ est ad crucem Ersen, *apud Insulam.*

(C. AN. 1083.)

Quoniam decedendo et succedendo humana quotidie labitur mortalitas, justum esse perspeximus ut ea, quæ

(1) Doucé, Aurigny, Marcilly, Nancré, Graillé. (D. FONTENEAU.)

agimus, aliis scripta relinquamus. Ego itaque Aïnardus, utilitati animæ meæ prospiciens, concedo et dono Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis Nuchariensibus, quamdam decimam, quæ est ad crucem *Ersen*, apud Insulam, perpetuo possidendam. Annuit hoc Audeburgis, uxor mea, et Arnaldus, filius meus.

Testes hujus rei : Paganus, clericus; Ivo, presbyter; Ivo, cementarius ; Villanus; Clemens.

Cart. orig., folio 120, recto ; copie, p. 279.

CV.

Vicus qui dicitur Cella ædificatur.

(C. AN. 1083.)

Inter cætera commoda quæ Nuchariensi ecclesiæ nostris temporibus evenere, hoc vidimus evenisse, quod præsens carta posterorum servat memoriæ. Erant duo cognati, utrorumque parentum germani, quorum unus nuncupabatur Hugo, filius Guillelmi de Sancto Auttore; alter vero Herbertus, filius Goffredi de Sancto Auttore. Ii ergo de suis patrimoniis, tamen de Zachariæ domini Mirmandiæ fedio, apud Pilarum Portum, quamdam terram habebant, de qua partem propter animarum suorum parentum salutem et propter æternorum bonorum remunerationem, Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi, et monachis ibidem habitantibus dederunt. Sed quantum et quomodo dederunt liquide debemus exponere. Ab illo quoque loco, quo præfati portus navis homines terræ reddit, sicut semita inde ad Cellam abiens eam partitur, usque ad supradictorum monachorum terram, quæ illi conjungit omnia quæ inter semitam et Crosam possunt

haberi, videlicet prata, terram cultam et incultam, fontes et molendinum, si haberi possit, insuper et medietatem Crosæ eis dederunt. Super semitam vero tres arpennes terræ ad vicum faciendum, sine aliqua consuetudine sibi retenta dederunt; sed hoc tali convenientia fecerunt, ut ex illa die qua Zacharias hoc annuerit, usque ad circulum illius anni inciperent monachi ibi ædificare vicum. Hoc autem annuerunt matres eorum, quæ adhuc vivebant, et Galterius, cognomento Hiesus, vitricus supradicti Hugonis, qui in alio tempore illam terram habebat, sicut mos est vitricorum habere terram privignorum suorum, et Halaardus Pastellus, qui de illa terra erat colibertus.

Cart. orig., folio 179, recto; copie, p. 281.

CVI.

Effredus Capitherius dat terram de Crulé, vineam et masuram.

(C. AN. 1083.)

Effredus Capitherius dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis terram de *Crulé*, post mortem suam, et ad Sarinniacum quamdam vineam, quæ dicitur *Longa Vinea*, et masuram Johannis Pogu, et terram juxta cimiterium, ubi nunc est domus Huldeii, et salices subtus culturam monachorum ; et hoc annuit Aimericus, frater ejus, antequam haberet filium vel filiam. Post mortem vero Capitherii, calumniatus est hoc Hugo, filius Aimerici, qui diu ab episcopo Pictavensi interdictus, cum monachis ad hanc concordiam venit : Monachi dimiserunt ei terram de *Crulé*, tali convenientia, ut nulli alii ecclesiæ, ipse

vel heres ejus, det vel vendat, sive in conguagio tribuat, nisi Nuchariensi. Hugo autem concessit eis masuram (1) Johannis Pogu, et duos denarios census, juxta ipsam masuram, quorum reddebat ei unum monachus, alterum presbyter, et *Longam Vineam*, et terram supradictam juxta cimiterium, et decimam de omni terra monachorum, quam nunc habent : si autem modo colunt de altera terra, de parte monachorum dimisit decimam ; de parte domini terræ habebit. Dimisit etiam vineam Christofori, et decimam terræ Bothferré, quam presbyter excolit, quando in dominium venerit monachorum. Terram vero de *Nancré*, quam calumniabatur, concessit. Si autem monachus esse voluerit, vel in habitu sæculari fuerit, concessit se Deo et ecclesiæ Nuchariensi.

Testes Albuinus de Seneciaco; Araudus, canonicus, Boso de Boslentot; Amauvinus Robelinus; Gauterius de Maximiaco; Paganus de Auro: Achardus *Fascina Vetulam ;* Petrus de Luens ; Johannes Giroardi.

Hæc supradicta omnia concessit mater Hugonis, Lizina, et uxor ejus Ersendis, et duæ filiæ, Helisabeth et Niva. Concessit etiam Ersendis, uxor Hugonis, sicuti vir ejus fecerat, post suum decessum, Nuchariensi ecclesiæ adjacendum. Testes Aimericus Audeberti ; Boso Capitherius ; Brictius, frater ejus ; Robertus, presbyter de Sarinniaco ; Guillelmus, nepos ejus ; Boso Eleazari ; Maingui Pugil.

Cart. orig., folio 86, recto ; copie, p. 283.

(1) Masura, pro *mansura*, mansio, domus ; interdum cum aliqua agri portione.

CVII.

Tetbaudus dat vineas ad Montem Baldonis sitas.

(C. AN. 1083.)

Noscant præsentes et futuri quod Tetbaudus Lenforcés dedit Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi undecim quarterios vinearum, ad Montem Baldonis. Has vineas concessit Giraldus juvenis Choeta, de cujus censu erant, et frater ejus Goffredus; et inde habuerunt in caritate VI libras et decem solidos, et Giraldus et Goffridus X solidos.

Testes hujus rei fuerunt Giraldus Goda; et Giruardus, clericus; Hulricus, presbyter; Caudo; Catus; Aimericus Bucangnes; et Mestiverius; et Loo.

Cart. orig., folio 80, verso; copie, p. 285.

CVIII.

Niva dedit monachis Nuchariensibus quidquid habebat ad Sarriniacum, pro filio suo Arnaudo, qui monachus factus est.

(C. AN. 1083.)

Notum sit omnibus quod juvenis quidam de Lausduno, Arnaudus nomine, filius Tescelini, voluit esse monachus apud Sanctam Mariam de Nucheriis, rogavitque matrem suam Nivam, et fratrem suum Johannem, ut de possessionibus suis aliquid illi darent, quod ejusdem ecclesiæ monachis esset proficuum; concordaveruntque simul ut de matrimonio matris eorum, scilicet Nivæ, in eleemosynam eidem ecclesiæ darent. Hac de

causa venit mater eorum Niva ad Sanctam Mariam de Nucheriis, cum jam dicto Arnaldo, filio suo, et in capitulum monachorum, abbate Rainerio cum omni congregatione adstante, dedit jam dicta Niva Nuchariensi ecclesiæ, et monachis illius loci, omnia quæ habebat ad Sarinniacum in dominium, et quæ alii habebant de ea et de filiis ejus in fedium, omnia monachis dedit Nuchariensis ecclesiæ pro anima sua, et pro filio suo; et postea filium ejus monachum fecerunt. Testes Andreas *Macta luprim*, qui tunc Calvam, filiam ejus, habebat uxorem; Ingelgerius de Noviastro.

Terra autem illa erat matrimonium Nivæ; quod dederat ei frater ejus Gaufridus, Salconis filius, qui hoc annuit, et filii ejus, audiente Achardo, monacho, et duobus Gaufridi nepotibus Radulfo et Gauterio, runcionibus (1). Annuit et hoc Johannes Tescelinus, audiente et annuente Aimerico de Fagia. Testes Urias de Nucastro; Radulfus de Forniolis; Radulfus de Fagia.

Postea autem calumniatus est hoc Tescelinus, filius Johannis Tescelini, atque placitum apud Lausdunum cum abbate Stephano de hoc fecit; in quo placito judicatum est ei ab optimatibus castri Lausduni nil recti habere in eo quod requirebat. Videnque sibi in hoc quod calumniatus fuerat nihil proficere, annuit isdem Thescelinus Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis omnia quæ supra scripta sunt, audiente et vidente Gosberto, qui sororem ejus habebat. Testes Gauterius Girorii; Goffredus, filius Gaufridi Fulcradi; Gislebertus de Lausduno; Ervisius Cabruns; Gosbertus, filius Aithildis; Drogo Fetardus; Gaufridus de Volort; Fulcherius de Vallibus.

Cart. orig., folio 85, recto; copie, p. 287.

(1) Runcio dicitur qui agrum runcat, id est purgat a sentibus quas inde *Ronces* vocant Galli. Itidem Runcio, faber lignarius, qui *runcina* utitur.

CIX.

De terra prope ecclesiam quæ dicitur Razinia et collibertis ejusdem loci.

(C. AN. 1083.)

Ad notitiam posterorum nostrorum transmittere curamus quod Clariscia, uxor Gaufridi de Archinniaco, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, ac monachis Nuchariensis ecclesiæ, pro anima filii sui, nomine Fulcodii, die qua sepultus est apud Nucharios a memoratis monachis, omnem terram quam habebat prope ecclesiam quæ dicitur Razinia, ante et retro molendinum quod vocatur Planellum, quæ etiam partiebatur cum terra de Ponte Araldi. Dedit etiam eis duos collibertos, unum nomine Johannem, et alium nomine Geraldum, cum uxore et filiis, et unam collibertam, sororem Benedicti de Dolsiaco.

Testes Rainaldus, presbyter; Arduinus Turbatus; Arnulfus Chillos; Rainaldus, nepos; Ildegarius de Dolsiaco.

Cart. orig., folio 205, recto; copie, p. 289.

CX.

Odo, cognomine Centum solidos, *dat censum terræ de Fontanellis.*

(C. AN. 1083.)

Notum sit omnibus quod quidam miles, Odo, *Centum solidos* cognomine, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, abbatique Stephano, ac monachis ejusdem loci, censum de

carta (1) terræ quæ vocatur Fontanellis, quæ fuit Achardi de Cotinis, hoc est quinque solidos annuatim prædictis monachis reddendos ab ipsis qui ipsam terram possidere videbuntur. Hoc pro sepultura uxoris suæ concessit, et ut ipse et ejus filii suscipiantur ad sepeliendum pro hoc ipso beneficio, nisi sponte voluerint addere præfatæ eleemosynæ. Hæc omnia annuerunt omnes filii ejus et filiæ.

Testes Burchardus de Tuschia; Boso Candidus; Boso, filius Bosonis de Furnols; Radulfus Niger; Christianus Turbatus; Johannes de Poent; Goffredus de Vulort.

Postea autem dedit idem Odo supradictis monachis, annuente Hugone, filio ejus, viginti denarios census, quos habebat ad Dolsiacum, in parrochia ecclesiæ quæ dicitur Rilliacus.

Testes Arnulfus Chillos; Radulfus, serviens; Tedevinus; Amot, frater Rainerdi.

Cart. orig., folio 18, recto; copie, p. 291.

CXI.

Arnaldus, Boters cognomine, se dat in servum monasterii, cum filiis suis.

(C. AN. 1084.)

Hoc notum sit cunctis tam præsentibus quam futuris quod quidam vir pauper Arnaldus, cognomento Boters, dedit se in servum, et filios suos, Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis ecclesiæ Nuchariensis, tempore abbatis

(1) Carta, Quarta, Cartalata seu Quartalata, modus agri quartam aripennis partem continens.

Stephani, tradens se et filios in manu jam dicti abbatis, ita dicens : « Domine, ego me trado tibi in servum et filios meos, ut amodo sim servus, et filii mei sint servi, et omnis fructus eorum in perpetuum Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis istius loci, sicut alii vestri hereditarii servi istius loci. » Hoc ita annuerunt filii ejus Ingelgerius et Bernardus Peters, et Rainelmus, et in manibus abbatis in servos se tradiderunt, et suam cunctam progeniem.

Testes ex hoc Herbertus, cocus; Arnulfus Chillos; Rainaldus, nepos.

Cart. orig., folio 63, recto; copie, p. 293.

CXII.

De terra, burgo et ecclesia quæ vocatur Niolus, in parochia ecclesiæ Crissiaci.

(C. AN. 1084.)

Notum sit omnibus quod quidam nobilis vir de Insula, Vivianus Brocardus nomine, dedit Deo et Sanctæ Mariæ et ecclesiæ Nucharіensi, ac monachis ibidem Deo servientibus, ecclesiam quamdam quæ dicitur Niolus (1), quæ erat in parrochia ecclesiæ Crissiaci, et omnia quæ ad ecclesiam eamdem pertinebant, et omnem burgum, et omnes consuetudines burgi, id est censum et vicariam, et omnem dominationem, et archagium (2) ecclesiæ, et omnes reditus ecclesiæ, excepta decima quæ pertinebat ad Crissiacum. Postea vero pœnituit eis se ea dedisse,

(1) *Nueil* in parochia quæ dicitur *Crissé*.

(2) Præstationis species, qua quis tenebatur in domo sua arcæ reponendæ locum dare.

et abstulit eis omnia. Postquam autem monachus factus est filius ejus Hugo Brocardus, animadvertens se injuste tenere quod pater ejus injuste monachis abstulerat, tempore abbatis Stephani reddidit eis omnia, sicut pater ejus eis dederat, id est ecclesiam et burgum, et omnes consuetudines, et reditus ecclesiæ et burgi, sicut pater ejus eis dederat, de illis hominibus qui tunc ibi habitabant, et de omnibus hominibus quos monachi ibi adduxerint. Si autem de suis hominibus postea ibi habitare voluerint, de ipsis consuetudinem habebunt monachi. Dedit autem eis omnem decimam ovium, et porcorum, et aliarum bestiarum totius burgi, et terram, quantum octo boves arare possunt omni tempore ad censum unum denarium, et omnem decimam, et terragium de terra illa. Si qui autem homines de illa terra arare et seminare voluerint, nihil consuetudinis reddetur, nisi monachis, et quicumque in terra monachorum habitare voluerint, nulli homini consuetudinem reddent nec vicariam, nisi monachis.

Hujus rei testes : abbas Stephanus ; Ansterius, monachus ; Arnulfus Chillos ; Savaricus.

Hæc omnia annuit Pipinus, frater Hugonis, vidente Savarico de Bosceia ; et Goscelino, nepote ejus ; et Girorio de Vareza ; et Chotardo ; et Odone Pelliter ; et Girardo Pelliter. Item hæc omnia annuerunt Aldierius de Crissiaco, et uxor ejus, et filius Oggisius, et filius ejus Girardus. Ipsa autem ecclesia erat de fedio Roberti de Castellono, qui quodam die ad Insulam veniens, rogatus ab abbate Stephano ut annueret quod Hugo et alii dederant, libentissime annuit omnia quæ de suo fedio eis data erant, vidente Savarico et Galterio Poterone, Hugone Brocardo et Aldierio.

Item quidam vir de Insula Constantinus, Vicarius

nomine, habebat quemdam filium de quo fecit monachum apud Nucharios, dans monachis pro eo quatuor juncta vinearum ad Insulam. De ipsis autem junctis tres erant ad censum de Viviano Brocardo. Qui eadem juncta invadens abstulit monachis, et dedit eis pro ipsis duo juncta vinearum aliarum tali convenientia, ut post suum obitum, et illa duo juncta, quæ in mutuum dabat, et illa tria quæ auferebat monachis remanerent. Cum autem monachus factus est, noluit eamdem convenientiam sequi monachis; sed filio suo Gaufrido reliquit. Qui Gaufridus quodam certamine apud Insulam vulneratus ad mortem, extremæ mortis horrore pavidus, supra memorata juncta vinearum, quæ pater ejus injuste reliquerat et ipse eatenus tenuerat, monachis de Nuchariis quibus recte eveniebant, reliquit. Insuper auxit eleemosynam, dans eis adhuc unum junctum prati, qui est prope rupem fratris ejus apud Crissiacum.

Testes Rainaldus, monachus; Huelinus Parvus; Savaricus; Gaufridus Savarici; Ivo, filius; Rainerdus; Thomas.

Cart. orig., fol. 112, verso; copie, p. 295.

CXIII.

De ædificio inter Boellum et Chandam.

(C. AN. 1084.)

Hubertus, avunculus Ademari, sacerdotis de Marcilliaco, Nucharius monachus effectus est. Idem vero Hubertus monachis prædicti monasterii dedit universam

portionem suæ fraternitatis (1), quam præfati monachi, sine ulla contradictione, receperunt et tenuerunt. Postea vero Ademarus, longo tempore post mortem avunculi sui, ad abbatem Stephanum et ad monachos venit et ab eis quæsivit eamdem portionem, quam avunculus suus eis tradiderat, quandiu viveret, sibi concederent, ea tamen conditione ut bene deserviret. Tunc petitioni ejus monachi satisfacientes, concesserunt. Postea vero idem Ademarus et Isenbertus, presbyter, venerunt in capitulum eorumdem monachorum, ubi et homines abbatis affuerunt; ibique Ademarus omnia sua quæcumque habuit, sive ex ea die amplius habiturus esset, post obitum suum eisdem monachis dedit eo tenore, ut si ipse vellet in vita sua, monachum eum facerent, vel si monachus non fieret in cimiterio suo eum sepelirent. Isenbertus autem similiter dedit eis omnia sua et suas emptiones, post decessum suum, et nominatim ædificium quod emit inter Boellum et Chanda, id est mansionem, et vineam, et terram arabilem, quæ omnia emerat, ut si vellet monachum eum facerent, sin autem in cimiterio suo eum sepelirent.

Hujus rei testes sunt Arnulfus Chillos; et Stephanus, frater ejus; et Gaufridus Malagarda; Tedevinus.

Cart. orig., folio 143, verso; copie, p. 297.

(1) Fraternitas, Fratriagium, Frareschia, dicitur pars hereditatis quæ ad fratres primogeniti pervenit, ita ut quod ex bonis paternis ii possident, dicaptur possidere ratione *fratriagii*, eoque ipso a fratre primogenito in clientelam id teneant, eique hominium faciant. Unde gallice, *freresche*, *fresche*, *frarescheurs*, *frescheurs*.

CXIV.

De terra ad Pilas, juxta Crosam fluvium.

(C. AN. 1084.)

Adelelmus *Cauda vaccæ* de Nugastro habebat terram ad Pilas, juxta Crosæ fluvium, et de ipsa terra habebat medietatem Adelelmus *Pugna Vicarium* in fedium, tam de pratis quam de alia terra, tantumque habebat de illa terra Adelelmus *Cauda vaccæ* in dominium, quantum Adelelmus *Pugna Vicarium* in fevum, ita ut ad minam (1) annonæ partirentur. Dedit autem Adelelmus *Cauda vaccæ* suam partem, quam in dominium habebat, Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, ac monachis, in eodem loco Nuchariensi, Deo servientibus, annuentibus fratribus suis Uria atque Salatiel. Sed postea Urias atque Salatiel, se denegantes hoc annuisse, eamdem terram, quam frater eorum dederat abbati Stephano, cujus tempore hoc donum factum fuerat, calumniaverunt. Postea vero rogati a jam dicto abbate Stephano, et ejus monachis, annuerunt eis omnem terram, sicut frater eorum prius eam monachis dederat et omnia prata, quæ ultra Crosam habebant; et illam medietatem, quæ fuerat Adelelmi *Pugna Vicarium*, quam dederat monachis Guarinus, filius Hilduii, qui eorum sororem habebat, similiter annuerunt. Dedit autem abbas Stephanus et monachi pro hac annuatione Uriæ XL solidos, et Salatiel decem solidos, et Simoni, filio Adraldi, fratri eorum, scalcares deauratos quos vulgus *esperunnos* vocat.

Testes ex hoc Boso de Chillo; Eleazar de Faia; Daniel

(1) Mina, mensura frumentaria.

de Villiaco; Arnulfus Joquet; Arnulfus Chillos; Johannes pelliterius; Raimundus pelliterius; Natalis Matnerius; Aimericus Pastuns; Vitalis, filius Gosleni; Johannes Gohes; Gaufridus Petit; Vaslinus, farnerius.

Cart. orig., folio 22, recto; copie, p. 299.

CXV.

Terræ, vineæ, prata et sclusæ prope Nucharios. Sclusa de Portu de Pilis et de capella construenda.

(C. AN. 1084.)

Notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus quod quidam vir de Nugastro Urias nomine, filius Bernardi *Cauda vaccæ*, in infirmitate positus, horrorem propinquæ mortis formidans, Deum sibi placabilem, prout potuit, suarum rerum largitione reddere studuit. Convocatis enim amicis ac familiaribus suis, fratribus suis etiam coram adstantibus, Amalvino scilicet, et Eleazaro, cum Salatiel, et Simone, et Adelelmo, monacho, nec non et Acharia de Mirmanda, patruo eorum, adsistente abbate Stephano Sanctæ Mariæ de Nuchariis, cum aliquantis suis monachis, delegavit isdem Urias de suis rebus jam dictæ Nuchariensi ecclesiæ quæ hic subscribuntur. Dedit enim supradictæ ecclesiæ ac monachis ibidem Deo servientibus, ejusque sanctæ Dei Genitrici omnem terram planam quam habebat ad Nucharios, et circa Nucharios, et medietatem pratorum suorum quæ sunt propinqua prato novo monachorum, et complantum vineæ Vitalis, quæ est ad *Vineam Longam*, et de illa parte quam habebat in sclusa de Marcilliaco, a Montorio usque ad ripam,

quæ ei ex materna competebat hereditate, dedit medietatem monachis et medietatem suæ partis de Porto Pilarum, et olcam Airanni, ad capellam construendam. Hæc omnia dedit Deo et Sanctæ Mariæ et ecclesiæ Nuchariensi, ac monachis ibi Deo servientibus; et monachi eum monachum fecerunt et inter suos fratres monachos eum debita cum veneratione sepelierunt, et omne debitum quod debetur professo monacho pro ejus anima reddiderunt, quod non erat eis consuetudo pro aliis facere, et nomen ejus in martyrologio scripserunt, annuatimque ejus anniversarium facere statuerunt, sicut pro professo monacho. Annuerunt autem hæc omnia fratres ejus Salatiel et Simon.

Testes ex hoc Amalvinus, et Aimericus, filius ejus; Eleazar; Acharias de Mirmanda; Gaufridus de Coimei; Guillelmus de Alberiis; Aimericus de Esculio.

Annuit et hoc uxor ejus Rikarda.

Testes Frogerius Barba; Gaufridus Iterii; Boso de Nucheriis; Arnulfus Chillos; Radulfus, serviens; Gaufridus de Marcilliaco; Guarinus de Aziaco; Humbertus, filius Rainerii.

Post mortem autem Uriæ, calumniatus est hoc Salatiel dicens se non sponte annuisse, sed invitum; sed postea monentibus amicis, recognoscens se hoc injuste agere annuit iterum, sicut supra scripta sunt omnia, et ex hoc fide sua promisit omnibus diebus vitæ suæ hæc omnia ecclesiæ Nuchariensi de omnibus hominibus adquisiturum. De hoc autem Eleazaro, fratri suo, manu propria fidem suam promisit ad profectum Nuchariensis. Testes Salamala, filius Ervisi; Eleazar, frater ejusdem Salatiel; Johannes Folium; Aimericus, filius Gaufridi; Aimericus Salconis de Esculio; Tethbaldus Masterni; Alexander; Guillelmus de Alberiis; Arnulfus Chillos;

Stephanus Chillols ; Guarinus de Girio; Gaufridus de Marcilliaco.

Cart. orig., folio 21, recto ; copie, p. 301.

CXVI.

De portu Nuchariensi et transmeatu inter duas sclusas.

(C. AN. 1084.)

Notum sit omnibus Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod Eudo de Nugastro dedit Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis Nuchariensis ecclesiæ, quidquid habebat in portu et in transmeatu aquæ inter duas sclusas, scilicet inter sclusam monachorum et sclusam de Rupe, ita ut quicumque aquam transierint inter duas sclusas cum bestiis aut aliquocumque negotio, quidquid Eudoni eveniebat, monachi in perpetuum possideant de omnibus hominibus qui ibi aquam transierint ; et ut monachi post decessum Eudonis nomen ejus inter sua nomina scribant, et anniversarium ejus unoquoque anno faciant. Annuit autem hoc Burchardus, comes Vindocinensis (1), ac donum super altare de annuatione posuit.

Testes hujus rei : Araldus ; Adelelmus Pugna Vicarium ; Martinus ; Giraldus Busellus ; Radulfus ; Goffredus ; Roggerius Bruns ; Ligerius ; Rainaldus Chillos ; et filii ejus, Arnulfus et Stephanus.

Annuit autem hoc postea Guido, frater Eudonis, rogatus ab abbate Stephano, et a fratre suo Lisiardo et ab Ansterio monacho apud Nugastrum.

Cart. orig., folio 25, recto ; copie, p. 375.

(1) Burchardus nepos erat Guidonis Nevernensis.

CXVII.

De burgo et terra apud Haiam.

(C. AN. 1084.)

Cognoscant omnes præsentes et futuri quia burgum et terram quam apud Haiam Atho Luccensis dedit Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus, annuit et dedit Marchus, filius ejus, sine ullo retinaculo eisdem monachis. Annuit hoc etiam Burchardus Vindocinensis. Testes hujus rei fuerunt : Johannes de Monte Basonis ; Ribotellus ; Rotbertus ; Jaguilinus ; Goscelinus de Mose ; Jordanis de Bres ; Piruns ; Tethbaudus Lenforcez ; Poolinus ; Bernardus Fresluns ; Gaudinus Forgeth ; Gervasius de Luccas ; Rainaldus de Calviniaco ; Achardus *Fascina vetulam.*

Annuit hoc etiam mater ejus Placentia. Quod audivit et vidit Landrannus ; Poolinus, clericus ; Piruns.

Annuit hoc quoque Lancelina, soror Marci, audientibus et videntibus Constantio, presbytero ; Buchardo Counz ; Rainaldo Rufo ; Girardo ; Runscaldo ; Ivone Petro ; Lancelino, monacho ; Radulfo, monacho.

Cart. orig., folio 79, verso ; copie, p. 77.

CXVIII.

De terra quam dedit Burchardus, comes Vindocinensis.

(C. AN. 1084.)

Goffridus, filius Othonis, habebat terram circa Nugastrum, quam abstulit ei primum Guido Nevernensis, dominus Nugastri, et post eum Burchardus, comes Vin-

docinensis, qui post Guidonem Nugastrum habuit. De ipsa autem terra erat quædam olca super viridarium monachorum Nuchariensium, et in ipso viridario inclavata, quam dedit comes Burcardus, dominus Nugastri, abbati Stephano et monachis supradictæ ecclesiæ Nuchariensis quidquid inter vineam et terram Johannis de Esculio et viridarium monachorum de terra Gaufridi, filii Othonis habebatur, vel ad censum, aut ad terragium, aut ad obligas (1), et omnes consuetudines ejusdem terræ, omnia dedit comes Deo et ecclesiæ de Nuchariis, ac monachis ejusdem loci. Testes hujus rei Guillelmus, filius Fragonis; et frater ejus Simon; Drogo de Monte Aureo, et filius ejus Rotbertus; Girardus, præpositus.

Annuit autem hoc Arduinus, filius Gaufridi, filii Othonis, qui rectum in ea habebat, acceptis ab abbate Stephano ac monachis XL solidis, et beneficio loci. Testes Isembardus, nepos Isembardi Bardonis; Araldus; Marricus, presbyter; Huo; Hubertus, presbyter de Sepmis; Aimericus Pastuns; Giraldus Busellus.

Annuit autem et hoc frater Arduini, Rainerius nomine, et pro annuatione dedit ei Lisierdus monachus XII denarios. Testes Lisierdus, monachus; Galterius; Fulcherius de Marciaco; Stephanus Chillols.

Cart. orig.; folio 28, recto; copie, p. 391.

(1) Obliga, oblata, oblia, gallice *oblie*, *oublie*, panum tenuissimorum præstationes, quæ certis diebus fiebant a vassalis et subditis, quæ postea in tenuem et pusillam pecuniæ quantitatem evaserunt.

CXIX.

Gosbertus, et Margarita, uxor ejus, confirmant monasterio Nuchariensi donationes Uriæ de Nucastro.

(C. AN. 1084.)

Noverit omnium, tam præsentium quam futurorum instantia, quod ego Gosbertus, filius Etthildis, postquam duxi uxorem, filiam Uriæ de Nugastro, calumniatus sum monachis Nuchariensibus, errore deceptus, omne beneficium quod Urias, pater uxoris meæ, eis quando factus est monachus et antea, pro anima sua et pro animabus parentum suorum, contulerat. Quod audientes, abbas Stephanus, qui tunc Nuchariensem ecclesiam regebat, et monachi ejusdem ecclesiæ, judicium subire mecum in qualibet curia non contempserunt. Sed ego, divina inspiratione compunctus, et consilio amicorum meorum admonitus, recognovi quod donum et beneficium tanti viri Uriæ, præsertim prædiorum suorum, quæ de patrimonio et paterno jure, pro anima sua, dederat, nullatenus calumniari vel retinere mihi debebam. Itaque ego, et uxor mea Margarita, filia Uriæ, salubriori et rectiori consilio accepto, venientes singulatim in capitulum monachorum, dimisimus et concessimus eis omnia quæcumque eis Urias donaverat, et omnes parentes ejus, ante se, usque ad illum diem. Terram etiam Araudi, quam dederat eis Urias, ad capellam faciendam (1), quæ oucha erat, illam concessi eis, sine ullo retinaculo, ita scilicet si placitum facerent cum Aimerico *fas navella* et filio ejus Achardo.

Testes qui mecum fuerunt et hæc viderunt et audie-

(1) Ibi agitur de capella ad Pilas. (D. FONTENEAU.)

runt sunt isti : Aimericus de Esculio; Achardus, serviens; Frumentinus; Bernardus; Odo Harotellus de Albiniaco; Odo.

Alii testes qui adfuerunt in concessione uxoris meæ Margaritæ : Ervisus Chabruns; Adelelmus de Parciaco; Rainaldus de Lainiaco; Aimericus Doslenus; Archardus *fas navella;* Achardus, præpositus; Christoforus.

Facta autem hac concessione publice in capitulo, tam a me quam a Margarita, uxore mea, abbas Stephanus dedit nobis in caritate quatuor libras Andegavensis monetæ et x solidos.

Cartul. orig, ; copie, p. 309.

CXX.

Donum terræ quæ dicitur Montiniacus, cum collibertis, decimæ de Chiviriaco, particulæ terræ de Marriaco, et decimæ molendini in Esmantia post Sanctum Edigium apud Insulam.

(C. AN. 1081.)

Omnibus fidelibus sanctæ matris Ecclesiæ manifestum constat esse gloriam divitiarum hujus sæculi inanem defluere, nisi famulorum Christi usibus et egentium pauperum necessitatibus fuerit saluberrime expensa. Idcirco admonens omnes, Dominus ait : *Date eleemosynam, et ipsa orabit pro vobis.* Qui etiam exemplum proposuit divitis, qui dives apud superos, egens apud inferos, ab extremo digiti pauperis Lazari, a se prius despecti, stillari sibi aquæ guttam expetiit, ostendens per hoc divitiarum gloriam esse fluxam et labilem.

His et aliis divinæ Scripturæ testimoniis admonitus, quidam vir nobilis de Insula, Savaricus de Bosceia, quamvis sæcularibus negotiis esset occupatus, salutis tamen suæ non immemor, credens se servorum Christi orationibus adjuvari, cœpit habere societatem cum abbate Stephano de Nuchariis et ejus monachis, multotiens eis de suis rebus attribuens, et eorum placitis ac necessitatibus sæpe subveniens. Venit autem, tempore quodam, apud Nucharios in natâle Domini et eamdem solemnitatem cum monachis in maximo gaudio peregit, et in crastinum, venit in eorum capitulum, et accepit eorum beneficium, petiitque ab eis ut pro ipso facerent sicut pro monacho. Dedit autem eis omnem terram, quæ dicitur Montiniacus, cultam et incultam, prata et silvas, et colibertos, scilicet omne fedium quod habebat de Aimerico de Fagia, inter Vigennam et Fagiam, exceptis casamentis militum, post suum decessum. Dedit autem eis et omnem decimam de terra Chiviriaco, quam habebat in dominium, et de vineis et paululum terræ ad Chiviriacum, et particulam terræ ad Morriacum inter viam et Vigennam, et decimam de dimidietate molendini quem habebat in Esmantia, post Sanctum Egidium, apud Insulam. Hæc autem omnia annuit Gaufridus Savaricus, frater ejus, primum apud Bosceiam, audiente Peloquino, domino Insulæ, et Gaufrido, filio Adelelmi, et Goscelino, nepote ejus.

Postea autem quando Savaricus domum suam et honorem suum eidem fratri suo reliquit, et se abbati Stephano ad monachum faciendum commendavit, ab eodem Savarico rogatus, jam dictus frater ejus Gaufridus Savaricus hæc omnia, ut supra scripta sunt annuit.

Testes ex hoc Bartholomæus, frater Peloquini; Peloquinus de Casellis; Matheus et Philippus, frater ejus.

Item annuit hoc supradictus Gaufridus Savaricus abbati Stephano, in atrio ecclesiæ Sancti Petri, apud Insulam, coram aliquantis testibus, quorum hæc sunt nomina: Aimericus, filius Burchardi; Hugo Brocardus; et frater ejus Pipinus; Germanus, presbyter; Arnaldus, clericus; Rainaldus de Fagia; Tedevinus.

Annuerunt autem et hoc ibidem filii ejus, et filiæ, scilicet Philippus et Flandina, Agnes et Laureta.

Cart. orig., folio 31, recto; cõpie, p. 311.

CXXI.

De servitio monachi, nomine Guillelmi, medici.

(C. AN. 1085)

Notum esse volumus cunctis fidelibus quod Alexander Charbonellus decem et octo nummos, quos ei annuali censu reddere consueveramus, nobis dimisit, propter servitium quod ei fecit monachus noster Guillelmus, medicus. Annuitque hoc frater ejus Eleagardus.

Testes hi affuerunt: Petrus de Brisai; Rainaldus de Malson; Benedictus, filius Gidonis; Engilbaldus, servus monachi; Hubertus Testardus.

Cart. orig., folio 120, verso; copie, p. 313.

CXXII.

Decima de Nucastro in feudo abbatis et monasterii Nuchariensis.

(C. AN. 1085.)

Quia facile rerum subrepit oblivio, litteris mandare volumus quod Herbertus, filius Azonis, decimam de

Nugastro, quam Guillelmus, frater ejus, moriens ei reliquerat, necessitate compulsus vendere voluit. Sed quod ille Guillelmus de feudo abbatum Nuchariensium, maxime autem domni Stephani abbatis, habuerat hoc, Herbertum, fratrem suum, moriens rogavit, ut nullos alios illius decimæ successores nisi monachos, de quorum feudo fuerat, induceret. Hoc igitur rogatu et sua ipsa deliberatione admonitus, domnum S. abbatem, ut eam ad opus Sanctæ Mariæ retineret, monuit dicens se hoc velle, pro anima fratris sui, et pro sua, et pro omnium parentum suorum. Cumque ab ipso interrogaretur si quos haberet parentes, unde in hac re aliqua posset insurgere calumnia, omnino nullos esse negavit, adjungens se de omnibus calumniis satisfacturum. Facta itaque in quodam festo Assumptionis sanctæ Mariæ, in capitulo solemni donatione posita super altare, accepit statim a domno S. abbate sex libras in caritate, ita scilicet ut in vita ejus decimam haberet; post obitum ejus terram haberemus.

Testes Yrvisus Cabruns; Radulfus Arotels; Frumentinus; Raginaldus Barbota; et Goffridus, frater ejus; Tevinus.

Cart. orig., folio 20, recto; copie, p. 315.

CXXIII.

De ecclesia quæ dicitur Paiziacus.

(C. AN. 1085.)

Notum sit omnibus quod Guanilo, filius Hugonis de Castellono, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, ac monachis ejusdem loci, omnem sepulturam ecclesiæ quæ

dicitur Paiziacus, et decimam agnorum et porcorum et lanæ, pro anima patris sui ac matris suæ, et ut ipse particeps efficiatur totius beneficii supradicti loci. Abbas autem Stephanus supra memoratæ congregationis dedit ei unum equum valentem LX solidos, et ut hoc donum firmum maneret, adhibuit abbas testes quamplures, Uriam de Noiastro, et Giraldum, filium Odæ Parvæ, in domo Beringerii de Ferrarias, apud Haiam; ubi hæc gesta sunt. Annuit autem hoc soror Guanilonis, uxor Johannis de Paluello, audiente Acardo, monacho, quem propter hoc ad ipsam abbas direxerat. Ipse enim Johannes, maritus ejus, hoc annuit, teste supradicto monacho et Odone Franco.

Cart. orig., folio 198, recto; copie, p. 317.

CXXIV.

De terra apud Vinniacum.

(C. AN. 1085.)

Notum sit omnibus quod Marricus Grossus de Haia dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nucariis, et monachis ejusdem loci, tempore abbatis Stephani, XII arpenna terræ apud Vinniacum, VI ad censum, VI in eleemosynam, tali convenientia, ut aliam terram omnem ad terragium excolerent, et, quando eis libuerit, domum in ea faciant, et homines, quando posse erit, ad habitandum et excolendum ibi congregent.

Testes Gaufridus de Vinniaco, et Alduinus, frater ejus; Aimericus de Esculio; Arnulfus Chillos; et Stephanus, frater ejus; Aroldus *Vasta landam;* Salomon, præpositus; Rainaldus, coquus; Tedevinus.

Annuit hoc Fulcherius, frater ejus, coram testibus, quorum hæc sunt nomina : Arnulfus Chillos; Tedevinus; Eudo de Noviastro; Oggerius de Noviastro; Guillelmus de Albers; Johannes, vicinus; Petrus, piscator.

Cart. orig., folio 149, verso; copie, p. 323.

CXXV.

Placitum in curia dominæ Girbergiæ, apud Insulam.

(C. AN. 1085.)

Cognoscant posteri nostri quod Rainaldus, cognomento Fresluns, sortitus in uxorem filiam Marrici Grossi de Haia, nomine Moraliam, assiduis querelis nos insectari non destitit pro terra quam idem Marricus nobis in eleemosynam, pro anima sua, dederat, dicens nos amplius terræ illius usurpasse quam ille nobis dedisset. Siquidem prædictus Marricus apud Vinnai XII arpenna, sine censu, et insuper tantum terræ, quantum quatuor bobus ad arandum sufficeret, ad decimam gerbam nobis tradiderat. Cumque de hac re prænominatus ille Rainaldus Fresluns, in dies nobis molestus esset, dominus abbas Stephanus, cum eo, super hac querela, apud Insulam, in curia dominæ Girbergiæ placitum inire compulsus est. In quo placito omnem præfati Marrici eleemosynam integre recuperavimus, testimonium veritati nostræ perhibente Giraldo Choeta, qui eleemosynæ ejusdem Marrici, cum multis aliis testibus interfuerat. Itaque Rainaldus ille convictus quievit, hoc tantum a nobis exigens, ut in eadem terra domum ædificaremus, quod et fecimus.

Placito huic interfuerunt infra scripti testes : Guarne-

rius Maingodus; Goffredus, filius Actildis; Girardus Ivonis; Fulcherius Grossus; Giraldus Choeta.

Cart. orig., folio 150, recto; copie, p. 321.

CXXVI.

De terra quam dedit Ainardus Saponellus in villa quæ dicitur Capetas, inter Canavellas et Nucastrum.

(C. AN. 1085.)

Notum sit omnibus quod Ainardus Saponellus, infirmitate corporis urgente, contulit se ad monasterium Sanctæ Mariæ Nuchariensis, rogans abbatem Stephanum et monachos ejusdem loci, ut ejus misererentur. Dedit autem eis omnem terram quam habebat in villa quæ dicitur Capetas, et vineam quam habebat inter Canavellas et Nucastrum. Annuit autem hoc soror ejus. Testes Arnulfus Chillos; Tedevinus; Rotbertus, carpentarius; Aimericus, filius Ricardi.

Cart. orig., folio 151, verso; copie, p. 327.

CXXVII.

Brictius Delchalo plurima dona confert B. Mariæ de Nuchariis.

(C. AN. 1085.)

Noscant præsentes et futuri quod ego Brictius Delchalo, pro anima patris et matris meæ, et duarum uxorum mearum, nec non et pro anima mea et filiarum mearum, dono et concedo Deo et ecclesiæ Sanctæ Mariæ

Nuchariensis, terram ad excolendum cum octo bobus ad omnes sationes, sicut duæ ivæ continent, quæ paciuntur de Forgares, una ad Insulam, alia ad Dolsiacum. Si autem terra illa non suffecerit ad culturam octo boum, sicut dictum est, accipiant monachi de alia terra quæ est juxta illam, quantum sufficiat. Si vero de terra prædicta quippiam plus fuerit, in meo jure remanebit. Dono etiam et concedo eidem ecclesiæ Sanctæ Mariæ decimam Guillelmi, cognomento Barbori, quam ipse dederat monachis Nuchariensibus, quæ est de feudo meo, et aliam partem fratris sui quocumque monachi eam possunt adquirere. Dono etiam et concedo omnem decimam de exsartis meis vel aliorum usque ad vallem Boneth. Do etiam et concedo ligna et focum omni tempore domui de Razina et domui de Nancriaco, et pabula pecoribus monachi de Gatnai. Hæc omnia, sicut prædicta sunt, dedi et concessi in capitulo Nuchariensi, et donum hujus rei super altare posui Sanctæ Mariæ pro anima mea et omnium parentum meorum, nec non etiam pro pace et concordia monachorum Nucharien-sium cum monachis de Luzezio, ut omnis querela sopiatur de molendino et de cursu aquæ quod est apud Grizai, et de situ et ædificatione loci illius, ubi hospitati sunt, et de terra quæ pertinet ad ipsum locum, quam Brictius dedit illis.

Testes hujus rei fuerunt Galterius de Chargé; Alo *Crassa labia;* Petrus de Sancto Savino; Hugo de Bosnai; Petrus, clericus de Forniolis; Boso, monachus; Guillelmus, prior de Luzaico; Guillelmus, famulus.

Hoc idem annuit apud Nancriacum Radulfus, filius Brictii, et Adelelmus Capicerius, videntibus Radulfo *Barba torta,* Pagano, judice, Rainaldo.

Cart. orig., folio 45, recto; copie, p. 249.

CXXVIII.

Aimericus Petronellus de Carriciaco dat monasterio Nuchariensi omnem suam partem rerum mobilium suarum.

(C. AN. 1085.)

Notum sit omnibus Ecclesiæ sanctæ fidelibus quod Aimericus Petronellus de Carriciaco dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, ac monachis ejusdem loci, tempore abbatis Stephani, omnem suam partem suarum omnium mobilium rerum, post suum obitum ; et uxor ejus, similiter post suum obitum, et major eorum filius, similiter.

Testes ex hoc : Johannes Pelliterius ; Rainaldus Silvanus; Arnulfus Chillos ; Rotbertus, carpentarius ; Petrus, molendinarius.

Cart. orig., folio 215, verso ; copie, p. 333.

CXXIX.

Albericus dat partem candelarum quam habebat in ecclesia Sancti Patricii.

(C. AN. 1085.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quicumque Ecclesiæ catholicæ sunt filii quod Albericus, filius Rahardi, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, partem suam candelarum quam habebat in ecclesia Sancti Patricii, pro anima sua, uxorisque suæ, et filiorum suorum ; et abbas Stephanus, cujus temporibus et in cujus manu hoc donum factum est, dedit illi beneficium omnium monachorum Nuchariensis eccle-

siæ, et uxori ac filiis ejus. Hoc autem factum est in urbe Turonica, tempore Radulfi, filii Fulchradi, archiepiscopi ejusdem urbis, audientibus et videntibus Rotberto Plano; et Adraldo Vastalanda; et Arnulfo Chillo.

Cart. orig., folio 98, verso ; copie, p. 467.

CXXX.

De burgo in villa quæ dicitur Nucharius, et de quibusdam collibertis qui dantur ecclesiæ Nuchariensi.

(C. AN. 1085.)

Notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus quod Ganilo, nobilis de Nugastro, habebat quemdam burgum in villa quæ dicitur Nucharius, quem dedit Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis Nuchariensis ecclesiæ, et omnes consuetudines ejusdem burgi; et monachi dederunt illi LX solidos, et fratri ejus Cleopæ unum tapetum, et uxori ejus X solidos. Postea autem idem Ganilo, in infirmitate qua mortuus est, positus, jussit monachos jam dictæ ecclesiæ ad se venire, et in audientia bonorum virorum dedit illis capellam quæ est extra castrum Nugastri, et omnes alodos suos, quos habebat apud Nucharios, qui partiebantur cum alodis monachorum, quos mater ejus emerat a matre Thedemeri de Thethfalgia, ipsos dedit jam dictis monachis, post obitum uxoris suæ Biletæ; et ob hoc monachi eum in supradicta ecclesia juxta matrem suam cum maximo honore sepelierunt.

Testes hujus rei Ansterius, monachus; Arnaldus, monachus; Bileta, uxor ejusdem Guanilonis; Herbertus, presbyter; Garinus de Fontanellis; Oggerius, filius Ans-

terii; Arnaldus Bastardus; Gosbertus de Pictavo; Tethbaldus de Antoniaco.

Post mortem autem Guanilonis, et fratris ejus Cleopæ, habuit eorum honorem Ervisus Cabruns qui eorum neptem habebat Agathem nomine. Quæ cum viro suo, dum vix XII annis eodem honore potiretur, maxima infirmitate percussa, qua etiam diem vitæ hujus ultimum clausit, dum se morti vicinam esse cerneret, annuit jam dictæ ecclesiæ Nuchariensi omnia quæ parentes illius, maxime tamen quæ patruus ejus dederat, scilicet alodos quos supra commemoravimus. Annuerunt autem hæc omnia maritus ejus, Ervisus, et filii ejus, Rainaldus et Gosbertus, et Poslardus. Hæc etiam annuerunt Adraldus, nepos Ganilonis, et filius ejus Simon. Ervisus autem, maritus ejus, cogitans quia per ipsam eumdem honorem Ganilonis habebat, dedit pro ejus anima supra memoratæ Nuchariensi ecclesiæ Rainerdum quemdam, suum colibertum de Solongiaco, et uxorem ejus, ac filios, et alium suum colibertum Gosmarum nomine, filium Giroardi de Piro, quem ipse Ervisus redemit a Reinerdo, qui uxorem Tedevini, filii Anscherii, habebat. Ipsi enim Rainerdo dedit Ervisus in mutuationem pro Gosmaro duos colibertos, unum filiis Tedevini, et alterum Rainerdo et filiis ejus. Annuerunt autem hæc omnia filii Ervisi, Rainaldus et Gosbertus, et Poslardus, et Araldus, nepos Ganilonis, et filius ejus Simon.

Testes ex hoc Eudo de Nugastro; Oggerius, filius Ansterii; Villelmus de Alberiis; Rainaldus de Tavent, filius Marici; Garinus Sublant; Ademarus de Borna; Arnulfus Joguet; Arnulfus Chillos; Radulfus, serviens; Vauvat; Longus.

Isdem autem Rainerdus, et uxor ejus, eumdem Gosmarum abbati ac monachis, pro anima dominæ suæ

Agathis, dederunt et annuerunt, et reliquerunt, et duos colibertos in mutuationem gratanter acceperunt. Testes Roggerius Bruns; Arnulfus Chillos; Arnulfus Joguet; Rainaldus, præpositus; Radulfus Longus.

Acharias autem de Mirmanda calumniabatur eumdem Gosmarum, dicens eum esse suum colibertum per saizimentum (1). Rogatus autem ab abbate Stephano et ejus monachis, dimisit calumniam, quam in Gosmaro habebat, et annuit eum esse absque calumnia Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis. Dederunt autem abbas et monachi Achariæ xv solidos propter hoc in caritate. Testes abbas Stephanus; Lisiardus, monachus; Durandus, monachus; Urias, et frater ejus Salathiel; Arnulfus Chillos.

Cart. orig., folio 24, recto; copie, p. 337.

CXXXI.

De vinea apud Sanctum Patricium.

(C. AN. 1085.)

Quidam vir, Mainardus nomine, incola Lingacensis castri, tenebat quamdam vineam apud Sanctum Patricium, in qua rectum clamabant monachi Sanctæ Mariæ Nuchariensis, quia ipsi emerant eam tempore abbatis Andreæ, et in tempore Archembaldi Burrelli; sed Peloquinus, filius ejus, monachis eam abstulerat, et Mainardo in calumniam monachorum dederat. Monachi eamdem vineam jam dicto Mainardo semper calumniati sunt, usque ad tempus domni abbatis Stephani, cujus admonitu

(1) Saisimentum, obsignatio, manucaptio, gallice, *saiste*.

instinctus jam dictus Mainardus, medietatem ejusdem vineæ et medietatem silvæ, quæ est circa vineam, et medietatem horti, et mansionis, eidem abbati ac monachis Nuchariensis ecclesiæ dedit, et abbas et monachi calumniam, quam in alia medietate inferebant, dimiserunt, ut absque eorum calumnia medietatem aliam vineæ, et silvæ, et horti, et domus, possideret.

Testes hujus rei Matheus Rufus; Mainardus de Sancto Patricio; Ingelrannus; Hildricus; Landricus; Rainaldus et frater ejus Giraldus; Arnulfus Chillos; Rotgerius Bigot; Rainerdus de Insula; Fulchradus de Castro Adraldo; Gosbertus Crispels.

Cart. orig., folio 69, verso; copie, p. 341.

CXXXII.

De eadem vinea apud Sanctum Patricium.

(C. AN. 1085.)

Noscant præsentes et futuri quod abbas Andreas et monachi Nucharienses emerunt quamdam vineam, a quodam homine Andraudo. Hoc annuit Archembaudus Burrellus, et Amabilis, conjux ejus. Testes hujus rei fuerunt Bernerius, et Frotgerius monachus, et Bernardus Frotgerius. Postea vero Peloquinus, filius ipsius Archembaldi, calumniatus est hoc ipsis monachis, et auferens eis, dedit eam Mainardo, dapifero (1). Cognoscens autem Mainardus eam se male tenere, reliquit medietatem ipsis monachis, et Stephano abbati aliam quoque medie-

(1) Dapifer, idem qui senescallus. Officialis monasterii, idem qui alias *refectuarius*, modo *depositarius* vel *cellerarius*.

tatem vendidit ipsis, accipiens XL solidos. Annuit hoc Matheus de Breemo, et uxor ejus, et filii, accipiens inde X solidos. Annuit hoc Rotbertus de Bloio, et uxor ejus, Hersen, et filius ejus, Peloquinus. Testes hujus rei fuerunt Ganilo de Castellione, et Rotbertus de Lavardino; et Matheus de Breemo; et Benedictus de Fabrica; et Ausbertus de Valea; et Giraudus, presbyter; et Landricus, serviens; et omnis parrochia Sancti Patricii, quæ hoc vidit die dominica.

Hujus autem conventionis placitum annuit uxor Mainardi, et filius ejus; Matheus, et Bartholomæus, et Bigotus, filii ejus, et filia ejus. Postea vero Mainardus, paupertate coactus, venit ad ipsos monachos Sancti Patricii, qui ejus inopiam sustentantes usque ad mortem, eum quoque ibi sepeliverunt.

Cart. orig., folio 99, recto; copie, p. 339.

CXXXIII.

Iterum de eadem vinea apud Sanctum Patricium.

(C. AN. 1085.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quod quidam monachus, Andraldus nomine, dum esset ad Sanctum Patricium, emit vineam a quodam homine, nomine Andraldo, per annuationem Archembaldi Burrelli et uxoris ejus Amabiliæ. Testes Savaricus de Bosceia, et frater ejus Gaufridus, et Berengerius de Villana, et Bernerius major, et Frotgerius, monachus; et habuerunt monachi de Nuchariis vineam illam, absque ulla calumnia, quamdiu vixit Archembaldus Borrellus. Post mortem

autem Archembaldi, cum haberet honorem ejus filius Peloquinus, erat quidam vir apud Lingacum, Mainardus nomine, qui etiam dicto Peloquino petiit vineam illam, quam monachi emerant et habebant, promittens se ei aliquid daturum pro hac fallacia. Quod Peloquinus annuens, abstulit monachis vineam illam, dicens hoc se hac pro causa facere quia monachi non haberent monachum presbyterum ad Sanctum Patricium; accepitque Peloquinus a Mainardo pro hac rapina spatam unam (1), et unam pellitiam (2). Postea vero jam dictus Mainardus recognoscens se male egisse, et vineam se injuste habere, venit ad abbatem Stephanum, apud Sanctum Patricium, rogavitque eum ut indulgeret ei culpam, quam de vinea habebat, reddiditque abbati Stephano, et monachis, medietatem supra scriptæ vineæ in vita sua, et aliam medietatem rogavit abbatem ut ei annueret, tantum in vita sua, et post mortem Mainardi omnis illa vinea integre ad monachos possideretur, quod abbas ei eo pacto annuit.

Testes Landricus serviens; Arnulfus Chillos; Rainerdus de Insula; Ulgerius, presbyter, et Mainardus filius.

Postea vero, cogente inopia, jam dictus Mainardus medietatem illam vineæ, quam sibi retinuerat in vita sua, vendere (voluit); monachis vero contradicentibus non licere ei vineam illam vendere, eo quod eis illam vineam, post suum obitum, concessisset, respondit monachis ante se filios suos venditurum quam fame moreretur. Quod videntes monachi, et rectum esse judicantes, emerunt ab eodem Mainardo illam medietatem vineæ, quam sibi retinuerat, donantes ei XL solidos. Pro his XL solidis dedit Mainardus monachis illam medietatem vineæ

(1) Spatha, major gladius, ensis, gallice, *épée*.
(2) Pellicia, gallice, *pelisse*, vestis, indumentum pellibus factum.

de qua loquimur, et silvulam quæ erat juxta vineam, et hortum, et salices. Hoc autem donum et hanc annuationem fecit Mainardus die dominica coram parrochia, annuentibus filiis ejus Matheo, Bartholomæo et Bigotello. Hoc autem viderunt et audierunt Ganilo de Castellone; Rotbertus Planus; Matheus Gisleberti; Albertus Esperuns; Albertus de Valeia; Benedictus de Forgis; et multi alii viri et feminæ de parrochia.

Postea vero ad tantam Mainardus venit inopiam, ut nullus vellet eum in sua domo recipere; venit ad Sanctum Patricium, rogavitque monachos ut, pro amore Dei, illum in eleemosynam suam reciperent, quod monachi libenter fecerunt, et a Pascha usque ad festivitatem sancti Dionisii, in omnibus quæ necessaria fuerunt, eum procuraverunt, et post mortem ejus de suis eum sepelierunt pannis, et in suo cimiterio eum tumulaverunt, et in die tumulationis ejus annuit hæc omnia filia ejus; et Durandus monachus dedit illi XII denarios, audiente Giraldo, presbytero; Landrico Serium; Arnulfo, fabro.

Annuit hæc omnia Poloquinus, filius Poloquini, dominus Insulæ, audiente Ivone de Sezine, et Normanno, fratre ejus, et Effredo Picherio. Annuit hoc Matheus de Silva Aimonis, et filius ejus Paganus, et uxor ejus Mahaut; et Durandus monachus dedit ei X solidos propter hoc; Peloquino vero dedit V solidos. Quando autem primum vinea ista empta est a monachis, calumniatus est eamdem vineam monachis Rotbertus de Bloio, qui matrem Peloquini habebat uxorem, et Peloquinum et honorem ejus habebat in custodiam. Monachi vero volentes cum eo de hoc placitare, acceperunt consilium ab amicis suis, laudaverunt eis ne unquam cum tam forti viro placitarent. Monachi vero adquiescentes consilio amicorum, petierunt concordiam a Rotberto, dederuntque ei XI so-

lidos pro hac concordia, et uxori ejus v solidos, et Peloquino quinque solidos.

Testes Guillelmus de Riparia; Normannus de Sisinniaco; Effredo Picherio.

Cart orig., folio 100, verso; copie, p. 343.

CXXXIV.

Emptio a monachis Nuchariensibus domus, vinearum, nemoris et horti a Mainardo, senescalco de Langaicis, ad caput ecclesiæ Sancti Patricii.

(C. AN. 1085.)

Notum fieri volumus memoriæ fidelium tam posterorum quam præsentium, quod monachi de Sancto Patricio, scilicet Durandus et Fulcradus, emerunt a Mainardo, senescalco de Langaicis, medietatem cujusdam vineæ, et partem nemoris, et medietatem horti, quæ omnia habebat cum eisdem monachis ad caput ecclesiæ Sancti Patricii. Dederunt autem jam dicti monachi Mainardo, sub æstimatione pretii XL solidos; et uxori ejus dedit domnus abbas Stephanus beneficium loci. Annuerunt autem hoc tres filii eorum, et filia, et Matheus Gislebertus, cujus erat census vineæ, et uxor ejus, et filii, et filia, qui habuerunt quinque solidos et venditiones vineæ.

Ii sunt testes, qui biberunt de vino emptionis: Engerrannus, et quatuor filii ejus; Lambertus, sutor; Garnerius, filius presbyteri; Gauterius de Valle; Stephanus Millat; Archembaldus, bubulcus monachorum, et Aems, bubulcus monachorum.

Cart. orig., folio 99, verso; copie, p. 245.

CXXXV.

De ecclesia apud Marciacum.

(C. AN. 1086.)

Hugo Garnaudi, et Champius, frater ejus, dederunt Deo et monachis de Nuchariis, quicquid habebant in ecclesia apud Marciacum in fedio sacerdotali, et dimidiam partem cujusdam terræ ad ipsum fedium sacerdotale pertinentis, de qua terra sacerdos ecclesiæ habebat medietatem. Dederunt etiam et pratum in duobus locis, quod ipsi monachi haberent sine parte alicujus.

Testes sunt : Achardus, præpositus ; Natalis ; Rainaldus, filius Fulcherii de Maximiaco.

Cart. orig., folio 107, recto; copie, p. 347.

CXXXVI.

De terra apud Antoniacum et alia terra apud Salvaticum.

(C. AN. 1086.)

Notum sit omnibus catholicis viris quod Alexander de Noviastro dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis ejusdem loci, pro uxore sua mortua, totam terram quam habebat ad Antoniacum, unde erat præpositus Tebbaldus de Antoniaco, q am etiam cum eadem uxore sua acceperat. Lonus autem, pater uxoris Alexandri, dedit similiter Sanctæ Mariæ, ejusque monachis, pro filia sua, terram quam habebat prope Salvaticum, juxta vineam monachorum, annuente uxore sua, et filio, cui una libra

panis, id est *micha*, data est in testimonium. Annuit autem Lonus, uxor ejus, et filius, quæ Alexander dederat ad Antoniacum; et Alexander annuit quæ Lonus dedit ad Salvaticum.

Testes Sulio Arremers; Aimericus de Escuilio; Guillelmus de Alberiis; Arnulfus Chillos; Radulfus; Humbertus, coquus.

Cart. orig., folio 114, verso; copie, p. 349.

CXXXVII.

Nobilis matrona, Odila nomine, dat terram, quæ dicitur Cantat-Gallus, apud castrum Fugiæ.

(C. AN. 1086.)

Quædam nobilis matrona, Odila nomine, uxor Ivonis de Tavento, apud Insulam morabatur, quæ, infirmitate superveniente, morti propinquanti cupiens esse parata, fratrum Deo servientium orationibus se studuit humiliter commendare, de rebus suis, scilicet de terris vel facultatibus suis ecclesiis distribuens. Habebat autem quamdam terram, proximam castro Fagiæ, quæ dicitur Cantat-Gallus (1), quam Deo et Sanctæ Mariæ, et ecclesiæ Nucariensi dedit, terram cultam et incultam, et prata, et silvas, et rupem, et mansiones domorum, et vicariam, et omnes consuetudines. Nullus enim homo aliquam consuetudinem habebat, nisi ipsa, et filii ejus. Post mortem autem ejus, venerunt filii ejus, Aimericus et Girardus, Nucharios, ibique in conventu fratrum intrantes, beneficium ejusdem loci ab abbate et monachis

(1) *Chant-du-Coq* (D. FONTENEAU), seu potius *Chantejeau*.

acceperunt, eisque donum matris suæ annuerunt, augentes eleemosynam matris suæ; nam olcha, quam monachi habebant juxta Sanctum Egidium, apud Insulam, de eorum fedio erat, et ipsam Deo ac monachis annuerunt, et vicariam, et omnes consuetudines, quas in ea habebant, eis dederunt.

Testes ex hoc Goscelinus de Bosceia; Gaufridus Malagarda; Arnulfus Chillos; Marricus de Mota; Tedevinus; Sulio, homo Savarici.

Cart. orig., folio 214, verso; copie, p. 351.

CXXXVIII.

Sophia, mater Adelelmi Cauda Vaccæ, *dat monasterio Nuchariensi terram inter Campum Landricum et alodum Guanilonis, et aliam terram, quæ dicitur Campus Guiberti.*

(C. AN. 1086.)

Notum fieri volumus tam præsentibus quam futuris quod mater Adelelmi *Cauda vaccæ*, in infirmitate posita, extremum sui exitus diem beneficiis et eleemosynis cupiens præmunire, et ut sibi clemens adesset Dei præsentia, dedit Deo et ejus sanctæ Dei Genitrici et monachis Deo in Nuchariensi cœnobio almæ Dei Genitrici famulantibus, pro redemptione animæ suæ, de sua terra, terram quam habebat inter Campum Landricum et alodum qui fuit Guanilonis, quæ incipit in via, et durat usque in pratum, et aliam terram, quæ dicitur Campus Guiberti, et incipit a via quæ ducit ad Pilas et durat usque in medium fluminis Vigennæ, partem etiam aquæ, quæ in illa terra est.

Hoc autem annuerunt Adraldus, maritus ejus, et

omnes filii ejus, et filiæ, scilicet Adelelmus, Urias, atque Salatiel, filii Bernardi *Cauda vaccæ*, primi mariti ejus, et filii Adraldi, tunc temporis mariti ejus, Simon et Adelardus Bardonus, et Jacobina, filia Adraldi. Hanc autem annuationem fecerunt hi omnes, vivente adhuc matre, et in infirmitate qua mortua est decubante, multis adstantibus. Postea vero in capitulo Nuchariis, adstante conventu monachorum, vidente Guidone de Nevernis et Oggisio de Pictavis, et multis aliis, præsente abbate. Tertia vice, præsente domno abbate Stephano, supra memorati cœnobii patre, et cuncto conventu, hoc annuerunt et sua signa in hac carta fecerunt, multis testibus in præsentia adstantibus, quorum hæc sunt nomina: Goffridus de Monte Satiro; Daniel; Durandus; Guillelmus de Esculo, filius ejus; Aimericus, et frater ejus Johannes; Ingelgerius; Arnulfus Chillos; Girardus Busels; Gaufridus Mala Garda; Andreas de Moncels; Benedictus, præpositus; Aimericus Pastuns; Bernardus Malum servitium; et Raimundus, frater ejus.

† Signum Adraldi.
† Signum Simonis, filii Adraldi.
† Signum Adelelmi.
† Signum Uriæ.
† Signum Salatiel.

Cart. orig., folio 23, recto; copie, p. 353.

CXXXIX.

De Guillelmo, filio Hugonis de Sancta Maura, qui mortuus est in Guasconia et sepultus in cœnobio Nucharicnsi.

(C. AN. 1087.)

Secundum fidem apostolicam credunt omnes catholicæ Ecclesiæ filii Dominum Jesum Christum advocatum se habere apud Dominum Patrem, et eumdem esse propitiationem pro peccatis suis. Ipse enim interpellat pro eis gemitibus inenarrabilibus. Qui sicut per Incarnationis suæ mysterium esse voluit mediator Dei Patris et hominum, ita inter se et peccatores voluit esse mediatores et intercessores sanctos suos, ut qui jam cœleste regnum merito perfectioris vitæ sunt adepti, peccatoribus misericordiam petentibus, suis intercessionibus veniam ab ipso impetrent. Quos omnes super excellit, omni luce virtutum exaltata super choros angelorum, ejusdem Domini nostri Jesu Christi Genitrix Virgo Maria, per quam salus et redemptio omnibus, et per quam Evæ culpa clausa Paradisi porta, reserata est. Quam licet credamus omnium piam dilectricem fidelium, filio suo credentium, tamen ipsa referente didicimus, quæ cum cuidam ad pœnitentiam converso et per eam misericordiam filii expetenti, se visendam præberet, dixit: se omnes christianos diligere; plus tamen sibi servientes, seque venerantes, et sua subsidia poscentes, se diligere professa est.

Hujus sanctæ promissionis non immemor, quidam juvenis, filius unius ex nobilissimis principibus Turonorum, Hugonis scilicet de Sancta Maura, Guillelmus

nomine, cum esset nobilis natu, optimis moribus et probis actibus decoratus, duci Aquitanorum valde carus, et in ejus familia, tam ab ipso duce quam a cunctis valde dilectus. Dum ab eodem duce obsideretur quoddam castrum in Guasconia, et esset cum eo isdem Guillelmus, cœpit valde infirmari, et cum jam proximum se esse cerneret morti, rogavit ducem ut se sineret transferri ad patriam, et hominibus patris sui præcepit quia pater ejus longe aberat, nec cum eo loqui poterat, et ultra eum jam vivum non erat visurus, saltem corpus exanime illi deferrent, et in ecclesia sanctæ Dei Genitricis, quæ vocatur Nucharius, illud tumularent, ubi mater ejus sepulta fuerat, sperans se orationibus sanctæ Virginis Mariæ misericordiam a Deo consecuturum, imitans patriarchas Jacob et Joseph, qui corpora sua de Egypto in terram ubi nasciturum Dominum esse credebant transferre jusserunt. Erant autem duo nobiles viri cum eodem, ex familiaribus patris sui, Gosbertus, filius Aitildis de Prulliaco, et Gaudinus, filius Gaufredi Peloquini de Sancta Maura, quibus ultimum vale dicens ait : « Ego morior; corpus meum ad ecclesiam Sanctæ Mariæ de Nuchariis deferte; et ibi juxta matrem meam tumulate; et abbatem et monachos ut pro me exorent, rogate. Et ego Guillelmus do eidem ecclesiæ Nuchariensi, in honore sanctæ Dei Genitricis constructæ, omnem ecclesiam quæ dicitur Parilliacus, ante Cainonem castrum, sicut Johannes de Cainone dedit eam patri meo cum matre mea, ita concedo eidem Nuchariensi ecclesiæ; et sicut pater meus Hugo eamdem ecclesiam Parilliacum hactenus tenuit, ita teneat Nuchariensis ecclesia, pro anima mea et matris meæ, et partem porti de Pilis quam reclamabant monachi, illis relinquo, et patri meo ut hæc annuat, mando, et ut plus augeat, rogo. »

Hoc dicto, ultimum diem clausit in pace. Ejus jussa Gosbertus et Gaudinus complentes, per longa terræ spatia ad jam dictam Nuchariensem ecclesiam corpus ejus detulerunt. Pater autem ejus Hugo, hæc audiens, tristis effectus, corpus nati cum mandatis quæ mandaverat suscipiens, flexus ad misericordiam, antequam filii corpus tumularetur, venit ante altare sanctæ Dei Genitricis Mariæ, in jam dicta Nuchariensi ecclesia, astantibus et audientibus Radulfo, Turonum archiepiscopo, et Lisivo, decano Sancti Mauricii, et Alberico cancellario, cum Roberto cellerario, et aliis canonicis, et dixit: « Ego, Hugo de Sancta Maura, do Deo et Sanctæ Mariæ et monachis istius ecclesiæ omnem ecclesiam quæ dicitur Parilliacus, et sepulturam, et omnem decimam illius parrochiæ, de annona et de vino, et de pecoribus, sicut Johannes de Cainone dedit eam mihi cum matre Guillelmi, ita eam do pro anima filii mei huic ecclesiæ possidendam, et monachis istius loci. Do eis adhuc ad Sanctam Mauram terram ad ecclesiam construendam in honore sancti Michaelis, et terram ad burgum faciendum, et omne quod datum fuerit eidem ecclesiæ Sancti Michaelis, tam in oblationibus, quam in sepulturis et datis, annuo monachis istius loci possidendum, et partem quam habeo in porto de Pilis. Hæc omnia isti ecclesiæ et monachis istius loci trado possidenda. »

Hoc donum Hugonis de Sancta Maura annuit ecclesiæ Nuchariensi Turonis archiepiscopus Radulfus, audiente Petro, decano Sancti Martini, et Lisivo, decano Sancti Mauricii, et Alberico cancellario, et Roberto cellerario, et Ysembardo canonico. Testes etiam domnus Hugo de Sancta Maura, cujus rogatu archiepiscopus hoc annuit, et Arnulfus Rogebec; et Achardus Mestivers; et Gaufridus Malranni; et Gaufridus Peloquinus; et Lohos, et multi alii.

Adfuit ibi, id est ad sepulturam Guillelmi, patruus ejus domnus Aimericus, cognomento Paganus, filius Johannis de Cainone, qui rogatus ab Hugone et ab abbate Stephano annuit libenter dicens : « Ego, Paganus, do et annuo huic ecclesiæ Sanctæ Mariæ Nucharіensi omnem ecclesiam quæ vocatur Parilliacus, et omnem decimam annonæ et vini, sicut nepos meus Guillelmus eam dedit, et sicut pater ejus Hugo dedit et annuit, ita et ego Paganus huic Nucharіensi ecclesiæ annuo possidendam pro sorore mea et nepote hic sepultis. » Testes qui hoc audierunt : Radulfus, archiepiscopus; Petrus, decanus; Bartholomæus, dominus Insulæ; Ervisus Cabruns; Galterius Poteruns; Gaufridus Savaricus; Gaufridus Peloquinus; Gaufridus Malranni; Gaufridus Folium; Arnulfus Rogebec; Hugo Garnaldi; Salamatha et frater ejus Gosbertus; Ingelgerius, vicarius.

Post tumulationem autem filii sui, venit domnus Hugo in capitulum supradictorum monachorum, cum uxore sua et melioribus viris Sanctæ Mauræ, et in conspectu omnium reiteravit dona sua dicens : « Ego, Hugo, do Deo et Sanctæ Mariæ et huic Nucharіensi loco ecclesiam quæ dicitur Parilliacus, cum sepultura et omni decima, et ad Sanctam Mauram terram ad construendam ecclesiam in honore sancti Michaelis, et tres arpennos vineæ, inter ecclesiam et castrum, ad burgum faciendum. De illis autem hominibus quos ibi attraxerint ad habitandum tam de aliis parrochiis, quam de parrochia Sanctæ Mauræ, do monachis Sancti Michaelis omnem et omnes consuetudines, et sint liberi ab omni servitio, et non pergant in hostem, nec in banno, nec in excubias, nec in chavalghias (1), excepto si necesse fuerit ad pugnam cum do-

(1) Chavalcata, gallice *chevauchée*, equitatio ad quam tenebantur vassalli, cum dominus feodalis pergebat in exercitum.

mino castri ibunt; et si aliquod receptum contra Sanctam Mauram factum fuerit, ad illud expugnandum cum domino castri ibunt. Ad hæc etiam do ecclesiæ Sancti Michaelis, inter forestam Sancti Martini et forestam de Sancta Maura, tantum terræ quantum possunt excolere quatuor boves omni tempore, et decimam vinearum et earum quæ sunt extra trencheas (1), et decimam vinearum suarum quæ fuerunt Isembardi, presbyteri, et tres arpennos prati in valle Guldoris. Do etiam memetipsum huic Nuchariensi ecclesiæ, et si monachus esse voluero, in alio monasterio monachus non sim nisi in isto. Et si laicus obiero, juxta filium meum corpus meum sepeliatur. »

Hæc dona et verba Hugonis annuit uxor ejus Adenordis, et semetipsam in ecclesia eadem tumulandam esse annuit, si ante sanctimonialis non esset. Hæc etiam omnia annuerunt Goscelinus et Hugo, filii eorum.

† Signum Radulfi, archiepiscopi.
† Signum Hugonis de Sancta Maura.
† Signum Pagani.
† Signum Aldènordis.
† Signum Goscelini.
† Signum Hugonis.
† Signum Orrici de Bello Pratello.
† Signum Aldeburgis, uxoris Orrici.
† Signum Hugonis, filii Orrici.
† Signum Amelinæ, filiæ Orrici.

Testes ex hoc : Gaufridus Peloquini; Arnulfus Rogebec; Lohot; Gaufridus Malranni; Radulfus de Fontanellis; Ingelgerius; Ervisus Cabruns; et filii ejus Salematha et Gosbertus; Salathiel; Guillelmus de Bro; Jacobus; Sulio; Guicherius, presbyter; Arnulfus Chillos; Stepha-

(1) Trenchea, fossa, gallice *tranchée*.

nus Chillos; et filii ejus Stephanus et Barbota; Radulfus, serviens; Tedevinus; Guarinus de Airio; Gaufridus de Marciliaco.

De auctoramento domni Orrici et uxoris ejus, et filii ejus ac filiæ, testes sunt ii: Hugo de Monte Johannis; Guillelmus, filius Ulgerii; Radulfus Canutus; Rainaldus Beguinus; Gaufridus de Bosco; Guichardus, filius Mathei; Olbertus Popinus; Guillelmus, filius Thealdi; Tetbaldus de Avaresma; Aimericus de Moalgia. Ii ex parte Orrici de Bello Pratello. Ex parte abbatis et monachorum testes sunt ii: Odo, monachus; Galterius; Gaudinus et Rainaldus. De famulis, Hubertus; Rentnulfus; Bernardus; Morchenus; Petrus.

Cart. orig., folio 133, verso; copie, p. 209.

CXL.

Terra in parochia quæ dicitur Nancret, donatur monachis Nuchariensibus pro anima Guillelmi de Sancta Maura.

(C. AN. 1081.)

Notum sit omnibus Ecclesiæ catholicæ filiis quod Gaufridus Marranni dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis Sanctæ Mariæ de Nuchariis, pro anima Guillelmi domini sui de Sancta Maura, omnem terram quam habebat in parrochia ecclesiæ quæ dicitur *Nancret*, cultam et incultam, et hospites et omnia quæ ibi habebat, annuentibus fratribus suis Guillelmo et Archembaldo.

Testes: Robertus de Blo; Ferbot, nepos ejus; Girardus, filius Ivonis; Marricus de Mota; Radulfus, pictavinus; Arnulfus Chillos.

Cart. orig., folio 83, recto; copie, p. 237.

CXLI.

Decima de Choignas, in parochia ecclesiæ quæ dicitur Rilliacus.

(C. AN. 1087.)

Stephanus de Liners dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis Nuchariensis ecclesiæ tempore abbatis Stephani, decimam quam habebat in parrochia ecclesiæ quæ dicitur Rilliacus, quæ dicitur Choignas, pro amore Dei, et pro anima sua omniumque suorum parentum. Annuit autem hoc uxor ejus, et filius uxoris ejus Maginardi Sudariæ. Abbas autem et monachi pro remuneratione dederunt ei et uxori illius beneficium Nuchariensis ecclesiæ.

Testes ex hoc Ainardus de Carriciaco; Bartholomæus *Viva rabies;* Hugo de Carriciaco; Hubertus de Carriciaco; Arnulfus Chillos; Christoforus, vicarius.

Annuit autem hoc Vivianus Brochardus de Nugastro, de cujus fedio eadem decima erat, et uxor ejus, et filius; et abbas dedit ei v solidos, et uxori ejus unam murenam, et filio ejus unam biscoctam (1).

Testes: Ervisus Chabruns; Guillelmus de Albers; Arnulfus Chillos; Aigardus de Cella; Firmatus de Cella.

Cart. orig., folio 144, recto; copie, p. 359.

(1 Gallice *biscuit*.

CXLII.

Liberi ab omni consuetudine sunt monachi Nucharienses si quid emerint aut vendiderint apud Insulam.

(C. AN. 1087.)

Hoc donum fecit domina Girberga de Insula, et filius ejus Burchardus, Deo et monachis Sanctæ Mariæ Nuchariensis, ut si quid apud Insulam, vel emerimus, vel vendiderimus, liberi simus ab omni consuetudine, audientibus infra scriptis testibus : Goscelino de Sancta Maura ; Goffrido Gumpherio ; Hugone, filio Ulrici.

Cart. orig., folio 117, recto ; copie, p. 361.

CXLIII.

De terra Crulliaci.

(C. AN. 1087.)

Omnium in hujus mundi mortalitate venturorum, præteritorum notitiam habere desideraturorum, memoriæ litteris servandum est, quod Bartholomæus, Insulæ dominus, dedit Deo et Sanctæ Mariæ Nucariensi, ejusdemque monachis omnem consuetudinem et super missuram quam habebat in terra Crulliaci, excepta uxore cujusdam rustici, nomine Ramerii, quam suam dicebat esse collibertam. Annuit autem hoc conjux ejus, domina Girberga, et filia eorum Dangerosa. Unde dederunt eis supra scriptæ Mariæ monachi LXX solidos nummorum, domino scilicet LX, et dominæ X, puellæque duos nummos.

Hoc autem factum est sub ulmo plateæ, quæ est ante turrim Insulæ, videntibus et audientibus viris quorum nomina subscribuntur : Effredus, canonicus Sancti Georgii Fagiæ, qui ipsam terram dederat monachis ; Goffredus Adelelmi ; Goffredus Rufus ; Philippus ; Effredus Pigerii ; Brictio ; Radulfus Baschers ; Arnaldus Bonins ; Arnulfus ; Rainerdus ; Bernardus Peterus.

Cart. orig., folio 110, recto ; copie, p. 363.

CXLIV.

Oda Parva, nobilis femina de Haia, dat alodos quos habebat ad Bosnaicum.

(C. An. 1087.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quod quædam nobilis femina de Haia, Oda Parva nomine, soror Gaufridi Peloquini, in infirmitate posita, mandavit ad se venire abbatem Stephanum de Nuchariis, qui venit ad eam die festivitatis sancti Johannis, deditque ei memorata mulier, ac monachis supradicti loci, omnes alodos quos habebat ad Bosnaicum, et colibertos, qui in eisdem alodis erant, et de eis orti erant, et propter hoc jam dictus abbas et monachi in suo eam cimiterio honorifice tumulaverunt. Annuerunt autem hoc duo filii ejus, Girardus et Rainardus, prior apud Haiam in cellerario subterraneo, in domo matris suæ, et postea apud Nucharios die tumulationis ejusdem suæ matris.

Testes hujus rei : Ivoardus, presbyter ; Rainaldus Bonellus ; Gaufridus Peloquinus ; Ingelgerius de Nuchariis ; Arnulfus Chillos ; Tedevinus.

Cart. orig., folio 215, verso ; copie, p. 365.

CXLV.

De quadam olca terræ apud S. Egidium de Insula.

(C. AN. 1087.)

Notum sit omnibus quod monachi Sanctæ Mariæ de Nucariis emerunt quamdam olcam terræ apud Insulam, juxta Sanctum Egidium, a Rainaldo de Balneolis, et uxore ejus, filiastre ejus adhuc puero. Qui postquam ad ætatem venit, quamvis puer annuisset, eamdem olcam monachis calumniatus est tamdiu quousque monachi dederunt ei xv solidos, et tunc illis annuit olcam, et tertiam partem vicariæ de eadem olca, quæ sua erat.

Annuit autem hoc Rainelmus, filius Burcardi, de quo ipsam tertiam partem vicariæ tenebat. Testes : abbas Stephanus ; Ansterius et Galterius, monachi ; Gaufridus Savarici ; Arnulfus Chillos ; Tedevinus ; Rainerdus, famulus.

Cart. orig., folio 114, recto ; copie, p. 367.

CXLVI.

De terra ad Draichiacum.

(C. AN. 1087.)

Rainaldus juvenis, de Nuiastro, dedit quamdam terram quam habebat ad Draichiacum, Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, pro quodam filio suo, nomine Adraldo, qui in eadem ecclesia erat monachus. Post multum vero temporis, tempore abbatis Stephani, invasit eamdem terram quidam homo, Natalis nomine, de Drai-

chiaco, voluitque probare eamdem terram lege judicii se recte habere. Cumque paratum esset judicium, congregatis ad hoc placitum multis hominibus, venit jam dictus Natalis in capitulum monachorum Nuchariensium, et ibi coram multis hominibus dimisit eamdem terram quictam ac liberam absque ulla calumnia abbati ac monachis. Postea vero abbas Stephanus ac monachi medietatem ejusdem terræ dederunt eidem Natali in fedium, tali convenientia, ut nullum exinde servitium reddat, nisi hoc tantum quod homo erit abbati, et de eo medietatem supradictæ terræ in fedium habebit, et aliam medietatem in dominium habebunt monachi, et propter hoc monachi in suo cimiterio eum sepelient.

Testes : Ervisus Cabruns; David Buca; Odo *Centum solidos*; Adelelmus *Cauda vaccæ*; Guillelmus de Aubeers; Rotgerius Brunus; Stephanus Chillos; et frater ejus Arnulfus; Radulfus Gaufridus ; Giraldus Busellus ; Bernerius; Arduinus Turbatus ; et frater ejus Christianus.

Cart. orig., folio 53, verso; copie, p. 369.

CXLVII.

Stephanus abbas et Otbertus de Monticulo concordant de quadam terra.

(C. AN. 1087.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris fidelibus Ecclesiæ quod monachi Nucharienses habebant querimoniam contra Otbertum de Monticulo, de terra Gaufridi, cognomento *Pila vicinum*, quam isdem Gaufridus monachis dimiserat, et monachi ab ipso sibi datam affirmabant; sed e contra Otbertus dicebat Gau-

fridum non posse dare terram suam, quia ipsi prius eam dederat, cum filia sua, insuper et ab ipso Gaufrido dicebat se emisse omnem ejus terram. Postea vero, congregato generali placito, voluit Otbertus probare judicio quod monachi nihil recti haberent in terra Gaufridi; sed abbas Stephanus, cujus tempore hoc judicium agebatur, et monachi qui cum eo erant apud Insulam, perpendentes non esse bonum de tali viro legem judicii accipere, cum consilio bonorum virorum et suorum amicorum venerunt ad concordiam cum eo tali modo, exceptis aliis rebus, quas ante annuerat, pro anima supra memorati Gaufridi; nam olcas terræ, et pratum ad molendinum monachorum, quod fuerat Haimonis, annuerat; exceptis his, dimisit illis Otbertus vineam totam quæ est super ripam Vigennæ, et olcam quæ est juxta, in dominium, et alia retinuit, id est viridarium et trillam (1) vineæ, et olcam, tali convenientia, ut ipse teneat de monachis, et illis censum reddat de viridario et trilla, et quoad olcam, ut monachi censum reddant domino, de cujus fedio est.

Testes hujus rei : abbas Stephanus; Ansterius et Galterius, ejus monachi; Gaufridus Savarici; Gaufridus Berardus; Germanus, presbyter; Rotbertus, presbyter; Chotardus; Herbertus Mansels; Hubertus Dosils; Arnulfus Chillos; Rogerius Bigoth; Rainerdus; Godefredus; Bernerius.

Cart. orig., folio 115, verso; copie, p. 371.

(1) Vinea trichilis suffulta, vel clathris inclusa, gallice *treille*.

CXLVIII.

De donis antea factis ab Aimerico de Fagia.

(C. AN. 1087.)

Notum sit omnibus quod Aimericus de Fagia dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis quidquid inter Fagiam et Nucharios de suo honore et de suo fedio eis donatum fuerit, pro anima patris sui et matris, suaque, et omnium suorum parentum, et præcipue quidquid Savaricus de Bosceia (dederat) de fedio suo, quod habet inter Fagiam et Nucharios. Et hoc donum annuit Aimericus Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, abbati Stephano, et monachis de Nuchariis, videntibus testibus, quorum hæc sunt nomina : abbas Stephanus; Alo, monachus; Galterius, monachus; Lisierdus, monachus; Guillelmus de Malla; Ebrardus de Curzaico; Fulco de Altis Ripis; Rainaldus de Coimei. Et his videntibus posuit ex hoc donum super altare Sanctæ Mariæ.

Cart. orig., folio 31, verso; copie, p. 373.

CXLIX.

Ribotellus de Haia dat apud Mantelonem tantum terræ quantum duo boves possunt excolere.

(C. AN. 1087.)

Notum sit omnibus quod Ribotellus de Haia dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, apud Mantelonem tantum terræ quantum possunt duo boves

excolere duabus messionibus, id est hiemalium et estivalium, pro anima patris sui et matris suæ et sua, suorumque omnium parentum. Annuerunt autem hoc mater ejus, et fratres, Andreas, Hugo et Hubertus.

Testes ex hoc Hugo Garnaldi; Lohos; Goscelinus de Mosei; Ridellus; Guillelmus de Guircha; Guido Engelerii.

Cart. orig., folio 77, recto; copie, p. 307.

CL.

De ecclesia Sanctæ Mariæ apud Castrum Adraldi.

(C. AN. 1087.)

Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ fidelibus quod quidam vir nobilis de Castro Araldi, Ademarus nomine de Cursai, in infirmitate positus, antequam moreretur mandavit ad se venire abbatem Stephanum de Nucariis, eique eleemosynam suam commendavit, et ad Nucariensem ecclesiam se deportari fecit, ibique factus monachus dedit eidem ecclesiæ Nucariensi, et monachis ejusdem loci ecclesiam quamdam quam habebat ad Castrum Adraldi, in honore Sanctæ Mariæ constructam, prope ecclesiam Sancti Romani sitam, et terras, et omnia eidem ecclesiæ pertinentia, post obitum Petri Galterii, Pictavensis archidiaconi, et fratris ejus clerici, qui in vita sua tantum eam habebant. Annuit autem hoc uxor ejus Arsendis, et duo filii ejus, Guillelmus et Adraldus.

Testes ex hoc Aimericus, proconsul, et mater ejus; Helias de Calviniaco; Fulbertus de Luiens; Galterius Poteruns; Rainaldus Gosmari. Annuerunt autem hoc Aimericus, proconsul, et Boso, frater ejus, audientibus

Helia de Calvinniaco, et Fulberto de Luiens et Johanne de Tuscha.

Cart. orig., folio 193, verso ; copie, p. 377.

CLI.

De placito apud Sanctam Mauram et Dei judicio.

(C. AN. 1087.)

Archembaudus Longus de Nuiastro dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, tempore Andreæ abbatis, omnia sua prædia et omnia sua empta, et molendinum de Grautel, post suum decessum. Sed molendinum in vita sua eis reliquit, et piscariam post suum obitum. Calumniatus est autem molendinum et cætera omnia, post mortem ejus, Gaufridus Malrannus, nepos ipsius Archembaldi, dicens sibi ab Archembaldo patruo suo omnia sua empta sibi esse data, priusquam monachis. Ob hoc generali placito apud Sanctam Mauram inter ipsum et monachos congregato, adhibuerunt contra eum testes abbas Stephanus et monachi, qui de dono Archembaldi testes erant, ex quibus Rainaldus Chillos, et Herbertus, coquus. Quorum unus, id est Herbertus, coquus, totus fuit in stagno (1) ad Sanctam Mauram, et indutus alba ad judicium portandum, hoc volens jurare et probare uno anno et uno die Archembaudum sua empta, et prædia, et molendinum monachis prius dedisse, quam Gaufridus Malrannus natus fuisset, et hoc se vidisse et audisse. Hoc testabatur Rainaldus Chillols, et advocariam (2) suam abbati ex hoc dedit, coram porta eccle-

(1) Sedes, sedile.
(2) Probatio ducta ex testium confessione.

siæ Sanctæ Mauræ, cunctis qui ad judicium convenerant intuentibus et audientibus, vidente Savarico de Bosceia, et Goscelino nepote ejus, et Gausberto parvo, et Goscelino, arbalistero, et Achardo Mestivero, et Lone de Lucas, et Gosberto Coral; et his præsentibus, jam dictus Rainaldus Chillols, jussu abbatis Stephani, filio suo Arnulfo Chillols advocariam suam ex hoc dedit. Sed Gaufridus et mater ejus, nolentes judicium accipere, inito inter se consilio, annuerunt molendinum monachis, acceptis ab abbate xx solidis.

Testes hujus rei : Hugo de Sancta Maura; Gaufridus Peloquinus ; Odo *Centum solidos* ; Lonus de Lucas ; Achardus Mestivers; Adelelmus *Pugna vicarium;* Rotbertus de Valentiaco; Goscelinus, arbalisterius; Gosbertus parvus; Goscelinus de Sepons; Arduinus Turbatus.

His et multis aliis audientibus, annuit hoc Hugo de Sancta Maura, de cujus fedio molendinum erat.

Cart. orig., folio 49, verso ; copie, p. 379.

CLII.

Sclusa de Rupe.

(C. AN. 1087.)

Notum sit omnibus quod Adelardus, filius Huberti de Rupe, in infirmitate positus, proposuit de suis rebus aliquid dare Nucharіensi ecclesiæ; sed quod omnino pauper erat, nec aliud dare poterat, nisi suam partem sclusæ de Rupe, ipsam suam partem sclusæ de Rupe dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, tali convenientia, ut eum monachi in suo cimiterio sepelirent.

Quod monachi devotissime fecerunt. Annuit autem hoc uxor ejus, et filii.

Testes Albertus, monachus; Arnulfus Chillols; Niva, uxor Popo.

Cart. orig., folio 27, recto, copie, p. 381.

CLIII.

De duabus lampadibus, perpetuo ardentibus, quas dederunt Hugo Goscelinus et Joannes de Tuscia, ex villa quæ dicitur Drachiacus.

(C. AN. 1087.)

Præsentibus litteris signare curavimus donum Hugonis Goscelini, et privigni ejus Johannis de Tusca (1), quod dederunt Sanctæ Mariæ Nuchariensi, pro animabus suis, et pro anima Fresendis, uxoris ejus Hugonis, pro qua monachum unum recepimus. Hugo Joscelinus, de reditibus quos habebat in villa quæ vocatur Drachiacus, stabilivit ante altare perpetuæ Virginis luminare indeficiens, id est, lampadem jugiter die ac nocte ardentem, concedente Petro, filio ejus, quem ejusdem honoris reliquit heredem. Johannes autem pro anima ejusdem Fresendis, matris videlicet suæ, lampadem unam in dormitorio nostro perpetualiter instituit, nocturnis tantum horis ardentem.

Testes utriusque donationis fuerunt Aimericus de Tusca; Fulcherius de Saeriis; Giraldus de Polgie; Durandus de Cruce; Natalis; Urricus, presbyter.

Cart. orig., folio 28, verso; copie, p. 383.

(1) De la Touche (D. FONTENEAU).

CLIV.

De vineis quas calumniabatur Landricus, sutor, de Nugastro.

(C. AN. 1088.)

Notum sit omnibus Ecclesiæ fidelibus quod Landricus, sutor, de Nugastro, calumniatus est domno abbati Stephano, ac monachis Nuchariensis ecclesiæ, vineas et terras de Belloaco, quæ sunt inter Nugastrum et Nucharios, voluitque eas, sicut ei judicatum fuerat lege judicii, sibi approbare. Cum autem venisset usque ad jusjurandum et ferendum judicium, et videret obstinatos esse animos monachorum ad recipiendum judicium, timens ne ob exheredationem ejusdem ecclesiæ, cui rectitudinem (1) suam auferre volebat, sancta Dei Genitrix ei esset impedimento, necnon et jusjurandum verbi Dei et reliquiarum ejusdem ecclesiæ expavescens, noluit ferre judicium; sed vineas et terras, unde erat querela, abbati ac monachis possidendas reliquit. Abbas autem Stephanus et monachi ei medietatem earumdem vinearum et terræ, in vita sua, et post mortem illius, uni solummodo de tribus heredibus suis, sive sit filius, sive filia, quem ipse elegerit heredem, eamdem medietatem possidendam annuerunt, et post mortem ipsius heredis, ipsa medietas heredis in dominium vertatur monachorum, nec alter postea ex omni ejus parentela aliquid exinde requirat.

Testes : Ervisus Cabruns; Johannes Folium; Girar-

(1) Jus, seu tributum, præstatio.

dus, filius Ivonis; Urias de Nugastro; Guido de Rupi bus; Marricus de Mota; Raiualdus de Faya; Vivianus, pontonarius.

Cart. orig., folio 15, verso: copie, p. 111.

CLV.

Sulio, cognomento Aridum mare, *propter homicidium a se factum, prostratus ante altare verberatur et dat terram quam possidebat, prope Vigennam.*

(C. AN. 1088.)

Ad notitiam tam præsentium quam futurorum litteris mandare volumus quod Sulio, cognomento *Aridum mare,* in die Purificationis sanctæ ac perpetuæ Virginis, facto homicidio, cimiterium Nuchariense infregit, et pro hujusmodi forisfacto generalem luctum, tam monachis ibidem Deo servientibus, quam omnibus qui ad eamdem festivitatem confluxerant, propagavit. Pro qua re, cessantibus monachis a publica missarum celebratione, et prout moris est, justitiam faciente Ecclesia, coactus idem Sulio crebris excommunicationibus archiepiscopi Turonensis emendare infracturam cimiterii, venit Nucharios in die Annuntiationis Dominicæ satisfacturus Deo, et monachis ejusdem loci, pro tam gravi peccato. Cumque recitatis Ecclesiæ privilegiis, quibus pro hujusmodi crimine centum libras auri exsolvere judicabatur, videret se non posse infracturam cimiterii emendare, prostratus cum amicis suis coram altari, nudatus et verberatus, humilitate indulgentiam meruit, tradiditque monachis terram illam, quam habebat juxta vineas eorum, a ripa Vigennæ, usque ad illam terram, quam eisdem monachis

campserat pro terra quæ est prope rupem ejus, eo pacto, ut infractura cimiterii ei perdonaretur.

Testes hujus rei sunt : Hugo de Sancta Maura, et duo filii ejus ; Ervisus Cabruns, et filii ejus ; Guido de Rupibus ; Goscelinus de Sepmis ; Arnulfus Rugibec ; Rainaldus, presbyter ; Willelmus Malranni ; Guillelmus Frogerii ; Aimericus de Faia ; Galterius Poteruns ; et cæteri qui convenerant ad diem festum. Concessit etiam hoc uxor præfati Sulionis, Tezelina, audientibus et testantibus his, Hugone de Sancta Maura ; et Goscelino, filio ejus ; Rainaldo et Bucherio, presbyteris ; Gaufrido Peloquino ; Arnulfo Rugebec ; Stephano, vicario ; Benedicto Davum ; Christiano Turbato ; Guillelmo de Alberiis.

Nec solum hoc, sed etiam omnia quæcumque Sulio contulerat præfatis monachis concessit eadem uxor ejus, coram præscriptis testibus.

Cart. orig., folio 13, recto ; copie, p. 387.

CLVI.

Terræ et prata juxta crucem de Nuchariis.

(C. AN. 1088.)

Notum sit omnibus Ecclesiæ fidelibus quod Urias de Nugastro dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, tria frusta terræ quæ erant intra ipsorum terras, inter crucem de Nuchariis et vineas de Ceresiis. Sunt autem duo frusta juxta viam qua de Nuchariis pergitur ad Belloacum ad sinistram, et tertium frustum juxta viam aliam, qua de Nuchariis vadunt ad Nugastrum ad dexteram. Dedit eis et particulam prati, quam habebat in prato eorum novo, quod noviter ædificabant. Hæc

omnia dedit eis pro anima patris sui et matris suæ, suorumque parentum. Abbas autem Stephanus et monachi dederunt ei quatuor libras quas illis debebat, et insuper sexaginta solidos, et uxori ejus, quæ hoc annuit, x solidos et unam culcitam (1).

Testes Stephanus Chillols, et filius ejus Stephanus; Arnulfus Chillols ; Gaufridus Malagarda ; Tedevinus ; Aimericus de Esculio, et frater ejus Johannes.

Hæc omnia annuit Symon, frater ejus, pro anima sua, die qua dedit eis ecclesiam de Antoniaco, et monachi dederunt ei unam culcitam.

Testes illi qui sunt testes de ecclesia. Salatiel annuit pratum et alia omnia.

Testes Radulfus et Chadilo, filii Bosonis; Petrus de Faia; Stephanus Chillols; Hugo de Nuchariis; et Boso, frater ejus.

Cart. orig., folio 21, verso; copie, p. 303.

CLVII.

Monachi Nucharienses lignum de silva, quæ vocatur Luzezisus, sument quantum duo asini, postea quantum quinque asini in unoquoque die ferre poterunt.

(C. AN. 1088.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quod Boso de Chillo dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et abbati Stephano, ejusque monachis, de silva quæ dicitur Luzezisus, ubicumque ipsa silva est, inter

(1) Culcita, culcitra, gallice *coussin*. Culcitarum exactiones fiebant a vassallis et tenentibus ad dominorum exceptiones, cum peregre ibant.

Vigennæ fluvium et rivum Vosdæ, exceptis plaiseicis (1) rusticanorum suorum, quantum duo asini in unoquoque die afferre potuerint ad Nucharios, ita ut unoquoque die pergant duo asini, et quantum unoquoque die afferre potuerint, deferant, et hoc quantum Luzezisus duraverit, et quantum Nuchariense monasterium duraverit. Annuit autem hoc Acharias de Mirmanda, ubi primum Boso et filius ejus Marricus hoc donum fecerunt.

Testes qui viderunt apud Mirmandam hi sunt : Abbas Stephanus ; Galterius et Fulcherius, monachus ; Gaufridus de Marcinniaco ; et frater ejus Giroardus ; Rainaldus Trahe prædam ; Hugo Crassa lepvra ; Herbertus de Bosnai ; Petrus Morinus ; Gunterius de Juxel ; Richardus Grenouillels ; Arnulfus Chillo.

Annuit autem hoc uxor ejus primo apud Fagiam, et filii ejus, audientibus Fulcherio, monacho, et Bosone de Forniolis, et Bosone juvene, et Fulcherio de Vallibus, et Fulcherio de Maximiaco.

Postea autem venerunt ipse Boso et uxor ejus Lisiva, et filii ejus, die festivitatis Sanctæ Mariæ medii Augusti in capitulum monachorum apud Nucharios, ibique in conspectu omnium monachorum, hoc suprascriptum donum Nuchariensi ecclesiæ annuerunt, et beneficium loci acceperunt.

Testes ex hoc Hugo de Nuchariis ; Christianus Turbatus ; Arnulfus Chillols ; Rotbertus, carpentarius ; Petrus Mulnerius ; Gaufridus de Malo fornero.

Post mortem autem supradicti Bosonis, orta est contentio inter filios jam dicti Bosonis, et filios Amaurici de Sancto Savino, et in tantum crevit odium eorum, ut filii Bosonis interficerent unum de filiis Amaurici de Sancto

(1) Pars silvæ sepibus clausa, gallice *Plessis*.

Savino, Hugonem nomine. Postea vero facti pœnitentes, petierunt concordiam ab Aimerico, fratre occisi. Qua multoties quæsita, et tandem impetrata, fecerunt monachum unum in Nuchariensi ecclesia, pro anima Hugonis occisi, dederuntque Brictius et Adelelmus pro eo Nuchariensi ecclesiæ, et monachis ejusdem loci de silva, quæ dicitur Luzizicus, ad quinque asinos, et forestagium (1) de omnibus hominibus de Nuchariis, et quatuor denarios census de furno Fagiæ, et quatuor denarios de terra, quam habet Vieceria, et unam olcam terræ ad Montem Cuculi.

Testes ex hoc: Aimericus de Fagia, et filius ejus Aimericus; Cadilo de Forniolis; Amauvinus Robelini; Boso Eleazar, et frater ejus Gaufridus; Araldus, filius Linæ; Aldebertus de Valle Rotru; Aimericus de Sancto Savino.

Annuit hoc uxor Brictii, audiente Galtero, bajulo; Guillelmo Barbarim; et Aimerico de Germenniaco.

Cart. orig., folio 14, verso; copie, p. 393.

CLVIII.

Simon de Nucastro dat sazimentum quod habebat in quemdam hominem, Natalem nomine.

(C. AN. 1088.)

Notum sit omnibus sanctæ matris Ecclesiæ fidelibus quod Simon de Nucastro dedit Deo, et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, sazimentum quod habebat in quemdam hominem, Natalem scilicet, de Portu. Concessit etiam cum

(1) Jus utendi foresta, vel ipsa præstatio pro jure utendi foresta.

eo omnem fraternitatem suam, quæ ei eveniebat, Natali scilicet, ut usque in perpetuum, neque in eo, neque in fraternitate sua aliquid amplius requirat.

Testes ex hoc Salamacem, filius Yrvis; Philippus Rufus; Hugo Garnaudi. Et hoc concessit uxor ipsius Simonis. Testes Hervisus Chabron ; Lambertus de Haia.

Cart. orig., folio 54, recto; copie, p. 395.

CLIX.

De guerra quæ mota est inter comitem Vindocinensem et Hugonem de Sancta Maura.

(C. AN. 1088.)

Adelelmus *Pugna Vicarium* habebat fedium de Adelelmo *Cauda vaccæ* et fratribus ejus, et de ipso fedio dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis terram, et prata quæ erant de ipso fedio ad Pilas, ad præsens, et post obitum matris suæ, unam olcam terræ, quæ est supra Nucharios, juxta viam qua itur ad crucem. Orta autem guerra inter comitem Vindocinensem et Hugonem de Sancta Maura, discessit Adelelmus *Pugna Vicarium* ab Uria, et abiit ad Sanctam Mauram ; et Urias et fratres ejus fœdium Adelelmi dederunt Guarino, filio Hilduii, qui eorum habebat sororem. In ipsa autem guerra vulneratus est Guarinus, filius Hilduii, et territus timore mortis, advocavit domnum abbatem Stephanum de Nuchariis, cum monachis suis. Quo præsente cum monachis suis, Ansterio videlicet et Gualterio, dedit isdem Guarinus, filius Hilduii, filio audiente, et annuente uxore sua, Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis,

omnem illam terram quam dederat Adelelmus *Pugna Vicarium* monachis, et sicut Adelelmus iisdem dederat monachis, ita Guarinus, et uxor ejus, dederunt et annuerunt Deo et Sanctæ Mariæ et abbati Stephano, ac monachis de Nuchariis.

Testes ex hoc : Huo, presbyter de Malliaco ; Bernardus miles ejusdem Guarini ; Arnulfus Chillols ; Giroardus ; Tethbaldus ; Gaufridus Petit.

Annuerunt autem hoc Urias et Salathiel et Simon, die quo ipsi dederunt Sanctæ Mariæ terram, quam habebant ad Pilas.

Testes Boso de Chillo ; Eleazar de Faia ; Daniel de Rilliaco ; Arnulfus Joquet ; Arnulfus Chillos ; Johannes Pelliterius ; Raimundus Pelliterius.

Post mortem vero Guarini, calumniati sunt hoc tres filii ipsius, et placitaverunt cum ipsis monachis. Sed postea, rectum eorum recognoscentes, concesserunt eis quidquid Adellelmus dederat eis et quidquid de progenie Uriæ, usque ad illum diem, eis datum fuerat. Et propter hoc dederunt eis monachi triginta solidos. Mauricus et Galterius concesserunt hoc ad Nancré.

Testes Eleazar et Guillelmus, filius ejus ; Amalius ; Salatiel ; Bernardus Taschérius. Guarinus vero, frater eorum, concessit hoc ad Nucharium.

Testes Achardus ; Adelelmus Boverius ; Aderamarus ; Petrus, faber de Marcilliaco. Iterum autem concessit hoc mater eorum ad Nucharium. Testes Radulfus, sutor ; Rainaldus Barbota ; Rainaldus, coquus ; Adelelmus Boverius.

Cart. orig., folio 178, recto ; copie, p. 397.

CLX.

Oggisius, cantor Sancti Hilarii Pictaviensis, dat terram in villa quæ dicitur Bomet et decimam quam habebat circa Rupem Gaufridi Peloquini.

(C. AN. 1088.)

Quidam vir nobilis, Oggisius nomine, cantor Sancti Hilarii Pictavensis, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, tempore abbatis Stephani, omnem terram quam habebat in villa quæ dicitur Bomet, et illam terram quam habebat in dominium, et illam terram quæ ei competebat post mortem Guitburgis, uxoris Guarini de Fontanellis. Ipsa enim Guitburgis, uxor Guarini de Fontanellis, habebat partem terræ in villa Bomet, quam ei dederat in dotalitium quidam suus maritus, consobrinus Oggisii, nomine Sulio Rufus; et ipsa terra, post mortem Guitburgis, Oggisio eveniebat; ipsamque partem Guitburgis et suam partem, quam in dominium habebat, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis. Dedit autem supradictus Oggisius Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis omne fedium quod tenebat de eo Adelelmus *Pugna Vicarium*, id est, decimam quam habebat circa Rupem Gaufridi Peloquini, et quatuor solidos, et octo denarios census ad Drachiacum, et illud fedium quod Adelelmus *Pugna Vicarium* dederat Johanni de Drachiaco, cum nepte sua, tali convenientia, ut quamdiu Oggisius vixerit, ei serviat pro illo fedio; post obitum autem Oggisii, monachis serviat pro illo fedio. Annuit autem hoc Guillelmus, clericus Pictavis, audiente Leonio, clerico, et Rainaldo

de Gerunda. Hæc omnia annuit Guillelmus, filius Arnaldi, teste Gaufrido et Johanne de Drachiaco.

Testes hujus rei : Simon, clericus ; Aimericus, clericus; Tetbaldus, miles Oggisii ; et Effredus, præpositus ejus; Guillelmus, frater Leonis ; Pipinus de Haia ; Roscelinus Masthio ; Gaufridus *Mala guarda ;* Adelelmus *Pugna Vicarium ;* Rainaldus, coquus.

Cart. orig., folio 136, recto; copie, p. 399.

CLXI.

De terra cujusdam collibertæ, nomine Fredutiæ.

(C. AN. 1088.)

Petrus Peronellus de Fagia calumniatus est domno abbati Stephano, ac monachis Sanctæ Mariæ de Nuchariis, terram cujusdam suæ collibertæ, nomine Fredutiæ quam dederat eis Arnaldus Bonnet, patruus ejus. Sed postea, facta concordia cum abbate ac monachis, annuit eis omnem terram quam eis prius calumniatus fuerat, pro anima patris sui et matris suæ, suaque et omnium suorum parentum.

Testes ex hoc Bernardus, miles Guarini; Arnulfus Chillos ; Tedevinus ; Rainaldus, coquus ; Johannes Pelliterius.

Cart. orig., folio 206, verso; copie, p. 401.

CLXII.

De terra quæ dicitur Capetas et vinea inter Canavellas et Noviastrum.

(C. AN. 1088.)

Notum sit omnibus quod Ainardus Saponellus, infirmitate corporis urgente, contulit se ad monasterium Sanctæ Mariæ Nuchariensis, rogans abbatem Stephanum, ac monachos ejusdem loci, ut ejus misererentur. Dedit autem eis omnem terram quam habebat in villa quæ dicitur Capetas, et vineam quam habebat inter Canavellas (1) et Noviastrum. Annuit autem hoc soror ejus.

Testes Arnulfus Chillos; Tedevinus; Robertus, carpentarius; Aimericus, filius Richardi.

Cart. orig., folio 206, verso; copie, p. 403.

CLXIII.

Aimericus, proconsul Castri Araudi, dat minutam consuetudinis quam habebat in quadam femina, filia Huberti.

(C. AN. 1088.)

Notum sit omnibus quod Aimericus, proconsul Castri Araudi, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, tempore abbatis Stephani, unam minutam (2) consuetudinis, quam habebat in quadam femina quæ

(1) Chenevelles (D. FONTENEAU).
(2) Moneta minutissima.

morabatur apud Salvaticum, et erat filia Huberti de Salvatico, ancilla Sanctæ Mariæ, vocabulo Filluns.

Testes abbas Stephanus; Gaudinus, Sivadus, monachi; Johannes de Thuschia; Aldebertus Salbara; Bernardus; et Corbellus famulus.

Cart. orig., folio 60, recto; copie, p. 405.

CLXIV.

De petraria quæ est ultra Vigennam, ante monasterium Nuchariense.

(C. AN. 1088.)

Tempore quo primum monachi missi in Nucariensi ecclesia, accipiebant ad opera sua petram de monte qui est ex alia parte fluminis, sed ille mons erat cuidam Odoni *Brisa hasta* de Monte Basonis, qui noluit annuere monachis, ut de terra sua petram acciperent. Tunc Ulgerius, decanus, pro anima sua, fecit hanc conventionem cum Odone, ut, quamdiu viveret ipse Ulgerius, daret Odoni, unoquoque anno, unum porcum et unam bestiam, et Odo sineret monachis accipere de petra sua, quantum vellent, et sic factum est. Post mortem Ulgerii, Archembaudus, filius ejus, reddidit Odoni et filiis ejus post eum, quod pater ejus reddiderat. Cum autem Archembaudus factus est monachus, non fuit qui redderet quod Ulgerius et Archembaldus reddiderant. Tunc calumniatus est monachis petrariam, unde petram assumebant, Algerius, filius Odonis, qui eamdem terram, ubi petraria erat, tenebat, dicens se non habere pactum quod Ulgerius fecerat cum patre ejus; sed postea, rogatus ab abbate Stephano, et monachis supradictæ ec-

clesiæ, Nucharios venit in eorum capitulum, et recepit eorum beneficium, et dedit eis petrariam unde prius petram accipiebant, ad omnes suos usus et ad omnia quæcumque opus habuerint, aut ad monasterium, aut ad officinas, vel domos, vel sclusas, tantum exinde accipiant, quantum opus fuerit, excepto quod vendere aut dare alicui non habeant licentiam, et si eorum monachus esse voluerit, propter hoc eum recipiant; vel in suo cimiterio, si non fuerit monachus, eum propter hoc sepeliant. Et dederunt ei monachi beneficium loci, et v solidos in caritate.

Testes Rainaldus Franciscus, qui eo die quo hæc facta sunt, accepit beneficium loci jam dicti, et fecit donum abbati ac monachis de omnibus rebus quas habuerit die qua obierit, de equis et aliis rebus, et monachi propter hoc eum sepelient. Item testes Giraldus Busels; Radulfus; Constantinus; Arnulfus Chillos, et ejus frater Stephanus; Goffredus *Malagarda*.

Cart. orig., folio 67, recto; copie, p. 407.

CLXV.

De domo et censu in burgo monachorum.

(C. AN. 1088.)

Noverint præsentes et posteri, quod Rainerdus, carnifex de Nuchariis, proximans morti suæ, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis ejusdem loci Nuchariensis, post mortem uxoris suæ, quam tunc habebat, domum unam in burgo monachorum et unam olcam, quæ est juxta viridiarium monachorum, una tantum via dividente, et monachi in suum cimiterium eum sepelierunt.

Uxor autem ejus, quamdiu vixit, domum et olcam tenuit. Qua defuncta, cum monachi quod eis datum fuerat accepissent, immisit illis calumniam Ermengardis, uxor Rainaldi Cavaler. Quapropter, congregato placito, ad hanc concordiam pervenerunt, ut quamdiu illa vixerit, et filii ejus, Bernardus, Urricus cognomine, et Boso Chadilo, habeant et domum et olcham, et post mortem illorum, monachi totum in perpetuum possideant.

Testes ex hoc Ansterius, monachus, qui hoc placitum fecit; Galterius, monachus; Savaricus de Bosceia; Goscelinus de Bosceia: Ingelgerius, miles; Benedictus, præpositus; Rainaldus Chillols.

Postea vero, aliquanto transacto tempore, Urricus, presbyter, factus capellanus apud Nucharios, reliquit monachis censum omnium domorum quas ædificabant in ipsa olcha homines de Nuchariis. Habebant monachi caput census olchæ, tres obolos scilicet, quos dederat eis Sulio *Aridum mare*. Dedit et domum Huonis, presbyteri, quam monachi dederant ei, et domum quam habebat apud Nancriacum condonavit. Idcirco domnus abbas Stephanus, et monachi, concesserunt ei partem suam vineæ Andreæ, ita scilicet ut, post mortem ejus, iterum eorum esset.

Hujus rei fuerunt testes: Rainaldus, coquus, cum duobus filiis suis; Vitalis de burgo novo; Odo Aretellus; Bernardus, famulus; Rainaldus Chenet; Garinus Nicam.

Cart orig., folio 28, recto; copie, p. 409.

CLXVI.

De vineis inter Nucastrum et Nucharios.

(C. AN. 1088.)

Landricus sutor, de Nugastro, de quo supra memoravimus, moriens nullum de heredibus suis determinavit nominatim, qui supradictas vineas possideret. Sed domnus abbas Stephanus, rogantibus amicis suis, concessit Marrico Assalli, filio ejus, prædictam medietatem terrarum et vinearum, ad vitam suam, concedentibus et rogantibus parentibus ejus, ut post mortem ejusdem Marrici, nullus parentum ejus prædictam terram ultra requireret, sed tota in usum monachorum Nucharien-sium cederet.

Testes Johannes Folium, et filius ejus Petrus; Gaufredus de Andegavia ; Guituns Machuns ; Robertus Bobels.

Cart. orig., folio 17, recto; copie, p. 385.

CLXVII.

De terra ad Grizaicum.

(C. AN. 1088.)

Notum fieri volumus tam præsentibus quam futuris, quod Aimericus juvenis de Fagia, filius Aimerici senioris de Lausduno, dum in infirmitate positus, vicinæ mortis propinquitate anxiaretur, dedit Deo et ejus almæ Genitrici, et monachis eidem sanctæ Dei Matri in Nuchariensi cœnobio famulantibus, tertiam partem prædiorum, quam

habebat ad Grizaicum. Postea vero filius ejus Aimericus, qui eodem tempore nondum natus, adhuc in utero matris bajulabatur, cum jam adulta ætate juvenis honore memorati patris potiretur, conjunctus uxori ejus nobilitate decenti, illas duas partes alodorum de Grizaico, quas ejus pater non dederat, abbati Stephano supradicti cœnobii patri pro trecentis solidis in conguagium dedit, annuente uxore sua, tali tenore, ut quamdiu trecenti solidi reddendi fuerint, omnes redditus terræ habeant monachi in eleemosyna, pro anima patris ejus. Si autem obierit ipse ante uxorem suam, statim post ejus mortem omnis illa terra de Grizaico, culta et inculta, silvæ et prata, atque colliberti, et omnia quæcumque ad Grizaicum habuit ipse, et pater ejus, et avus, ex integro monachi habeant jam dictæ ecclesiæ, sive redditi fuerint trecenti solidi, aut non redditi. Quod si uxor ejus prior obierit, ita omnia possideant jam dicti monachi, post ejus obitum, sicut supra scriptum est debere eos habere, si Aimericus primum obierit. Quicumque primum obierit, ille vel uxor ejus, statim omnis illa terra de Grizaico, absque ulla calumnia a monachis possideatur, utrum sit redempta, an non. Et ut hoc annueret, uxori Aimerici dederunt abbas et monachi xx solidos. Dedit etiam ipse, die qua hanc convenientiam fecit Aimericus, quemdam suum collibertum nomine Radulfum, Deo et loco Nuchariensi, annuente uxore sua.

Horum omnium rerum testes sunt : Hugo, filius Goscelini ; Boso de Furniolis ; et filius Radulfus ; Odo camerarius ; Effredus, canonicus, et frater Guillelmus ; Radulfus, filius Helenæ ; Amalvinus ; Alcherius de Rajacia ; Arnulfus Chillos.

Cart. orig., folio 157, verso; copie, p. 115.

CLXVIII.

De ecclesia quæ dicitur Avon.

(C. AN. 1088.)

Notum sit omnibus, quod Hugo Dindellus occidit quemdam juvenem, Oggisium nomine, de Crisei, et pro reatu homicidii postea fecit concordiam cum parentibus illius Oggisii mortui, deditque per voluntatem illorum Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nucariis, centum solidos de denariis, et pro aliis centum solidis dedit jam dictis monachis unum junctum prati, juxta rivum Ismantiæ, prope molendinum quod dicitur Anisum. Adhuc autem dedit isdem Hugo supradictis monachis quemdam suum collibertum, Ademarum nomine, fabrum, filium Adraldi fabri. Annuit autem pratum monachis supra memoratis Philippus, filius Gaufridi Savarici, de cujus beneficio erat. Postea vero venit in capitulum monachorum ipse et filius ejus Savaricus, et accipientes beneficium loci, dederunt ipse Hugo et filius ejus Savaricus, omnem junioratum ecclesiæ quæ dicitur Avum, et quatuor solidos denariorum, quos debebat ei annuatim presbyter de Avum in Ramis palmarum, et omnem decimam suæ terræ de Anais, quæ non erat de junioratu ecclesiæ Avum; sed ipse Hugo dederat eam Rainaldo presbytero. Annuerunt autem idem Hugo et filius ejus Savaricus, omnia quæ fuerant data Nuchariensi ecclesiæ a Gaufrido Savarici, et a fratre suo Savarico, id est terram de Montiniaco, et prata, et silvas, et colibertos, et decimam de Chuvriaco, et medietatem molendini quod est ad caput Sancti Egidii, et terram quæ est

super rivum Morri. Hæc omnia annuerunt et dederunt Hugo et filius ejus Savaricus Nucariensi ecclesiæ, et monachi dederunt Savarico filio Hugonis, unum. pullum satis optimum.

Testes ex hoc Petrus Thomas; Ulricus Campiuns; Arnulfus de Chillos; Bernardus Arnaldi; Gosmarus de Avum; Gaufridus de Marcilliaco.

Cart. orig., folio 111, recto; copie, p. 417.

CLXIX.

Algerius Brisa hasta *vendit partem quam habebat in sclusa quæ est super Nucharios.*

(C. AN. 1089.)

Notum sit omnibus, quod Algerius *Brisa hasta* vendidit monachis Sanctæ Mariæ Nuchariensis omnem partem suam, quam habebat in sclusa quæ est super Nucharios, in illa sclusa in qua partem habuerant filii Huberti servi, dederuntque ei monachi XL solidos, et Gosberto de Rupe præposito illius XX solidos. Annuit autem uxor illius et filii ejus.

Testes ex hoc Arnulfus Chillos; Morannus de Nugastro; Gosbertus de Rupe; Goffredus de Cormarico; Hugo, filius Petri de Monte Basonis; Gaufridus Anguilla.

Annuit autem hoc Burchardus, frater ejus, audiente Gaufrido monacho; et Gisleberto Barbavant; et Gaufrido de Cormarico; et Guichardo de Monte Basonis; et Bernegario de Campaniaco.

Annuit et hoc Ebo, frater eorum major, audiente Gaufrido Anguilla, et Radulfo Fegaino, nepote Bazini de Ambaziaco.

Annuit iterum hoc isdem Ebo, audiente Galterio monacho, et famulo ejus Arnulfo Chillo.

Annuit et hoc filius ejus, Ebo nomine, audiente Rainaldo Pinot; Arnulfo Chillols; Petro de Barbastra.

Cart. orig., folio 27, verso; copie, p. 419.

CLXX.

De vineis in casamento de Gaufredo Maranni.

(C. AN. 1089.)

Notum fieri volumus omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Rainaldus Oggisii annuit Deo ac Sanctæ Mariæ de Nuchariis, omnibusque monachis ibidem habitantibus, ut quicumque voluerit eis dare de vineis, quæ plantatæ vel plantandæ sunt in casamento, quod tenet de Gauffredo Marranni, usque ad quatuor arpenta, habeant et possideant; ita tamen ut assuetum censum reddant. Annuit autem hoc uxor ejus, nomine Leburgis, et filius ejus Garnerius, et alii duo, atque filia Margarita. Qua ex causa dederunt ei supradicti monachi quatuor solidos quos Rainaldus joculator (1) uxori ejus numeravit ac tradidit, vidente Stephano.

Testes : Oggerius de Mota; Guillelmus de Albers; Arnulfus Joquet; Arnulfus Chillols; Goffredus *Malagarda*; Goffredus coquus.

Cart. orig., folio 20, verso; copie, p. 421.

(1) Mimus, scurra, gallice *jongleur*.

CLXXI.

De Umberto colliberto.

(C. AN. 1089.)

Guillelmus Marmoria calumniabatur Umbertum de Albiniaco, dicens esse eum suum colibertum, Postea vero, congregato placito in Nuchariensi cœnobio, Umberto hoc se esse denegante, præparatis ambobus, Guillelmo scilicet et Umberto, dimisit eum et concessit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis Nuchariensibus. Post hæc, frater ipsius Guillelmi calumniatus est ejusdem Umberti filium. Mortua vero matre sua, et sepulta apud Nucharios in viridario monachorum, in crastina die tumulationis matris ejus, venit in thalamo abbatis, et ibi dedit eumdem filium Umberti Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis. Dedit et duodecim denarios omnes, quos debebat ei monachus de Gatnaico.

Testes Hulricus, presbyter; Christoforus; Petrus, famulus abbatis; Johannes, coquus; Vasleth, infirmarius.

Cart. orig., folio 38, recto; copie, p. 423.

CLXXII.

Venditio sclusæ de Rupe.

(C. AN. 1089.)

Omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus notum sit, quod Bernardus, filius Huberti de Rupe, et Rainaldus Popos, frater ejus, vendiderunt partes suas de sclusa, quæ dicitur sclusa de Rupe, Odoni præposito Fagiæ, qui eam-

dem sclusam emit ad usus monachorum Sanctæ Mariæ Nuchariensis ecclesiæ. Vendiderunt autem ei omne quodcumque habebant in eadem sclusa a montorio ejusdem sclusæ, usque in ripa fluminis, et omne ripaticum (1), et omnem aquam, et piscationem, et guttas, et molendina, si monachi ea ibi facere voluerint. Dedit autem Odo præpositus Bernardo majori, pro sua parte, et uxori ejus, ac filiis, viginti solidos, et unum modium frumenti, et Rainaldo Popo triginta solidos, et filio ejus, quatuor denarios, et filiæ ejus, unam *micham* (2).

Testes ex hoc Odo, præpositus; Beraldus ejus armiger; Gaudinus, clericus; Rainaldus, coquus; Aimericus de Dol; Gosbertus de Rupe; Hubertus de Beculio; Engilgerius filius Arnaldi; et frater ejus Bernardus; Tedevinus.

Cart. orig., folio 27, recto; copie, p. 425.

CLXXIII.

De vineis apud Nugastrum, in loco qui dicitur Thalevaia.

(C. AN. 1089.)

Notum sit omnibus, quod Galterius, clericus, de Nugastro, et Araldus, frater ejus, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, annuente Acharia de Mirmanda, domino suo, omnia quæcumque habebant in terris, et pratis, et vineis, et ad census, post obitum suum. Habebant autem subtus Nugastrum, in locum qui dicitur Thalevaia (3), vineas de Roscelino ad censum.

(1) Ripa, littus fluminis; seu tributum quod accipitur in ripis.
(2) Mica, parvulus panis, gallice *miche*.
(3) Talvoie. (D. FONTENEAU.)

Post mortem autem amborum, acceperunt monachi, secundum donum quod eis fecerant, omnes possessiones illorum. Calumniatus est autem monachis ad census suos, sed postea, facta concordia inter monachos et Roscelinum, annuit Roscelinus monachis et vineas de Talevaia et quæcumque habebant de terra Radulfi de Fontanellis, quoquo modo eam haberent; et monachi annuerunt Roscelino et uxori ejus vineas de Talevaia, tantum in vita eorum, et post mortem Roscelini et uxoris ejus Eustachiæ habebunt monachi vineas.

Testes : Acharias de Mirmanda, et duo filii ejus Burchardus et Gaufridus; Yrvisus Cabruns, et duo filii ejus Gosbertus et Pozardus; Symon de Nugastro, et filius ejus Petrosilus; Petrus Goscelini; Girardus Choeta; Ardrea *Pellis lupi*; Odo Arotellus; Odo de Albiniaco; Odo Guttins; Frumentinus; Sanson de Lameré; Agatlant; Gaufridus Martellus; Guillelmus Corbellus.

Cart. orig., folio 18, verso; copie, p. 427.

CLXXIV.

Mulier quædam de Portu, Osanna nomine, dat tres arpennos terræ.

(C. AN. 1089.)

Agnoscant præsentes et subsecuturi, quod quædam mulier de Portu, Osanna nomine, dedit Deo et Sanctæ Mariæ tres arpennos terræ, unum ad ecclesiam et duos ad Gruet, et juxta ipsam terram unum jugerum prati. Annuerunt hoc duo filii ejus, Guillelmus et Aimericus, et sorores eorum Aremburgis et Aldeardis. Testes fuerunt hujus rei Goffridus de Moncels; Mestiverius de

Portu; Otbertus; Galterius; Amalvinus; Aimericus de Gatnaico.

Cart. orig., fol. 43, verso; copie, p. 253.

CLXXV.

Omnis decima appendens ecclesiæ S. Martini de Sabulo datur a Petro de la Rajace.

(C. AN. 1089.)

Præsentium litterarum cautione signamus quod quidam miles, nomine Petrus de la Rajace, in extremis positus, dedit Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi, pro redemptione animæ suæ, omnem decimam appendentem ecclesiæ Sancti Martini de Sabulo, quam eatenus possederat ex utraque parte Vosdæ fluminis, sive longe, sive prope, omnemque decimam quam apud Campum Venti habuerat, tam in frumento et annona, quam in bestiis et omnibus quæ decimari consuetudinis est, testibus his videntibus et audientibus, Aimerico de la Rajace; Fulcone Bernardi; Rainaldo Grenone; Guillelmo Gerrello; Radulfo de Cravent; Bernardo, famulo domni abbatis Stephani.

Annuerunt hoc duæ sorores ejus, Ermengardis, uxor Effredi Goscelini; et Hilaria, uxor Aimerici Salconis, coram his eisdem testibus.

Annuit hoc etiam Amelina, soror ejus, in capitulo nostro, præsente marito ejus Guillelmo de Gireia, et fratre ejus Garino, et Guillelmo Gerrello.

Annuit hoc Aimericus, dominus Fagiæ, de cujus casamento erat, et filius ejus Aimericus, coram his infra scriptis testibus, Galterio, filio Girorii; Chalone de Fur-

neolis; Goffredo de Orchis; Amalvino Robelino; Bosone de Monteagrio; Ernaudo de Luens; Thebaudo de Maximiaco; et fratre ejus Galterio; Araldo, filio Ninæ. Annuit et Ganilo, filius ejus, coram his testibus, Adelelmo de Chillo; Goffrido Eleagardi; Alexandro de Nuchastro.

Cart. orig., folio 89, recto; copie, p. 259.

CLXXVI.

De terra Copeit, in parochia Antoniaci ecclesiæ, et de terra ad Salvaticum.

(C. AN. 1089.)

Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ fidelibus, quod Oggerius, filius Ansterii de Mota, in infirmitate positus, venit ad ecclesiam quæ vocatur Nucharius, constructa in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ, et ibi factus monachus, dedit eidem ecclesiæ Nuchariensi omnem terram quam habebat inter Crosam et Vigennam, in parrochia Antoniaci ecclesiæ, et vocatur terra illa Copeit; omnem illam terram de Copeit cultam et incultam, et prata et ripariam, et aquam, omnia dedit Deo et ecclesiæ Nuchariensi. Dedit eidem ecclesiæ Nuchariensi terram quam habebat ad Salvaticum, a monte Dubel usque ad rivum Bonosse, sicut via de monte Dubel ducit ad molendinum Brethel. Iterum dedit eidem ecclesiæ omnes consuetudines sclusæ de Rupe, quas debebant ei jam dictæ ecclesiæ monachi, et censum ejusdem sclusæ similiter eisdem monachis dedit.

Testes hujus rei: Ervisus Cabruns, et filii ejus, Rainaldus et Gosbertus; Johannes Folium; Bonellus, miles ejus; Guillelmus de Alberiis; Daniel de Rilliaco; Aime-

ricus de Esculio; Arnulfus Chillos; Stephanus Chillos, et filii ejus Stephanus et Barbota; Radulfus, serviens; Odo Guituns; Tedevinus.

Annuit autem hoc Simon, qui habebat neptem Oggerii, filiam Huberti Petrosili, audiente abbate Stephano et Ansterio, monacho. Testes: Herbertus, miles Simonis; Arnulfus Chillos. Postea audivit Hugo de Sancta Maura; Ervisus Cabruns.

Cart. orig., folio 191, recto; copie, p. 433.

CLXXVII.

Araudus Audeberti dat duos denarios annuatim solvendos.

(C. AN. 1089.)

Notum sit omnibus, quod Araudus Audeberti dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, duos denarios, quos habebat annuatim in uxore Giraudi Pelati, pro amore Dei et pro anima uxoris suæ jam defunctæ; et monachi dederunt ei centum solidos, quos debebat Johanni de Poent.

Testes : Abbas Stephanus; Lisiardus et Galterius, monachi; Gaufridus de Sancto Savino; Arnulfus Chillos.

Cart. orig., folio 208, recto; copie, p. 435.

CLXXVIII.

Fulcodius de Sancta Maura.

(C. AN. 1089.)

Multotiens accidit ut per negligentiam, incuriam, eleemosynæ quas boni viri, pro redemptione animarum suarum, sanctæ Ecclesiæ attribuunt, a subsequentium

memoria deleantur. Quod ego Fulcaudius, Sanctæ Mauræ ingenitus, vitare desiderans, ne videlicet prædecessorum meorum irrita fiant dona, terram, quæ est in capite ecclesiæ Sancti Michaelis, monachis Sanctæ Mariæ Nuchariensis concedo, et his litteris firmari et memoriæ tradi volo.

Testes etiam hujus rei fuerunt Philippus, filius Rainaldi Daona; Johannes de Dossiaco; Gauterius Primeta; Garnetus; Boorius; Morellus; Calvinus; Guillelmus de Fonte; Balduinus.

Cart. orig., folio 127, recto; copie, p. 437.

CLXXIX.

De decima ad Cellam Sancti Aventii.

(C. AN. 1089.)

Ganilo Senon habebat quamdam decimam ad Cellam Sancti Adventii, quam vendidit monachis Nucharienſibus, pro qua dedit ei Gimo, monachus, x solidos Pictaviensium denariorum. Postea autem Richardus Morsellus abstulit eam ab ipsis monachis et dedit eam Hugoni Guarnaudo. Ipse autem Hugo, postea recognoscens rectum Sanctæ Mariæ et monachorum, reddidit eis ipsam decimam. Insuper seipsum et omnia sua condonavit, ut si aliquando vellet fieri monachus, nusquam nisi Nucharii habitum acciperet monachilem. Si vero ante morte preventus esset, ibi sepeliretur.

Ii sunt testes: Froinus de Sivrai; Christoforus, præpositus; Radulfus, serviens; Odo, serviens; Guarinus, serviens.

Hoc autem factum est coram Stephano abbate, viden-

tibus quibusdam monachis, videlicet, Sivaldo, Goscelmo, et Rainaldo.

Cart. orig., folio 32, verso; copie, p. 439.

CLXXX.

Sclusa de Rupe.

(C. AN. 1089.)

Notum sit omnibus Ecclesiæ sanctæ fidelibus, quod quidam vir de Nuchariis, Rainerdus Joquet nomine, habebat partem in sclusa de Rupe, quam acceperat cum uxore sua, filia Huberti, servi, et ipsam suam partem, scilicet aquam, et guttam, et piscariam, et omne quod in sclusa habebat, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, tempore abbatis Stephani, ipso abbate et cunctis ejus monachis audientibus, in eorum capitulo, pro servitio quod ei fecerant jam dicti monachi de uxore sua, quam iidem monachi honorifice sepelierant. Annuerunt autem hoc filii ejus, Galterius Paganus et Fulco, et monachi eorum patrem, et ipsos, in suum beneficium admiserunt, et quinque solidos in caritatem patri dederunt.

Testes : Arnulfus Chillols, et frater ejus Stephanus; Gaufridus Malagarda; Tedevinus.

Cart. orig., folio 27, verso; copie, p. 441.

CLXXXI.

Galterius de Insula, cognomine Charchois, *dat terras et census.*

(C. AN. 1089.)

Notum sit omnibus Ecclesiæ sanctæ fidelibus, quod quidam vir de Insula, nomine Galterius, cognomento Charchois, ad senilem provectus ætatem, rogavit dominum abbatem Stephanum Nucharieusis ecclesiæ, ac monachos ejus, ut eum monachum facerent. Qui ejus precibus compatientes, partim pro amore Dei, partim causa suorum propinquorum, eum monachum fecerunt. Dedit autem eis, secundum suum posse, neque enim amplis ditatus erat possessionibus, tamen prout potuit, tres olcas terræ contra Taventum, inter Pensost et Vigennæ fluvium..... vinearum inter Taventum et Riperolam, et quinque solidos census denariorum, quos debebant ei monachi de Tavento, et duos solidos census, et VII denarios, qui debebantur ei ad Lameriacum. Hæc omnia dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis pro semetipso, ipse et filius ejus Ainardus, apud Insulam, in domo Sancti Egidii.

Testes fuerunt Aimericus, filius Ivonis; et Girardus, frater ejus; Gaufridus, filius Adelelmi; Aucherius de Rajacia; Gaufridus Bernardus; Vivianus, pontonarius; Rainaldus Frotbaldi; Rainerdus, famulus monachorum; Arnulfus Chillols.

Hæc omnia annuit postea Garinus, filius supradicti Galterii, cum esset in guerra apud Cainonem cum Girardo, filio Ivonis. Testes abbas Stephanus; Girardus,

filius Ivonis; Marricus de Mota; Bertrannus, serviens Girardi; Arnulfus Chillols.

Aimericus autem, filius Ivonis, calumniatus est jam dictis monachis v solidos census, quos debebant monachi de Tavento. Sed postea venit ad Nucharios, et ibi concordiam fecit cum abbate Stephano ac monachis ejusdem loci, annuitque eis in perpetuum illos quinque solidos census, quos debent monachi de Tavento, in die festivitatis sancti Pauli de conversione. Dedit autem adhuc omnem suam partem denariorum et obolorum, qui oblati fuerint in festivitate sancti Egidii, sive ad altare, seu ad manum presbyteri in ecclesia quæ est apud Insulam, juxta Ismantiam. Hæc omnia dedit jam dictæ ecclesiæ Nuchariensi Aimericus, filius Ivonis, ipse et uxor ejus Sicilia; et monachi dederunt ei xxxii solidos, quos eis debebat de equo Aimerici Johannis, et unam loricam.

Testes ex hoc Oggerius de Mota; et frater ejus Herbertus; Arnulfus Chillols; Radulfus, serviens monachorum; Tedevinus.

Cart. orig., folio 119, recto; copie, p. 443.

CLXXXII.

Donatio colliberti, Girardi de Bosco nomine, et Fredeburgæ, matris ejus.

(C. AN. 1089.)

Omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, notum fieri volumus, quod Mathildis, uxor Ivonis Folioli, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, abbatique Stephano, et monachis Nuchariensis cœnobii,

quemdam colibertum, nomine Girardum de Bosco, et matrem suam Fredeburgam, pro redemptione animæ patris sui Drogonis, aliorumque parentum suorum, vidente præfato Ivone, qui jam infirmabatur; et ut hoc faceret, multum eam rogavit, filioque suo Goffredo præsente, qui hoc donum annuit præfato abbati, coram positis duobus monachis, Ansterio scilicet et Durando. Propter hoc quoque dedit abbas eidem M., filioque suo G., x solidos, et beneficium monasterii, insuper et animæ patris sui.

Hujus rei testes : Goffredus, Adelelmi filius; Otbertus de Monte; Johannes Brocardus; Ansterius de Mota; Arnaldus, clericus; Vivianus de Pilis; Arnulfus Chillols.

Cart. orig., folio 145, recto; copie, p. 445.

CLXXXIII.

De terra prope ecclesiam Cellæ, quam dedit Archembaldus Bodinus de Sancta Maura.

(C. AN. 1089.)

Notum sit omnibus, quod Archembaldus Bodinus de Sancta Maura dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, tempore abbatis Stephani, quartam terræ quam habebat prope ecclesiam Cellæ, tali convenientia, ut pro his sit monachus apud eos, si voluerit, aut si non fuerit, pro his honorifice in eorum sepultura ab ipsis tumuletur. Erat autem illa quarta terræ de fedio Gaufredi Peloquini, ad quem, cum jaceret infirmus in domo sua ad Sanctam Mauram, misit abbas Stephanus supradicti cœnobii unum suum monachum, Galterium nomine, cum caritate panis et vini, veniensque monachus et Archem-

baldus cum eo coram Gaufrido, obtulerunt ei caritatem abbatis. Deinde rogaverunt eum ut annueret quod Archembaldus dederat, et ille libentissime annuit, et uxor ejus, et filius Hugo, et accipientes lignum parvulum, miserunt in manu monachi Archembaldi donum et Gaufridus, et uxor ejus, ac filius, annuationem, et sic per monachum, locum Nuchariensi direxerunt, videnie eodem monacho Galterio, et Roberto de Valentiaco, et Arnulfo Chillo.

Cart. orig., folio 128, verso; copie, p. 417.

CLXXXIV.

De terra quam dedit Hugo de Potheis, et de terra quæ dicitur Geraldeia.

(C. AN. 1089.)

Omnibus fidelibus notum sit, quod Hugo de Potheis, et fratres ejus Gaufridus et Girardus, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nucheriis, de terra quæ dicitur Rivus petrosus in loco qui dicitur ad Grangias, tantum terræ quantum possunt quatuor boves omnibus temporibus excolere, et ad hibernalia et æstivalia, et quatuor arpennos terræ ad domos monachorum ædificandas, et burgum faciendum, et de illis hominibus quos ibi hospitaverint, omnes consuetudines, et vicariam; et monachi dederunt eis beneficium loci. Istis autem tribus fratribus præsentibus et audientibus, atque annuentibus, dedit Guillelmus de Alberiis Sanctæ Mariæ, ac monachis supradicti loci omnem terram quam habebat ad Rivum petrosum, in villa quæ dicitur Geraldeia, et prata, post

mortem suam. Annuit hoc Gaufridus Fulcradi, nepos eorum.

Testes Brientius; Arduinus *Malum mina*; Guillelmus de Alberiis; Johannes Folium; Radulfus, serviens; Tedevinus.

Annuit autem hoc Petrus, filius Gaufridi de Monte Basonis, jam dictæ Nuchariensi ecclesiæ tertiam partem, quam habebat in omni illa terra, quam Hugo et fratres ejus dederunt, et ad quatuor boves, et ad burgum faciendum, de omnibus dedit Petrus suam tertiam partem jam dictis monachis.

Testes Radulfus; Odo Guituns; Gaufridus; Bernardus, famulus; et Patuns, famulus.

Annuit et hoc Burchardus, frater Hugonis, apud Nucharios in capitulo monachorum; et monachi dederunt ei xx solidos in caritate. Testes Guillelmus de Alberiis; Odo Guituns; Johannes Macio; Giraldus, pistor.

Cart. orig., fol. 137, verso; copie, p. 451.

CLXXXV.

De terra et parochiæ ecclesia quæ dicitur Cella.

(C. AN. 1089.)

Notum sit omnibus fidelibus, quod Radulfus de Fontanellis dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et monachis ejusdem loci, tempore abbatis Stephani, in parrochia ecclesiæ suæ quæ dicitur Cella, de illis hominibus quos ad habitandum adduxerint de aliis parrochiis in terra quam emerant de Galterio Jesu, omnem decimam ovium, vel agnorum atque porcorum, et omnium pecudum, et lini, et lanæ, et *chenvre*, et sepulturam, et

omne debitum ecclesiasticum, excepto decima annonæ. Alias autem omnes consuetudines et vicariam dedit eis de cunctis hominibus quos ibi hospitaverint. Interdixit autem eis ne de suis parrochianis aliquem ad habitandum recipiant, nec filios eorum, et si receperint, reddent Radulfo omnes consuetudines illi quos contra ejus voluntatem receperint.

Testes Herveus de Mota; Radulfus Pictavinus; Morinus de Castello; Adelardus Pastellus; Letardus de Cella; Stephanus Chillos; Arnulfus Chillols; Gaufridus Malagarda; Odo Guittuns; Radulfus de Niolo; Longeth; Gauterius Ermenalt.

Similiter Lonus de Luchis, qui in eadem ecclesia Cellæ habebat medietatem, sicut Radulfus, de sua parte, dedit omnes consuetudines monachis, de illis hominibus quos hospitaverint ad habitandum in supradicta terra, id est, omnem decimam agnorum et porcorum et omnium pecudum, et lini, et lanæ, et *chenvre*, et sepulturam, et omne debitum ecclesiasticum, excepto decima annonæ. Alias consuetudines et vicariam dedit eis de cunctis hominibus quos ibi hospitaverint, interdicens eis, sicut Radulfus, ne de suis parrochianis aliquem ibi ad habitandum recipiant.

Testes, Radulfus, qui hoc donum prius fecerat, et post cum Lono iteravit; Hugo Chainora; Radulfus Pictavinus; Hugo de Nucheriis, et frater ejus Boso; Fulco, carnifex.

Cart. orig., folio 102, recto; copie, p. 453.

CLXXXVI.

Giraldus, filius Ivonis, dat monasterio Nuchariensi omnes denarios et obolos in festivitate sancti Ægidii de Insula.

(C. AN. 1089.)

Omnibus venturis fidelibus Ecclesiæ notum sit, quod Giraldus, filius Ivonis, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nucariis, tempore abbatis Stephani, omnes denarios et obolos, qui oblati fuerint omnibus annis, in festivitate sancti Egidii ab omni populo qui advenerit, sive pro mercato, seu pro festivitate, ad ecclesiam quæ est apud Insulam, super Ismantia, pro anima patris sui Ivonis et matris suæ Odilæ; et suæ animæ orationes fratrum supradictæ ecclesiæ medelam omnium peccaminum adquirant.

Testes hujus rei : Bartholomæus, dominus Insulæ, qui hoc cunctis his audientibus annuit, quorum hic nomina scripta sunt : Aimericus de Rajacia; Guido de Nevernis, monachus; Johannes Folium; Aimericus, frater Girardi, qui hoc annuit, his audientibus : Girorius de Varezia; Aimericus filius Burcardi; Alcherius de Rajacia; Goscelinus de Bosceia; Arnulfus Chillos; Rainerdus, famulus monachorum.

Cart. orig., folio 113, verso; copie, p. 455.

CLXXXVII.

De Eudone de Nugastro.

(C. AN. 1090.)

Omnibus tam præsentibus quam futuris notum fieri volumus, nos monachi Sanctæ Mariæ de Nuchariis, quod Eudo de Nugastro debebat nobis, tempore Stephani abbatis, quadringentos quadraginta solidos, et pro ipsis denariis dedit nobis medietatem omnium rerum quas habebat ad Magniacum, hoc modo. Unam masuram dedit nobis in dominium, id est, quantum possunt excolere quatuor boves duabus saisonibus, et ille similiter alteram sibi in dominium retinuit. Omnem autem aliam terram, quam habebat, hoc est ad Magniacum, cultam vel incultam, et omnia prata, et silvas, et omnes consuetudines ejusdem terræ partiemur cum illo per medium, exceptis duobus casamentis duorum militum, qui sunt singuli, quantum possunt duo boves excolere, et si in silva porcos nostros dominicos habuerimus, pasnagium (1) Eudoni non dabimus, nec ipse nobis de suis dominicis porcis. De aliis autem simul pasnagium dividemus. Et si ibi homines hospitaverimus, et boves habuerint, consuetudinarium carragium (2) reddent, Eudoni medietatem et nobis aliam. Si autem Eudo, illam quam de illa terra retinuit medietatem voluerit dare, aut vendere, aut in conguagium

(1) Pastio, pasnagium, pasnaticum, census vel tributum pro glandatione et jure pascendi porcos in silva domini.

(2) Vecturæ onus quod vassalli domino exsolvebant.

dare, si nos ei placitum voluerimus facere, quod alter voluerit, nulli alii poterit eam dare, aut vendere, aut in conguagium dare. Et post mortem suam omnem eamdem terram jam dictæ ecclesiæ Nuchariensi annuit, si filium aut filiam de uxore non habuerit, et si terra de Avalo in ejus dominium venerit, dabit nobis de ea quantum possunt duo boves excolere. Quod si non venerit, et ille qui eam habuerit nobis dare voluerit, ipse nobis annuet, quantum omni tempore duo boves poterunt excolere.

Testes ex hoc : Hugo de Sancta Maura; Ervisus Cabruns, et filius ejus Rainaldus; Urias, et frater ejus Salatiel, et alter frater Simon; Aimericus, filius Ivonis, et frater ejus Girardus; Johannes Folium; Guillelmus de Albers; Daniel; Tedevinus; Landricus; Arnulfus Chillos; Johannes Pelliterius; Bernardus Peters.

Cart. orig., folio 75, recto; copie, p. 457.

CLXXXVIII.

Monachi accipiunt partem furni apud Fagiam.

(C. AN. 1090.)

Cognoscant omnes fideles, præsentes et futuri, quod Gaufridus de Volorcio dedit Deo et monachis Sanctæ Mariæ Nuchariensis, partem quam habebat in furno eorum, apud Phagiam, pro remedio animæ suæ, et pro filio suo Aimerico, quem pro petitione ejus monachum fecerunt, concedente Gaufrido filio suo. Hanc donationem concessit dominus Aimericus de Phaia, de cujus casamento erat, et filius ejus Aimericus.

Testes hujus rei fuerunt; Gaudinus, monachus; Pe-

trus de Furniolis ; Aimericus de Volorcio ; Galterius de Sancto Generoso ; Goffredus Planellus ; Christoforus ; Bernardus Fromundus.

Cart. orig., folio 203, recto ; copie, p. 271.

CLXXXIX.

Gaiferius dat vineas de Rupe.

(C. AN. 1090.)

Sciant posteri nostri quod Gaiferius, frater Hugonis de Brois, calumniatus est nobis vineas de Rupe quas Galterius Morellus pro anima sua nobis dederat, quasque frater suus Hugo nobis annuerat ; sed ut calumnia cessaret, et prædictas vineas nobis annueret, domnus Stephanus abbas x solidos ei dedit, et hoc pacto cum eo finem calumniæ et concordiæ firmamentum fecit. Matri etiam ejus Humbergæ, et ut ipsa easdem vineas nobis concederet, unam culcitam dedit.

Testes hujus concessionis tam a matre quam a filio hi sunt descripti : Rainaldus Choetellus ; Goffridus de Balasmo ; Goffridus Tusalinus ; Johannes Cyrwardi ; Rainaldus Babota ; Aimericus et Johannes, filii Arnaldi ; Goffridus de Marcilliaco ; Petrus de Sancta Maura ; Ulricus, presbyter.

Cart. orig., folio 198, recto ; copie, p. 111.

CXC.

De terra et censu apud Raziniam, Germaniacum et Pozaicum.

(C. AN. 1090.)

Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod quidam vir strenuus, Araldus nomine de Ponte, timens Deum eique sociari cupiens orationibus virorum religiosorum, statuit de suis rebus ditare ecclesiam Dei, secundum suum posse. De omnibus autem ecclesiis elegit ecclesiam sanctæ Dei Genitricis Mariæ de Nuchariis, et cum monachis ejusdem magnam societatem ecclesiæ accepit. Venit namque in eorum capitulum cum uxore sua, deditque eis, et eidem ecclesiæ, VI denarios census apud Raziniam, et tantum terræ ad crucem Beatricis, unde possunt egredi VI denarii census, et apud Sarinniacum XII denarios census, et unum agnum, quem debebant ei de consuetudine annuatim, et dimidium agnum, quem quidam homo tenebat de eo in fedium, si monachi de illo homine potuerint dimidium illum agnum adquirere, et unum junctum prati, et duos arpennos vinearum apud Germaniacum, post suum decessum. Uxor autem ejus dedit similiter suam terram, quam habebat ad Pozaicum, quam dederat ei pater suus Odo *Centum solidos* in matrimonium, post suum obitum. Hæc omnia Araldus et uxor ejus monachis dederunt tali convenientia, ut totius beneficii monachorum participes essent, et ut monachi eos honorifice sepeliant in suo cimiterio.

Testes Aimericus de Mathaico; Amioth, miles Hugo-

nis Dindel; Arnulfus Chillos; Stephanus Machait; Radulfus, serviens; Longus.

Cart. orig., folio 206, recto; copie, p. 463.

CXCI.

Ingelrannus impetrat olcam terræ ab abbate Stephano.

(C. AN. 1090.)

Ingelrannus, filius Gaucherii de Sancto Patricio, habebat unam olcam terræ quæ erat de junioratu ecclesiæ, quam sibi ab Ulgerio presbytero datam esse dicebat; sed postquam ecclesia Sancti Patricii in dominium monachorum Sanctæ Mariæ de Nuchariis remansit, calumniati sunt eamdem olcam abbas et monachi Ingelranno. Qui nolens eam, eo quod proxima domui ejus erat, dimittere, et tamen se in ea nil recti habere, petiit ab abbate Stephano ut tantum in vita sua illam olcam ei annueret, quod ipse abbas fecit ita dicens : « Ego tibi, Ingelranne, do illam olcam quam hactenus calumniatus sum tibi, solummodo in vita tua, et post mortem tuam libera nobis remaneat, nec uxor tua, nec filius, nec filia, vel aliquis tuus parens, in eadem olca post mortem tuam partem ullam requirat. » Ingelrannus autem, secundum dictum abbatis ita annuit, et insuper annuit eis quoddam frustulum quod erat infra clausuram illius olcæ juxta maximam viam, quod sibi dicebat evenire ex patrio jure.

Testes Galterius Escot; Mainardus filius Ulgerii; Rainerdus de Insula; Landricus, nepos Landrici de Cainonis; Bernardus Peteers.

Cart. orig., folio 10 (ou 101), verso; copie, p. 261.

CXCII.

Donum pro monacati professione.

(C. AN. 1090.)

Notum sit omnibus quod Marricus, filius Roggerii de Mota, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, colibertum unum nomine Bertinum, pro anima sua, et pro anima patris sui, et anima fratris sui Guillelmi Radulfi. Dedit eis adhuc terram, quam emerat de Galterio de Montenai, terram et prata, et terram ad Chilloi, unde erat contentio inter Marricum et Ademarum presbyterum. Hæc omnia dedit Marricus Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, et monachi eum fecerunt monachum. Annuit hoc mater ejus, Adelaida, et frater ejus Guillelmus, et soror ejus Serra, cum filio suo Stephano.

Testes, abbas Stephanus; Alo et Gauterius, monachi; Ademarus presbyter; Roggerius Bruns; Arnulfus Chillos; Bernardus Mariscals; Otbertus de Aurinniaco.

Annuit hæc omnia Rainaldus Fresluns, frater Marrici. Testes Radulfus archiepiscopus; Albericus, cancellarius; Gaiarinus Otho; Aimericus, filius Ivonis; Roggerius Bruns; Johannes de Bralo; Aimericus de Esculio; Arnulfus Chillos, et frater ejus Stephanus.

Cart. orig., folio 59, verso; copie, p. 335.

CXCIII.

De terra ad Cassanam.

(C. AN. 1090.)

Cognoscant præsentes et futuri, quod Rainaldus Othgisius dedit Deo et Sanctæ Mariæ partem suam terræ

quam habebat ad *la Chassana*. Testes hujus rei : Ganilo de Castellone; Gaufridus, miles ejus, qui cum eo erat in capitulo; Johannes, famulus noster.

In hac terra supradicta antea dederat nobis Benedictus de Avone partem aliam, quam ibi habebat, in capitulo annuente uxore. Inde testes fuerunt Rainaldus Othgisius, et Guarnerius, filius ejus; Mainardus, frater Benedicti; Fulco Joquus; Giraldus Harotellus; Odo Arotellus; Johannes Laurentius; Frumentinus; Sibaldus; Adelelmus.

Agartart, filius Rainaudi Ogisii, postea concessit hæc omnia dona, accipiens in caritate unum sextarium frumenti a Rainaldo de Fonte Lemeri. Testes ipse Rainaldus Ogisii; Silvaldus, monachus; Sarpaudus, famulus monachorum; Martinus de Selvagio; Guillelmus Marranni, de cujus feodo erat hæc terra; postea concessit eam Deo et Sanctæ Mariæ, et uxor ejus Milesendis, et filii eorum, videlicet Philippus et Jaquelinus, et Petrus, et soror eorum Milesendis. Pro concessione hac habuit Guillelmus viginti solidos denariorum, et uxor ejus sextarium frumenti, et unam ovem, et unusquisque puer duos nummos. Testes : Petrus, archipresbyter de Pruillaco; Guillelmus Radulfi; Salco de Cancellis; Hubertus de Ambasia; Silvaldus et Berno, monachi.

Cart. orig., folio 163, recto; copie, p. 469.

CXCIV.

De terra Sauconis, quæ vocatur Foolers.

(C. AN. 1090.)

Habemus terram de Pagano Sauconis, quæ dicitur Foolers, de qua cum nos frequentibus inquietaret inju-

riis, convenit cum eo Teobaudus monachus, qui tunc Sanctum Patricium tenebat, et concessit ei quod nunquam amplius super eam terram se in aliquo ulcisceretur. Concessit hæc uxor ejus Bloia, et filii ejus, Sauconellus et Villanus.

Testes sunt : Vaslet Flocel, et Rainerius filius ejus; Andreas Mercenarius ; Johannes Bernerius; Adalardus, frater ejus ; Vaslinus de Bosco; Mauricius.

Cart. orig., folio 71, verso; copie, p. 473.

CXCV.

De tuscha Artaldi et quibusdam aliis ad Salvaticum.

(C. AN. 1090.)

Notum sit omnibus, quod Alexander de Coime dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis de Nuchariis, decem et octo denarios quos debebant ei annuatim jam dicti monachi de thusca Artaldi, ut quasi alodum habeant jam dictam terram Artaldi, quam prius habebant ad censum. Similiter dedit eis novem denarios, quos similiter debebant ei supradicti monachi de terra quæ dicitur Capetas, ut in alodum possideant ultra illam terram. Dedit eis cursum aquæ quæ vadit ad molendinum de Canavellis. Iterum annuit eis terram ad Salvaticum de Rosaria, quam dederat eis Lonus de Luchis, cum filia sua, pro cujus sepultura eamdem terram dederat Alexander monachis. Brictius, frater uxoris Alexandri, dederat supradictis monachis de silva, quæ dicitur Luzizisus, quantum necesse eis fuerit, et forestagium omnium hominum de Nuchariis. Hoc autem annuit Alexander, et uxor ejus, soror Briccii, Calva nomine,

et filii ejus omnes, Johannes, Boso, Achardus, Rotbertus. Idem quoque Alexander pro remedio animæ matris suæ antecessorumque suorum, totum casamentum et dominium, scilicet quartam partem sepulturæ et oblationis altaris, et viginti duos denarios census concessit supradictis monachis, quæ in ecclesia Rilliaci habebat.

Testes Petrus Roscelini; Rainaldus Barbatus; Hugo de Nuchariis; Frumentinus; Odo Arotellus; Tethbaldus; Achardus Flocels; Achardus Bosci; Achardus Fascina vetulam; Petrus, filius Hugonis; Assallit; Stephanus de Aurinniaco; Calvinus, filius Eudonis.

Cart. orig., folio 17, verso; copie, p. 475.

CXCVI.

Urias de Nugastro dat unam olcam terræ quæ est ad crucem super Nucharios.

(C. AN. 1090.)

Notum sit omnibus Ecclesiæ fidelibus, quod Urias de Nugastro, ob iram Fulconis comitis, egressus de Nugastro perrexit ad Gaufredum Prulliacensen, ad Prulliacum castrum, ibique febre correptus in infirmitate jacuit plurimis diebus. Misit autem ad eum, visitandi gratia, abbas Stephanus Sanctæ Mariæ Nuchariensis unum de suis monachis, Galterium nomine, unde isdem Urias, valde exhilaratus, gratias immensas abbati jam dicto ac monachis memorati loci se promisit redditurum. Dedit autem eis tunc, videlicet monachis Sanctæ Mariæ de Nuchariis, unam olcam terræ quæ est ad crucem super Nucharios, quam habebat in fedium de eo Adelelmus *Pugna vicarium*, et unam lineam terræ quæ

est inter terram monachorum et terram domnæ Biletæ, juxta semitam quæ ducit ad mariscum. De his duabus terris misit donum per jam dictum monachum Nucha-riensi ecclesiæ.

Testes hujus rei : Mauricius, Bernegarius, nepotes Goscelini; Hugo; Alexander, filius Achardi; Giroardus Menent.

Postea vero hæc eadem annuit apud Nucharios ipse Urias, et Salatiel, frater ejus. Testes: Eleazar, frater eorum; Petrus de Faia; Daniel de Rilliaco; Aimericus de Esculio; Arnulfus Chillos; Pipinus de Haia.

Cart. orig., folio 23, verso; copie, p. 477.

CXCVII.

De sclusa et molendino apud Antoniacum.

(C. AN. 1090.)

Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod Simon de Nugastro dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis partem unam sclusæ, quæ est ad Antoniacum, quam sibi retinuerat, id est de molendinis. Hanc enim convenientiam fecerat cum monachis de Nuchariis de eadem sclusa, ut monachi totam sclusam facerent, et unum molendinum in ea proprium haberent. Si vero plus uno facere vellent, duo vel tria, de illis omnibus qui ultra unum essent, haberet Simon quartam partem. Hanc convenientiam dimisit postea Simon monachis, annuens eis ut quotquot ibi facere voluerint molendina, etiam VII, aut XII, omnia habeant monachi in dominium absque ulla calumnia extra partem illam quam Simon exinde habeat. Tensuras autem sclusæ, id est brachas

et retia mittent monachi in omnibus oris sclusæ, et de piscibus, qui per corpus suum unum denarium valuerint, habebit Simon quartum, et ex hoc serviens custos sclusæ fide sua promittet Simoni ut nunquam, causa invidiæ aut odii Simonis, cesset ingenia tendere in sclusa, temporibus quibus in aliis sclusis tenduntur ingenia. Et si Simon ex hoc suspicaverit servientem dicens: « Non mihi recte pisces reddidisti, aut ob odium mei ingenia tendere noluisti, » et hoc per testimonium Simon probare nequiverit, per fidem suam solummodo serviens ex hoc se purgabit. Quod si culpabilis fuerit, et rectum facere voluerit, quod proditum est accipiet Simon simplum absque guagio et sine lege. Quod si contempserit rectum facere, ostenderet Simon abbati, et similiter perditum suum simplum accipiet. Annuit eis adhuc terram de Copei, quam eis dederat Oggerius, avunculus uxoris suæ, quoquomodo possent eam habere ab Aimerico et Girardo, qui eam monachis auferebant, et promisit eis omne auxilium præbiturum, ne terra illa excoleretur, nisi per monachos. Annuit autem adhuc Simon monachis omnia quæ habebat Hubertus Petrosilus ad Marciacum, quæ ipse Hubertus dixerit se non dedisse Simoni, cum filia sua, si ipse Hubertus monachis jam dictis dare voluerit. Item dedit Simon supradictis monachis de Nuchariis frusta terræ, quæ sunt ad Sanctum Sulpicium, infra terram monachorum, quas non poterant excolere boves propter eminentes rupes; sed ab incolis villæ fossoriis et rastris excolebantur, et vulgo vocabantur *exsarta;* et sicut erant omnia intra terram quæ fuit data monachis, quantum possent quatuor boves excolere, ita omnia dedit Simon monachis. Hæc omnia, ut scripta sunt, dedit Simon monachis, et per fidem suam ita, ut scripta sunt, te-

nenda promisit. Annuit hæc omnia uxor Simonis, Aldeburgis, cognomento Borilla, et pro his omnibus dedit abbas Stephanus et monachi unum equum Simoni, quem nutriverat Rainaldus Galliculus, monachus, et uxori Simonis decem solidos, et unam culcitam.

Testes Salathiel, frater Simonis; Alexander, qui de his servandis fidem Simonis accepit; Aimericus de Escullio; Arnulfus Chillos; Stephanus, frater ejus; Radulfus, serviens; Humbertus, coquus; Odo Guituns.

Cart. orig., folio 171, verso; copie, p. 479.

CXCVIII.

Donum colliberti, qui dicitur Goffredus, a Bosone, Castri Araudi vicecomite.

(C. AN. 1090.)

Notum sit omnibus Ecclesiæ filiis, quod Boso, vicecomes Castelli Araudi, dedit Deo et Sanctæ Mariæ Nucharіensi quemdam hominem, nomine Goffredum, qui sibi lege commendantiæ erat subjectus, ita ut ex illo die, usque ad finem mundi, ipse et omnis ejus successio, commendantiam et omne aliud obsequium, quod illi suisque reddere solebat, abbati jam dictæ Mariæ redderet, et nulli suorum ultra redderet aliquod servitium.

Testes hujus rei: abbas Stephanus; Lisiardus, monachus; Ademarus de Cursai; Araudus Dai; Araudus, carnifex; Galterius Poteruns; Fulbertus de Luiens; Arnulfus Chillos. Apud Castrum Araldi. Audivit hoc etiam Galterius de Mentré, præpositus ipsius vice-comitis.

Cart. orig., folio 63, recto; copie, p. 481

CXCIX.

De guerra inter Fulconem, comitem, fratrem Barbati, et Bartholomæum de Insula.

(C. AN. 1090.)

Notum sit omnibus Ecclesiæ fidelibus, quod, temporibus Fulconis comitis, fratris Barbati, orta est ira inter eumdem comitem et Bartholomæum, dominum Insulæ, qua exardescente, isdem comes, congregato adversus Bartholomæum exercitu, fecit castrum ad Campaniacum, quod custodiendum Rotberto de Bloio tradidit; sed Bartholomæus, congregatis amicis, incendit illud castrum, et eos qui intus erant, cepit; inter quos captus est Guarnerius Maingoth, nepos Rotberti, quem in vinculis positum cuidam suo armigero, Pagano cognomine, in parva arca jussit complicari. Qui ob hoc valde iratus, postquam est a vinculis solutus, in tantum eumdem Paganum exosum habuit, ut, si ei facultas daretur, membratim eum discerperet. At Paganus valde ejus pertimescens ferocem animum, multoties per amicos et notos ab eo pacem expetiit, quam nullomodo invenire potuit, donec isdem Garnerius ab abbate Stephano Nuchariensis ecclesiæ multa prece rogatus, annuit pacem cum Pagano facere, si ipse Paganus, et pater ejus et fratres, causa ejus adquirendi amoris, de rebus suis Nuchariensi ecclesiæ aliquid concederent. Illi autem hoc se libenter facturos promittentes, causa pacis illius, maxime tamen causa amoris Dei et redemptionis suarum animarum, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et monachis inibi Deo servientibus, Gaufridus scilicet, filius Salconis, et filii ejus, apud Sanctum Pa-

tricium de terra, quam illic propinquiorem ecclesiæ Sancti Patricii habebant, quantum possent excolere duo boves, duobus temporibus, id est ad hibernalia et æstivalia; ad quam terram mensurandam fuit Gaufridus, filius Salconis, pater Pagani, et ipse Paganus et Salco, et Hugo, fratres ejus, et abbas Stephanus, cum quibusdam suis monachis, et eamdem terram mensurandam circuierunt, et limites designaverunt; et est eadem terra juxta maximam viam, ad sinistram euntibus ad Silvam Seneur. Dederunt autem adhuc Gaufridus, et filii ejus, monachis unum arpennem prati de tribus quos habebant subtus Sanctum Michaelem, nec meliorem, nec deteriorem, sed ex utroque medio temperatum.

Testes de dono Gaufridi et filii ejus Salconis, sunt Galterius Girorii; Garnerius Maingoth; Johannes Folium; Alexander, filius Achardi; Gauterius Runthuns; Tethbaudus, filius Hubaldi; et hoc fuit inter Insulam et Sanctam Mauram ad placitum Hugonis et Bartholomæi ad Monterillos.

Ad Sanctum Patricium de Gaufrido patre et Pagano et Hugone filiis, quando terram mensuraverunt, fuerunt testes : Matheus Rufus et frater ejus Philippus; Galterius Escoth; Benedictus de Forga; Gauterius Runthuns; Tedevinus de Nucheriis; Herbertus de Foolers.

Postea vero venit Gaufridus jam dictus, scilicet Salconis filius, apud Nucharios, et ibi super altare donum de his omnibus, sicut scripta sunt, posuit ipse et filius ejus Aimericus, qui hæc, ita ut sunt dicta, coram multis annuit. Testes Gauterius Runthuns; Alexander, filius Achardi; Arnulfus Chillos; Radulfus, serviens monachorum; Longus, filius Isembranni; Gaufridus de Marcilliaco; Gaufridus, filius Martini; Giraldus pistor, et frater ejus Johannes.

Annuit autem hoc Aimericus, filius Machaelli, domno abbati Stephano et ecclesiæ Nuchariensi pro anima patris sui, et sua, suorumque omnium parentum. Testes Rotbertus de Blo; Garnerius Maingoth; Bernerius de Campaniaco; Rotbertus Planus; Gaufridus de Sembleciaco; Benedictus de Foria.

Cart. orig., folio 70, verso; copie, p. 485.

CC.

Donatio alodorum ad Polinniacum.

(C. AN 1090.)

Notum sit omnibus, quod Burcardus de Fraxinis, et frater ejus Vivianus Bugorels, dederunt Deo et monachis Sanctæ Mariæ de Nuchariis alodos quos habebant ad Polinniacum, quos tenebant de Guillelmo de Forniolis, pro anima fratris sui Rainaldi Hiberni, et pro anima alius fratris Jacobi. Dederunt autem partes duorum fratrum istorum, qui erant jam mortui, et quos monachi sepelierant, in vita sua, et post suum obitum, unusquisque suam partem annuit tempore abbatis Stephani in cellario Nuchariis, ut monachi eos in suo cimeterio sepeliant, scilicet Burcardum et Vivianum, si ipsi petierint. Annuerunt autem Stephanus Grenerius, et filius uxoris ejus, Boso, filius Guillelmi de Forniolis, acceptis ab abbate ac monachis sex solidis pro annuatione, audientibus et videntibus his testibus : Ademaro Palestello; Arnulfo Chillo; et Viviano de Pilis.

Cart. orig., folio 183, verso; copie, p. 487.

CCI.

Datur sazimentum quod habebatur in Guarino, filio Raimundi Torcol.

(C. AN. 1091.)

Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Ecclesiæ, quod Simon de Nugastro dedit Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis de Nuchariis sazimentum quod habebat in Guarino, filio Raimundi Torcol de montibus; esset juste an injuste; esset rectum an tortum sazimentum, omnem calumniam, quam in eodem Guarino habebat, absque ullo retinaculo dimisit, et dedit Sanctæ Mariæ ac monachis de Nuchariis, qui in eodem Guarino rectum habebant. Et propter hoc, jam dicti monachi dederunt Simoni, et filio ejus, et uxori pullum valentem IX solidos, quem ipse Garinus nutrierat. Annuit H. uxor Simonis, et Hubertus, filius ejus.

Testes : Aimericus, dominus Fagiæ; Hugo Rigaldi; Goffridus Planellus; Alexander de Nugastro; Guillelmus Gatinnuns; Poslardus; Paganus Engelgerii; Barbatus, frater ejus; Galterius, nepos Simonis; Mauricius de Situla; Vivianus Bibe securim; Garnerius, præpositus.

Cart. orig., folio 65, recto; copie, p. 489.

CCII.

Donatio duorum denariorum census a Berengario de Villana.

(C. AN. 1091.)

Notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus, quod Berrengarius de Villana duos solidos census habebat apud Sanctum Patricium, quos debebat ei Goffridus Calcal, quem censum pro remedio animæ suæ dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et monachis ejusdem loci quatuor nummos in vita sua. Post mortem autem Berrengari, Lancelinus, filius ejus, censum, quem retinuerat, et alia jura patris diu tenuit, donec in expeditionem pergens, cum Bartholomæo, domino Insulæ, vulneratus est ad mortem, et positus in extremis, factus est monachus, et tunc donavit Deo et Sanctæ Mariæ xx denarios census, quos retinuerat pater. Recedentibus autem monachis et succedentibus, Albertus, filius supradicti Gaufridi, multotiens recusabat reddere censum, prætendens causam esse de eleemosyna parentum suorum, et ad procurationem (1) clericorum in die festivitatis sancti Patricii positum super altare, quod falsum est, ut dixit Lamcelinus, filius Berengarii de Villana, et removet omnem hanc excusationem, dicens patrem suum Berengarium ideo jussisse poni super altare, quoniam dominus Sancti Michaelis rapiebat in sazimento censum suum quando habebat guerram cum domino Insulæ.

Cart. orig., folio 70, recto; copie, p. 491.

(1) Procuratio, quodvis convivium. Dicitur etiam de exceptione stata ac debita dominorum a vassallis.

CCIII.

Simon de Nugastro dat collibertum, Natalem scilicet de Portu.

(C. AN. 1091.)

Notum sit omnibus sanctæ Dei matris Ecclesiæ fidelibus, quod Simon de Nugastro dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis sazimentum quod habebat in quemdam hominem, Natalem scilicet de Portu. Concessit etiam cum eo omnem fraternitatem suam (1), quæ ei eveniebat, Natali scilicet, ut usque in perpetuum, neque in eo, neque in fraternitate sua aliquid amplius requirat. Et hoc concessit Borilla, uxor ejus.

Testes ex hoc : Yrvisus Cabruns ; Salamata, filius ejus ; Philippus Rufus; Hugo Garnaldi; Lambertus de Haia.

Cart. orig., folio 65, recto; copie, p. 493.

CCIV.

De terra apud Insulam prope capellam Sancti Ægidii.

(C. AN. 1091.)

Notum sit omnibus, quod Rainaldus de Bagneolis habebat unam olcam terræ apud Insulam, juxta capellam Sancti Egidii, quam Deo dedit et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, annuente uxore sua, ex cujus parte erat, et filio ejusdem uxoris, Petro nomine, filio Ber-

(1) Fraternitas dicitur pars hereditatis, quæ ad fratres primogeniti pervenit.

nardi *Boni servientis*, acceptis a monachis xxx solidis, et unoquoque anno reddant jam dicti monachi de eadem olca quatuor denarios census in die festivitatis sancti Martini, aut die sancti Bricii, supradicto Rainaldo, aut ei qui honorem uxoris ejus habuerit. Annuit autem et hoc Yvo, filius Thomæ, vidente Chotardo de Sancto Spano, et multis aliis.

Testes qui viderunt, quando Raginaldus et uxor ejus, et filiaster, et filia Rainaldi, dederunt, hi sunt: Gaufridus de Coime; Fulco, filius Vitalis; Fulcherius de Prulliaco; Christianus Turbatus; Adelardus Pastellus; Rainerdus, famulus.

Cart. orig., folio 114, verso; copie, p. 493.

CCV.

Terra de Monte Goscelini.

(C. AN. 1091.)

Notum esse volumus posteris nostris, quod Gaufridus Peloquinus dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et monachis ejusdem loci, omnes consuetudines terræ de Monte Goscelini, annuentibus filiis ejus, Gaufrido Peloquino et Gaudino Furnerio, tempore abbatis Stephani.

Testes hi affuerunt: Ansterius et Lisiardus, monachi; Arnulfus Chillos; et Aigardus.

Cart. orig., folio 137, verso; copie, p. 497.

CCVI.

De terra apud Drachiacum data pro Araldo facto monacho.

(C. AN. 1091.)

Rainaldus juvenis de Noviastro dedit quamdam terram, quam habebat ad Drachiacum, Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, pro quodam filio suo, nomine Araldo, qui in eadem ecclesia erat monachus. Post multum vero temporis, tempore abbatis Stephani, invasit eamdem terram quidam homo, Natalis nomine, de Drachiaco, voluitque eamdem terram probare lege judicii se recte habere ; cumque paratum esset judicium, congregatis ad hoc placitum multis hominibus, venit jam dictus Natalis in capitulum monachorum Nuchariensium, et ibi coram multis hominibus, dimisit eamdem terram quictam ac liberam absque ulla calumnia abbati, ac monachis. Postea vero abbas Stephanus, ac monachi, medietatem ejus terræ dederunt eidem Natali in fedium, tali convenientia, ut nullum exinde servitium reddat, nisi hoc tantum, quod homo erit abbati, et de eo medietatem supradictæ terræ in fedium habebit, et aliam medietatem in dominium habebunt monachi, et propter hoc monachi in suo cimiterio eum sepelient.

Testes : Ervisus Cabruns; David Buca; Odo *Centum solidi*; Adelelmus Cauda Vaccæ; Guillelmus de Albers; Rogerius Brunus; Stephanus Chillos, et frater ejus Arnulfus Chillos; Radulfus; Gaufridus; Giraldus Busselius; Bernerius; Arduinus Turbatus, et frater ejus Christianus.

Cart. orig., folio 108, recto; copie, p 499.

CCVII.

De terra apud Nucharios quam dedit Arduinus de Sancto Medardo.

(C. AN. 1091.).

Notum sit omnibus Ecclesiæ catholicæ fidelibus, quod Arduinus de Sancto Medardo dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis Sanctæ Mariæ de Nuchariis, omnem terram quam habebat apud Nucharios, inter vineas monachorum et fluvium Vigennæ, scilicet duas olcas quas tenebat Goslenus piscator, annuente fratre suo Gaufredo, pro anima patris sui et matris, suaque et omnium suorum parentum. Hoc autem donum fecit abbati Stephano apud Linguacense castrum, ante ecclesiam Sancti Johannis, in viridario Rainaldi, presbyteri de Sancto Medardo, die dominico, vigilia sancti Dionysii. Ibi etiam annuit hoc Gaufridus, frater ejus, et aliam terram quæ est super viridarium monachorum, quam Arduinus et Rainerius, frater ejus, supradicto abbati et monachis ante jam dederant.

Testes ex hoc: abbas Stephanus; Lisiardus, monachus; Galterius, monachus; Abericus, filius Rahart; Rainaldus, presbyter de Sancto Medardo; Rainerdus de Insula; Goffredus de Maceriis.

Cart. orig., folio 50, recto; copie, p. 301.

CCVIII.

Augerius dat medietatem totius terræ quam habebat trans Vigennam.

(C. AN. 1091.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris catholicæ Ecclesiæ filiis, quod Augerius, cognomento Brisahastam, cum filiis suis Gaufrido et Petro, tempore abbatis Stephani, venerunt ad Nucharios, et in capitulum monachorum, et societatem et beneficium ejusdem congregationis acceperunt. Dederunt autem eidem congregationi, Augerius, et filii ejus, medietatem totius terræ, quam habebant trans Vigennam, sive in monte ubi sunt petrariæ, vel ad Sarciacum, aut ad Dalsiacum, de silvis, de terris cultis et incultis, de colibertis, et de servis, tam de hominibus quam de feminis, et de filiis Gosberti de Rupe, et de omnibus aliis, qui erant ad Nucharios, et ad Noviastrum, et ad Marcilliacum, et in omni illa regione. De omnibus quæcumque habebant in omni illa provincia dederunt Augerius, et filii ejus, medietatem Nuchariensi ecclesiæ, tali convenientia, ut si Augerius, et unus de filiis ejus, monachi esse voluerint, pro illa medietate facient eos monachos; et si ille filius qui in sæculari habitu remanserit, absque herede obierit, aliam medietatem, sicut aliam, Nuchariensi loco annuerunt. Si vero monachi esse noluerint, neque pater, neque filii, semper monachi habebunt in eorum vita medietatem, sicut et aliam medietatem, post mortem eorum, si sine heredibus obierint; monachi autem cum beneficio loci dederunt eis centum solidos in caritate.

Testes ex hoc: Urricus, presbyter; Goffredus, pres-

byter; Christoforus; Laurentius Grassus; Bernardus, sutor; Gorbellus; Bernardus, famulus; Parator.

Annuit autem hæc omnia Odo, cognomento Lepus, acceptis ab abbate et monachis triginta solidis in caritate. Testes : Alexander de Coime; Radulfus Engenaldi; Paganus, filius David; Giraldus, filius Arnulfi; Johannes Giroardi.

Cart. orig., folio 37, verso; copie, p. 503.

CCIX.

Goffredus de Podio dat terram monachis Nuchariensibus.

(C. AN. 1091.)

Goffredus de Podio et Matthæus filius ejus concesserunt Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus terram quæ fuerat Petri Richin, et erat de censu ipsorum. Concesserunt et duo frusta terræ, Saponelli. Testes Matthæus, serviens ejus; Gosbertus, armiger ejus; Morinus Rube; Christoforus de Nuchariis.

Cart. orig., folio 34, recto; copie, p. 109.

CCX.

De vinea apud Sanctum Patricium quam dedit Mainardus, filius Ulgerii.

(C. AN. 1091.)

Mainardus, filius Ulgerii presbyteri, de Sancto Patricio, habebat quamdam vineam apud Sanctum Patricium, quæ erat de junioratu ecclesiæ Sancti Patricii, in qua rectum clamabant monachi Sanctæ Mariæ de Nuchariis.

Qui, eorum agnoscens rectum, venit in eorum capitulum, et accepit eorum beneficium, dimisitque eis omnem vineam et monachi dederunt ei x solidos in caritate.

Testes ex hoc : Arnulfus Chillos; Rainaldus, coquus; Rotbertus, carpentarius; Ingelgerius, filius Arnaldi; Natalis Abraham.

Cart. orig., folio 99, verso ; copie, p. 509.

CCXI.

De ecclesia quæ dicitur Antoniacus.

(C. AN. 1091.)

Notum sit omnibus, quod domnus Hervisus Cabruns, post primum donum quod fecit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, de ecclesia quæ dicitur Antoniacus, omnia quæ retinuerat pro servitio quo serviebant tam ipsi quam filiis ejus monachi, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis ejusdem ecclesiæ Nuchariis, scilicet omnem terram cultam et incultam, et decimam annonæ, et vini, et aquam, et sclusam et omnem riperiam, et quæcumque habebat in parrochia ejusdem ecclesiæ Antoniaci, exceptis casamentis suis. Et de ipsis suis casamentis, si illi qui ea tenebant, aliquid dare voluerint monachis, omnia eis annuit. Annuerunt autem hoc filii ejus, Rainaldus et Gosbertus.

Testes ex hoc : Rainerius Dozils; Hugo de Nuchariis; et Boso, frater ejus; Garnerius præpositus; Guarinus de Rilliaco; Arnulfus Chillos; Radulfus serviens; Odo Guituns; Laurentius; Natalis; Stephanus Chillos et filius ejus.

Cart. orig., folio 172, recto; copie, p. 511.

CCXII.

De ecclesia de Antoniaco.

(C. AN. 1091.)

Gaufridus de Coimei et uxor ejus calumniati sunt monachis de Nuchariis ecclesiam de Antoniaco, et omnia pertinentia ad eamdem ecclesiam, quæ dederant jam dictis monachis Ervisus Cabruns et Simon, et sclusam et aquam; sed postea, rogante abbate Stephano et monachis, et per rationem ostendentibus eos injuste hanc calumniam facere, annuerunt omnia quæ prius calumniati sunt, ecclesiæ Nucharіensi, Gaufridus et uxor ejus, et filius eorum; sicut Ervisus et Symon dederant monachis, ita annuerunt Gaufridus et uxor ejus, et filius eorum; et ipsi filio eorum dederunt monachi XII denarios.

Testes Aimericus, dominus Fagiæ; Fulcherius de Maximiaco; Athelinus de Bosnaico; Effredus, canonicus; Gaufridus Plenels; Kadilo de Forniolis; Stephanus de Maximiaco; Arnulfus Chillos, servus.

Cart. orig., folio 172, recto; copie, p. 507.

CCXIII.

Prata apud Carriciacum.

(C. AN. 1091.)

Hugo de Carriciaco dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nucharіensi ecclesia prata quæ habebat prope molendinum de Carriciaco, pro anima sua et uxoris suæ et

omnium suorum parentum. Annuit autem hoc filius ejus.

Testes : Arnulfus Chillos ; Gosbertus de Monte ; Hubertus de Carriciaco ; Giraldus Menent ; Bernardus Peters.

Cart. orig., folio 216, verso ; copie, p. 513.

CCXIV.

De terra quæ dicitur Copeis.

(C. AN. 1091.)

Hoc manifestum fieri volumus cunctis huic tempori succedentibus, quod Achardus Balbus dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nucariis, inter Vigennam et Crosam, in loco qui dicitur Copeis, unam modiatam terræ, id est quantum potest seminari uno modio annonæ, in dominium, et omnem aliam terram quam ibi habebat in medietatem, ita ut quoquo modo excolere voluerint monachi, aut per se, aut per suos homines, ipse Achardus et filii ejus, habeat medietatem terragii, et monachi aliam medietatem omnibus diebus, et omnes riperias illius terræ partirent monachi et Achardus per medium, et sclusam quæ est in Vigenna, dedit eis isdem Achardus ad medietatem, si monachi eam totam facere voluerint. Testes ex hoc Arnulfus Chillos ; Vivianus de Pilis.

Annuit autem hoc uxor ejus apud Sanctam Mauram, coram Fulcherio, monacho, et Hugone, filiastro Fulconis, filii Vitalis ; et Viviano Millerol ; et Willelmo Rico.

Cart. orig., folio 193, recto ; copie, p. 515.

CCXV.

Donatio cujusdam colliberti, Aimerici nomine, cum uxore ejus, et filiis atque filiabus ejus.

(C. AN. 1092.)

Notum sit omnibus, quod Burchardus de Fraxinis, in infirmitate positus, mandavit Nucharienses monachos venire ad se, venitque ad eum unus de monachis, Goslenus nomine, et locutus est cum eo, annuens ei, ex parte abbatis, beneficium loci Nuchariensis. Dedit autem Burchardus ille Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis quemdam suum colibertum, nomine Aimericum de Dol, et uxorem ejus, et filios et filias, pro anima sua et uxoris suæ, et omnium suorum parentum, et ut eum monachi in suo cimiterio sepelirent, quod ipsi fecerunt honorifice. Annuit autem hoc uxor Burchardi, et filii ejus.

Testes, Goscelmus, monachus ; Patericius ; Landricus de Pethaico ; Aimericus de Dol.

Cart. orig., folio 64, recto ; copie, p. 517.

CCXVI.

Partitio Thetbaldi, coqui, et sororis ejus, inter Sulionem et monachos.

(C. AN. 1092)

Sulio *Aridum mare* partitus est cum monachis Nuchariensibus Tethbaldum, coquum, cum sorore sua, et venit Tethbaldus in partem monachorum, soror vero in

partem Sulionis. Hanc vero partitionem concessit postea Girardus, filius ejus, et Petronilla uxor ipsius, et duo filii ejus, Gaufridus et Sulio.

Testes Goffridus Garnigo ; Stephanus Vigerius ; Gimo de Nugastro; Rogerius, sororius ejus ; Amalvinus; Andreas Rigaut,

Concessit et Goffridus Garnigo et Helisabet, uxor ejus et filii Hugo et Petrus, et filiæ Amelina et Maria, iisdem suprascriptis testibus et Girardo *Aridum mare* audientibus.

Cart. orig., folio 64, recto; copie, p. 519.

CCXVII.

Ermengardis, uxor Viviani, dat terram et prata, prope flumen Esmantiam.

(C. AN. 1092.)

Ego Ermengardis do Sanctæ Mariæ Nuchariensis monasterii, et monachis ibi Deo servientibus, terram quam Thebaldus, pater meus, dedit mihi in matrimonium, quando meus senior Vivianus duxit me, scilicet duos arpennos et dimidium de terra arabili, et dimidium arpennum de prato situm ultra flumen Esmantiæ, pro salute animæ senioris mei Viviani, et pro salute animæ meæ, et pro salute animæ patris et matris meæ.

Cart. orig., folio 113, verso; copie, p. 521.

CCXVIII.

De prato ante castrum Cainonense.

(C. AN. 1092.)

Notum sit omnibus Ecclesiæ fidelibus, quod Goffridus Surdus de Chainone pratum quod in Noa ante ipsum chastrum habebat, Deo et Sanctæ Mariæ et Nuchariensis ecclesiæ monachis condonavit ; iique sunt testes : Goslenus, monachus ; Gaudinus, monachus ; Aimericus, Aalonis filius ; Lanbertus,cliens Garnerii Maingodi.

Cart. orig., folio 95, recto ; copie, p. 269.

CCXIX.

De terris quæ dictæ sunt terræ monachorum.

(C. AN. 1092.)

Hi sunt testes qui audierunt, quando Girardus Aremet, et uxor illius, et mater ejus, annuerunt terram Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi, quæ est in capite culturæ monachorum, ad censum sex denariorum : Goffredus Peloquinus ; Guillelmus de Bro ; Guarinus, archipresbyter ; Effredus *Centum solidos* ; Giraudus de Podio ; Petrus Fulberti. Hi sunt qui audierunt quando fratres præscripti Girardi hoc idem annuerunt : Girardus de Centem ; Goffredus Engilgerii.

Cart. orig., folio 53, verso ; copie, p. 525.

CCXX.

Guillelmus Rufus concedit medietatem terræ quam habebat apud Braiacum.

(C. AN. 1092.)

Noverint omnium tam præsentia nostrorum quam posteritas futurorum quod ego Guillelmus, cognomine Rufus, de universa terra quam apud Braiacum hereditario jure habeo, medietatem monachis Sanctæ Mariæ Nuchariensis concessi, exceptis duobus junctis, quorum unum tenet Adelardus Ballolus, alterum Brunellus. De omnibus quoque hujus terræ reditibus et consuetudinibus medietatem concessi. Hoc autem donum tali pacto feci, ut si monachus fieri volo, sine ullo quæstu, nisi sponte mea dedero, libenter me recipiant in suo monasterio; si vero in laicali habitu finiero vitam, honorifice me quasi unum ex monachis, in suo cimiterio sepeliant. Hoc similiter, ut ego, concessit uxor mea Aldeardis.

Hujus rei testes sunt, Amalvinus de Razina; Odo, presbyter; Arnulfus Chillos; Aimericus Talasius; Bernardus, famulus.

Cart. orig., folio 203, verso; copie, p. 529.

CCXXI.

De terra quam dederat Philippus Rufus apud Sanctum Patritium.

(C. AN. 1092.)

Quoniam res præteritæ, successione temporum cito a memoria hominum elabuntur, idcirco memoriæ scripto tradere volumus quod Philippus, filius Gisleberti Rufi,

dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis terram apud Sanctum Patricium in eleemosynam, et monachis ejusdem loci, quam terram tenuerunt quiete, Philippo vivente. Defuncto autem Philippo, Matheus, frater ejus, de Brullio Haimonis, abstulit illam terram monachis, qui tamen annuerat, et filiæ suæ in matrimonium donavit; illatione cujus injuriæ monachi dolentes, eos excommunicari fecerunt; ipse autem sustinens excommunicationem, in hoc mortuus est. Post eum, Wichardus rem diu tenuit ; sed tandem in extremis, timore mortis coactus, uxorem suam rogavit ut terram ecclesiæ dimitteret, et monachos amplius super hoc non vexaret. Ipsa autem petitioni viri sui non adquiescens, passa est etiam propter excommunicari. Vicit tamen super eam factæ vigor justitiæ : credens enim amicorum suorum consilio, concordiam cum monachis fecit, et decem solidos inde accipiens, eis terram habendam quiete reliquit.

Cujus rei testes sunt : Johannes de Signiaco ; Normannus de Cainone ; Paganus.

† Signum Sibillæ.
† Signum Mathei.
† Signum Agathæ.
† Signum Petronillæ.

Cart. orig., folio 71, recto ; copie, p. 331.

CCXXII.

De ecclesia quæ dicitur Cella (1).

(C. AN. 1092.)

Notum sit omnibus fidelibus Ecclesiæ, quod Guarinus de Fontanellis, et Lonus de Lucis, habebant quamdam ecclesiam quæ dicitur Cella, quæ sic erat divisa inter utrumque, ut ex omnibus quæ ad eamdem ecclesiam pertinerent, id est, de junioratu ecclesiæ, et de offerentia, de archagio, de sepultura et de decima, unicuique eorum esset medietas, et uterque in sua parte habebat suum presbyterum. Concordantes autem invicem uterque Guarinus et Lonus, annuentibus uxoribus eorum, dederunt junioratum ecclesiæ, quidquid in ea presbyteri de eis habebant, et terram altaris Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis de Nuchariis, tempore abbatis Stephani, et pro terra altaris habuit Lonus xx solidos, Guarinus autem....., excepto junioratu de sua medietate, quæ ei eveniebat.

Cart. orig., folio 103, recto; copie, p. 533.

CCXXIII.

De Cella Sancti Aventii.

(C. AN. 1092.)

Notum sit omnibus, quod quidam vir nobilis, nomine Lonus de Lochis, in infirmitate positus, mandavit..... (*aliquid deest*). Cujus ammonitionibus ille annuens, cre-

(1) Cella quæ vocatur *de Guenant* (Nota D. FONTENEAU). Sed perperam; ibi enim agitur de *Cella S. Adventii*. Vide cartam sequentem.

dens se nullo modo salvum posse fieri, nisi monachus efficeretur, petiit jam dictum abbatem ut eum faceret monachum. Dedit autem idem Lonus Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, ac monachis Deo ibidem servientibus, quidquid habebat in junioratu ecclesiæ quæ dicitur Cella Sancti Adventii, id est, medietatem offerentiæ et medietatem sepulturæ, et omne fedium quod habebat de eo presbyter in ecclesia Cellæ. Annuit autem hæc omnia uxor ejus, Cana, et filius ejus Petrus, et frater ejus nomine.... *(nomen deest)*. Annuit et hoc Hubertus de Montelon, qui habebat filiam ejus. Testes ex hoc Gaufridus *dat branni*; Ademarus, presbyter; Rainaldus de Pilis; Corbellus.

Transacto autem non multo post tempore, Petrus, filius supradicti Loni, qui post patrem honorem patris habuit, in infirmitate positus, sciens se non posse evadere extremitatem vitæ, rogavit monachos Nucharienses ad se venire, et accipiens ab eis consilium salutis, factus est eorum monachus, dans eis suam partem presbyteratus ecclesiæ quæ dicitur Cella Sancti Adventii, quam tenebat de eo presbyter ejusdem ecclesiæ. Dedit eis quamdam terram, quæ dicitur Campus Sancti Medardi, unde erat medietas Roscelini, suam partem dedit monachis. Adhuc etiam dedit eis vineam unam, quæ est ad pontem novum, prope villam quæ dicitur Casa Cantoris. Testes Sevaldus, monachus; Nicholaus, monachus; Gaufridus Peloquini de Sancta Maura; Engilgerius, vicarius; Hugo Cenomannicus; Humbertus de Montelone.

Cart. orig., folio 104, verso; copie, p. 535.

CCXXIV.

De molendino de Tablet.

(C. AN. 1093.)

Ad notitiam tam præsentium quam futurorum litteris mandare curavimus, quod Petrus Peronellus, pro redemptione animæ suæ, dedit Sanctæ Mariæ de Nuchariis ac monachis ejusdem loci medietatem molendini de Tableti. Post cujus decessum, tres filii Ernardi Bonet, eamdem medietatem supradicti molendini calumniati sunt, eo quod essent consanguinei germani supradicti Petri. Quapropter Odo, monachus, qui tunc temporis in obedientia apud Raziniam morabatur, septem libras Andegavensis monetæ eis dedit, ea conventione ut eamdem medietatem molendini, quam calumniabantur, Sanctæ Mariæ sine ulla contradictione concederent. Tunc supradicti fratres, præsente et concedente vitrico eorum, Aimerico de Milliaco, et matre eorum Niva, venientes in curiam domni Aimerici de Fagia, prædictam medietatem Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus sine aliqua calumnia in perpetuum concesserunt.

Testes hujus rei sunt Amalvinus Robelins; domnus Aimericus de Fagia; Hugo Goscelinus; Eliagardus; Johannes de Tuscha.

Cart. orig., folio 205, recto; copie, p. 537.

CCXXV.

Ecclesia de Rupe Clare-Mauris (La Roche-Clairmaut).

(C. AN. 1093.)

Quoniam inter discursus rerum labentium, facile humanæ menti succedit factorum oblivio, oblivioni possessionum amissio, justum esse decrevimus, ut ad futurorum memoriam istis litteris assignemus, quod Effredus David dedit Deo et ecclesiæ Nuchariensi beatæ semperque Virginis Mariæ quidquid habebat in ecclesia Rupis Clare Mauris, videlicet in sepultura, et in decimis, sive in offerentiis. Annuit hoc Guido, frater ejus.

Testes inde fuerunt Cadilo de Furniolis; Boso, nepos ejus; Gaufridus de Gandis; Hugo de Montiniaco; Alexander et Hubertus, monachi; et Ardreas, famulus. Annuit hoc etiam Guillelmus Stimulus, videntibus Rainaldo, monacho, et Bosone de Boslanto.

Cart. orig, folio 96, verso; copie, p. 539.

CCXXVI.

De quadam colliberta, nomine Milisendi, et ejus filio ac filiabus.

(C. AN. 1093.)

Agnoscant posteri nostri, quod ego Aimericus Tofet mulierem quamdam, nomine Milisendem, uxorem Giroardi, habitantem in burgo Nuchariensi, quæ mei juris esse videbatur, filiumque ejus nomine Johannem, filiasque duas, longo tempore calumniatus fuerim; sed postea

conventus et rogatus a monachis Nuchariensibus, ut Sanctæ Mariæ eos exponerem, pro redemptione animæ meæ, supra nominatam mulierem et omnem ejus successionem Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi concessi, acceptis ab eisdem monachis xv solidis in caritate.

Testes hi fuerunt Girardus Ivonis; Jomerus de Avum; Alexander de Nugastro; Rainaldus Freslo. Concessit et hoc uxor mea, Petronilla, coram his testibus.

Cart. orig., folio 61, verso; copie, p. 341.

CCXXVII.

Emptio quartæ terræ ad Petram Moignii.

(C. AN. 1093.)

Noverit omnium, tam præsentia horum, quam posteritas futurorum, quod Guarinus, cognomine Parvus, ejusque frater, Andreas nomine, vendiderunt medietatem unius arpenti prati monachis Sanctæ Mariæ Nucharii, videlicet Durando et Fulcrado, et omnibus aliis ibidem Deo famulantibus, viginti II solidos, et quadrantem terræ ad Petram Moignii, juxta eorum clausuram, dederunt in eleemosynam supradictis monachis. Hæc emptio facta est apud Varennam, videntibus Matheo Rufo et Mainardo Sancti Patricii. Deinde prædictus Fulcradus perrexit ad domum ejusdem Guarini, ibique concesserunt uxor Guarini et duæ filiæ eorum, et quidam filius A., quos illo tempore habebant. Hoc supradictum pratum de alodo Sanctæ Mariæ Nucharii erat. Hujus rei concessionem viderunt Bernardus Frogerii; Aimericus Bociatus; Durandus de Valzeliola; Rainaldus, filius Martini, sutoris.

Terram quam habebat Mainardus, filius presbyteri, a Petro Popino, dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis illic Deo servientibus, concessu ipsius mulieris ; et exinde accepit tres solidos ab ipsis monachis. Hujus rei testes adfuerunt Garinus Parvus; Galterius Longus.

Hoc vero concesserunt Petrus Popinus, illiusque frater Godefridus, et exinde acceperunt, Petrus v solidos et Godefridus II solidos. Hoc autem vidit Gaufridus de Simblinciaco, et Giraudus, sacerdos.

Cart. orig., folio 102, recto; copie, p. 543.

CCXXVIII.

Donatio terræ prope Curcué.

(C. AN. 1094.)

Amalvinus Robelinus condonavit totam quamdam terram, post mortem suam habituram, et omnia quæcumque habebat ex eadem terra, Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis de Nuchariis; quam terram emerat ab Hugone, filio Gregorii, inter Curcue (1) et Abei seu Aggi.

Ii sunt testes : Chadilo de Fornellis; Goffridus de Marcilliaco; Adelelmus *Pugna viger*; Guiton; Centarius.

Cart. orig., folio 91, verso; copie, p. 545.

(1) Courcoué (Nota D. FONTENEAU).

CCXXIX.

De terra quam emerat Araudus, filius Linæ, ab Aimerico, domino Fagiæ.

(C. AN. 1094.)

Araudus, filius Linæ, emit quamdam terram ab Aimerico, domino Fagiæ. Est autem ipsa terra ad Sengni, inter Faiam et Mausum, quam dedit quibusdam hominibus ad censum. Postea vero factus monachus apud Nucharios, dedit quidquid habebat in ipsa terra Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis. Concesserunt hoc Radulfus, filius ejus, et Aimericus, dominus Fagiæ, et filius ejus Aimericus, ad Marnaicum.

Testes Hugo de Luens; Fulco Vecer; Stephanus Assicatus; Arraudus, judex; Bodet; Beroart; Petrus Alaart.

Postea in thalamo ipsius Aimerici concesserunt hoc idem, Eustachia, uxor Aimerici, cognomento *Rumpe-Stachium*, et filii ejus. Testes Boso, capicerius; Bonus Homo; Bodet; Goffredus de Orchis; Boso Airis; Gautelmus Gauterius; Gislebertus; Radulfus, filius Araudi.

Cart. orig., folio 216, verso; copie, p. 547.

CCXXX.

De terra apud Torciacum.

(C. AN. 1094.)

Ad notitiam posterorum memoriæ commendamus, quod Goffredus, filius Rainalmi, et Rainelmus, filius Burchardi, vendiderunt nobis, scilicet monachis Nucha-

riensibus, xxx jugeres terræ apud Torciacum sub hac conditione ut nos annuum censum, id est xvi denariorum solidos persolveremus, et præterea quatuor jugeres, sine censu gratis, contradiderunt nobis. Concesserunt etiam nobis, si burgum in eadem terra facere vellemus, sive in ea parte quam emimus, sive in ea quam gratis ab eis accepimus, ut omnes consuetudines ejusdem burgi, sine contradictione nostræ essent. Piscaturam etiam suam, quam in Voda flumine, secus eamdem terram præterfluente, habebant, nobis concesserunt. Hujus rei testes fuerunt Salco, serviens eorum; et Goffredus Ruillietz.

Hæc omnia concessit Milesendis, uxor ejusdem Goffredi. Goffredus, filius Adelelmi, tradidit nobis in eadem aqua piscaturam suam, concedente domino Garnerio Maingodo, de cujus feodo erat. Idem etiam Garnerius suam quoque piscaturam in eadem aqua concessit. Testante Goffredo, filio Rainalmi, et Goffredo, filio Adelelmi, et Pagano de Brisiaco, et Pagano de Thoaso.

Cart. orig., folio 95, recto; copie, p. 549.

CCXXXI.

De ecclesia Creonii concordant monachi Nucharienses cum canonicis Aureæ Vallis.

(C. AN. 1094.)

Quia omnia, quæ temporaliter fiunt, labilia sunt et caduca, rebusque præteritis facile succedit oblivio, nisi scripto revocetur ad memoriam, placuit nobis, videlicet monachis Nuchariensibus, ad memoriam posteritatis litteris commendare concordiam quæ facta est inter nos et canonicos Aureæ Vallis de ecclesia Creonii.

Noverint igitur præsentes et futuri, quia partem ejusdem ecclesiæ, quam nobis Effredus de Marciaco, pro remedio animæ suæ tradiderat, quamque pluribus diebus tenuimus, postea præfatis canonicis hac conditione concessimus, ut ipsi singulis annis in secunda feria Paschæ quinque solidos Andegavensis monetæ apud Raziniam, vel apud locum qui vocatur Campus Venti, nobis persolvant. Quod si eis aliqua undecumque calumnia pro hac ecclesia surrexerit, et ipsi pro hujusmodi calumnia ad nos venerint, et necessitatis suæ causas abbati nostro rationabiliter monstraverint, ipse, vel ex monachis nostris quibus ipse injunxerit, pro causa eorum adquittanda absque ullis alicubi lucris dandis, quantum poterunt competenter in cæteris laborabunt.

Testes Adelelmus, canonicus; Gauterius, monachus; Stephanus de Loone; Ainardus.

Cart. orig., folio 91, verso; copie, p. 551.

CCXXXII.

Vicaria, consuetudines aliaque jura apud Castrum Insulæ concessa seu confirmata monachis Nuchariensibus.

(C. AN. 1094.)

Notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus, quod Bartholomæus, dominus Castri Insulæ, annuit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis de Nuchariis, tempore abbatis Stephani, omnia dona quæ dederant Nuchariensi ecclesiæ, pater ejus Archembaudus ad Sanctum Patricium, et quæ dederat patruus Burchardus, filius Ivonis, apud Insulam, et quæ dederat vel annuerat frater ejus Andreas Peloquinus, scilicet decimam suarum om-

nium messium de terra quam excolebat ad Insulam, et capellam Sancti Egidii, et vicariam, et omnes consuetudines de vicis Sancti Egidii, id est de illa terra quæ est inter tres vias, de qua Burchardus, filius Ivonis, dederat vicariam et omnes consuetudines monachis, et olcham illam, quam emerant monachi a Petro, filio Bernardi, de qua vicariam et omnes consuetudines habebat Girardus, filius Ivonis, et monachis eas dederat, annuit Bartholomæus monachis, et vicariam de ea, et omnes consuetudines, sicut Girardus dederat, ita monachis annuit, et decimam de terra et vineis Gaufridi Savarici ad Chiviriacum, quam dederant jam dictis monachis Savaricus, et frater ejus Gaufridus, et vicariam de Cavaniis, quam injuste requirebat, dimisit. Hæc omnia, ut scripta sunt, annuit Bartholomæus Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, addens eleemosynæ suæ, dans jam dictis monachis piscationem sclusæ suæ, a vigilia Paschæ usque in octavam diem. Concessit etiam ut consuetudinem reddant monachi apud Castrum Insulæ.

Testes qui hoc audierunt: abbas Stephanus; Galterius, ejus bajulus; Girardus, Ivonis filius; Hugo, filius Urrici; Radulfus Albuini; Vivianus, pontonarius; Rainerdus, famulus.

Cartul. orig., folio 69, recto; copie, p. 553.

CCXXXIII.

Donum unius colliberti, nomine Joannis de Dossiaco.

(C. AN. 1094.)

Rainaldus, cognomento *Tira prædam*, et Hermensendis, uxor ejus, habebant unum colibertum, Johannem scilicet de Dossiaco, quem dederunt Deo et Sanctæ

Mariæ, ac monachis Nucharienſibus, acceptis sexaginta solidis in caritate. Erat autem ipse Johannes de patrimonio uxoris ejusdem Rainaldi. Annuit autem hoc Rainaldus, filius ejusdem Hermensendis, et habuit v solidos, et Petrus Tosellus, et uxor ejus, et habuit duos solidos, et Aimericus et Roscelinus, filii ejusdem Rainaldi, pro concessione habuerunt unusquisque duos denarios, et unaquæque nutrix eorum duos denarios.

Testes sunt ii : Rainaldus, archipresbyter; Guarinus, nepos ejus; Daniel et Ulricus de Dossiaco; Achardus de Boisé; Bernardus, famulus.

Post hæc autem Goffridus, filius ejusdem Hermensendis, qui ad primam concessionem non fuerat, venit Nuchariis, et ibi fecit hoc donum in manu Stephani abbatis, videntibus Galterio, bajulo; Achardo de Boisé; Aimerico de Carriaco; Bernardo, famulo.

Alia vice concesserunt hoc ipse Goffredus, et frater ejus Aimericus. Testes Petrosilus, filius Simonis; Galterius, bajulus; Tethbaldus, carpentarius; Johannes, coquus; Amalvinus.

Concessit et hoc frater eorum Roscelinus. Testes Simon de Nugastro, et uxor ejus Borilla; Amalvinus.

Cart. orig., folio 145, recto; copie, p. 555.

CCXXXIV.

De terræ particulis quas vendiderat Rainerius, filius Gaufridi.

(C. AN. 1094.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Rainerius, filius Gaufridi, filii Othonis, calumniatus est domno abbati Stephano, ac monachis Sanctæ

Mariæ de Nuchariis, duas particulas terræ, quas ei vendiderat Arduinus de Sancto Medardo, frater illius. Est autem una particula inter viridarium monachorum et vineam Johannis Goelli, et alia inter clausum monachorum et terram Gaufridi Anguille, super ripam fluminis Vigennæ. Postea autem, rogante supradicto abbate, ac monachis illum precantibus, annuit eis supra scriptas particulas terræ, sicut Arduinus, frater ejus, eas primum monachis vendiderat. Convenerunt autem ei, abbas ac monachi, centum missas infra annum quo ejus obitum audierint, et insuper dedit ei abbas unam galeam, quam nos vulgo *helmum* vocamus, quam emit xx quinque solidos denariorum a Salatiel, fratre Uria de Noiastro.

Testes hujus rei: Salatiel, frater Uriæ; Adelelmus *Pugna vicarium*; Daniel de Rilliaco; Arnulfus Chillos; Rotbertus, carpentarius; Martinus Juglers; Pipinus de Haia; Girardus Menent; Natalis; Bernardus Peters; Aimericus, presbyter, et frater ejus Tebaudus.

Cart. orig., folio 50, recto; copie, p. 559.

CCXXXV.

Aimericus, dominus Fagiæ, confirmat omnia quæcumque data sunt monachis Nuchariensibus juxta decursum Vodæ.

(C. AN. 1095.)

Quoniam, juxta Apostoli vocem, non est magnum, si sæcularium vivorum carnalia metamus, quandoquidem spiritualium bonorum erga eos beneficia seminamus, scire debemus quod Aimericus Fagiensis res ecclesiæ nostræ non solum suis, sed etiam aliorum donis am-

pliare desiderans, annuit monachis Nuchariensibus quidquid de feudo suo, aut de casamentis eis juxta Vodæ decursum datum fuerit, tantum caput servitii inde non ammittat. Annuit hoc Aimericus, filius ejus, cum uxore sua Lisabel, cognomine *Rumpe stacha*.

Testes fuerunt Mauricius de Situla; Hugo de Luens; Aligannus; Goffridus de Gans; Johannes Goet, presbyter; Bodardus, Lancelinus, Alexander, monachi.

Cart. orig., folio 201, recto; copie, p. 561.

CCXXXVI.

Ecclesia de Saeriis.

(C. AN. 1095.)

Notum sit cunctis fidelibus, quod Galterius, filius Girorii, annuit monachis Sanctæ Mariæ de Nuchariis ecclesiam de Saeriis et quæcumque ad eam pertinentia conquirere possent, audientibus infra scriptis testibus: Maingodo *Media nocte*; Ivone de Sisinniaco; Reginaldo Barbota; Giraldo, coquo. Annuit hoc Girorius, filius ejus, audientibus eisdem testibus.

Cart. orig, folio 103, verso; copie, p. 563.

CCXXXVII.

Terragium et decima de Parilliaco.

(C. AN. 1095.)

Notum sit omnibus, quod Alogis Baldus, censum quem in cimiterio Parilliaci habebat, Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis Nucharii dedit; censum etiam terræ, ubi do-

mus eorum, id est monachorum, constituta est. Desertarum autem vinearum circiter quatuor juncta condonavit, quas Goffridus Suldanus, ipsius terræ prætor, Gaudino et Aimerico monachis præsignavit. Terræ vero suæ ipsius parrochiæ Parilliaci, scilicet terragium, decimam, quam injuste auferebat, eis concessit. Hoc concesserunt uxor ejus, et filii sui, Alo et Johannes, ipsiusque terræ dominus Paganus de Mirebello, de cujus casamento erat. Ii sunt testes, Goffridus Suldanus supradictus; Aimericus; Truncapes.

Cart. orig., folio 95, recto; copie, p. 565.

CCXXXVIII.

Decima ad Foolers, in terra Pagani Salconis.

(C. AN. 1095.)

Notum sit omnibus, quod Robertus Planus, et uxor ejus Adenordis, statuerunt in vita sua ut pro animabus suis darent Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, post mortem suam, decimam totam quam habebant ad Foolers, in terra Pagani Salconis, tali convenientia, ut quisquis eorum prior obiisset, pro primo mortuo monachi decimam haberent. Mortua est autem prior uxor Rotberti, Adenordis, et pro ea dedit maritus ejus Rotbertus, supradictam decimam Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nucariis, illam tantum quam in dominium habebat. Annuerunt autem hoc filii eorum Rotbertus, et filia Petronilla.

Hujus rei testes fuerunt Rotbertus, filius Drogonis, frater Adenordis mortuæ; Aimericus Machaelis; et fra-

ter ejus Carbonellus ; Aimericus de Gentilliaco ; Matheus Gisleberti ; Benedictus de Forgis ; Aldebertus de Valeia ; Osmundus Carellus ; Galo de Sillia ; Ammo ; Hubertus de Benaiis ; Landricus, serviens.

Annuit hoc Peloquinus, et uxor ejus Eustachia, dominus Insulæ, audiente Gaufrido Rufo ; et Malet ; et Gaufrido de Mazeliis ; et Roberto Plano ; et Benedicto de Forgia ; et Audeberto de Valeia ; adstante Durando, monacho.

Cart. orig., folio 68, recto ; copie, p. 567.

CCXXXIX.

Domus, vineæ et census apud Nucharios et apud Nancriacum.

(C. AN. 1095.)

Quia omnia quæ temporaliter geruntur, quotidie variantur cum tempore, congruum est ut quæ agimus aliqua litterali annotatione firmemus. Noverint itaque præsentes et futuri, quod Ulricus, presbyter, dedit Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi, et monachis loci ejusdem, tres solidos et octo denarios census cujusdam terræ, et ipsi habebant prius caput census ejusdem terræ tres obolos, scilicet, quos dederat eis Sulio. Dedit etiam eis domum quam habebat Nuchariis, quæ fuit Hugonis, presbyteri, quam eidem monachi sibi concesserant, et domum quam habebat apud Nancriacum, cum omnibus rebus ejusdem domus, post mortem suam. Idcirco domnus abbas Stephanus et monachi concesserunt ei vineam Andreæ, ita scilicet ut post mortem ejus iterum eorum esset.

Hujus rei testes fuerunt Rainaldus, coquus, cum duobus filiis suis ; Vitalis de burgo novo ; Odo Arotellus ; Bernardus, famulus ; Rainaldus Cheneth ; Garinus Nichan.

Cart. orig., folio 58, verso ; copie, p. 571.

CCXL.

De Rupe Peloquini.

(C. AN. 1096.)

Ad notitiam posterorum litteris mandare curavimus, quod domnus abbas Stephanus decimam quamdam, quam Oggisius de Pictavis dederat Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, quæ est ad Rupem Gaufridi Peloquini super Esmantiam, campsit Johanni de Drachio, pro quadam terra de Montel. Postea vero idem Johannes, iturus in Jerusalem, eamdem decimam reddidit Deo et Sanctæ Mariæ, acceptis xxx solidis pro caritate.

Annuit hoc uxor ejus, et filius ejus Araldus.

Testes hujus rei sunt : Aimericus Li Matzuns ; Goffredus Martinus ; Bernardus, Benedictus, famuli.

Cart. orig., folio 139, recto ; copie, p. 59.

CCXLI.

Domus, viridarium et fontes dantur apud villam quæ dicitur Aziacus.

(C. AN. 1096.)

Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod ego Yrwisus, cognomento Chabruns, prospicere volens animæ meæ, in futurum, et temporalibus expen-

sis mansuras conquirere divitias, pro remedio animæ meæ dedi Sanctæ Mariæ Nucharіensi, et monachis ibidem divino servitio mancipatis, domum meam quam habebam in villa quæ dicitur Aziacus, et ante eamdem domum terram quæ est inter duas vias a monasterio usque ad domum Berengarii bubulci, in qua terra erant VII domus rusticorum, quas et eis dedi, et quicquid in eadem terra ædificare vellent, et ad profectum sui augere. Dedi etiam eis viridarium adjacens domui meæ, et omnes fontes juxta decurrentes. Insuper etiam dedi eis duos arpennos prati, et unam modiatam terræ, id est, tantum terræ quantum sufficit ad seminandum unum modium annonæ, et totam terram quam Engilbertus de me tenet in feodo. Hanc autem donationem fecimus, tam ego quam filii mei, Gosbertus et Pollardus, et uxor filii mei Gosberti, filia Hugonis de Sancta Maura, in capitulo Sanctæ Mariæ Nucharіis, et donum in capitulo factum detulimus super altare.

Testes hujus rei fuerunt : Guillelmus Frogerii; Paganus Engilgerii; Rainaldus Barbatus; Achardus, præpositus; Frumentinus; Niela; Johannes Adelelmus; Fulco Buirs; Thebaudus, coquus; Aimericus Villanus.

Cart. orig., folio 76, recto; copie, p. 223.

CCXLII.

Iterum de villa quæ dicitur Aziacus.

(C. AN. 1096.)

Notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus, quod quidam vir nobilis, Ervisus Cabruns nomine, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis Nucharіensibus, domum

suam quam habebat apud Azaicum, cum horto et viridario, et fontibus cum vivario, et omnia prata quæ habebat super flumina Andriæ et Andreis, et omnem suam terram quam habebat apud Azaicum, in dominium vel in fedium, et burgum, et furnum, et censum, et cætera omnia quæ in parrochia illa habebat, et totam terram, et omnia quæ habebat apud Azaicum, pro se et uxore sua, et filiis, sicut habemus alibi scriptum. Annuerunt autem hoc nepotes ejus, Herveus et Rogerius, et Hugo Rufus, retentis sibi fedis, excepto fedio Engilberti de Tillei, quem annuerunt monachis, et omnia alia quæ supra scripta sunt.

Testes hujus rei fuerunt Jordanus de Brisso; Gaufridus Joellus; Odo de Sancto Michaele; Huo Raucus; Huo de Azaico; Archembaudus Malranni; Golfrannus; Bernardus, serviens; Guillelmus Corbellus; Gauterius de Banneolis; Bernardus de Banneolis; Girardus Charchanus; Stephanus de Campo Berthum.

Annuit autem hoc Ascelinus de Gisoias, et filius ejus, et filia. Testes Cæsarius de Ambaziaco; Sulpicius de Azaico, et filius ejus Radulfus; Thomas de Chenumcello; Vivianus de Sancto Georgio.

Hoc etiam annuit Guiternus de Sancto Aniano, et uxor ejus, et duo filii ejus, et filia uxoris ejus. Testes ex hoc Matheus Infernus; Herveus de Breisso; Petrus Coindex; Petrus, coquus comitissæ.

Pro his omnibus annuationibus dedit Lancelinus monachus Hugoni Rufo IIII libras et V solidos et duas culcitas; et Rogerius fratri ejus L solidos, et uxori ejus XII solidos; item Herveo fratri eorum L solidos, et uxori ejus III solidos, et duabus filiabus ejus II solidos; Ascelino de Gisoiis XL solidos, et filio ejus V solidos, et filiæ ejus V solidos, et Guiterno de Sancto Aniano VI solidos, et

uxori ejus XII denarios, et duobus filiis ejus XII denarios, et filiæ uxoris ejus unos soculares de Cordoam.

Cart. orig., folio 76, verso ; copie, p. 225.

CCXLIII.

De ecclesia quæ vocatur Abilliacus.

(C. AN. 1096.)

Notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus, quod quædam nobilis femina, Amelina nomine, de Lausduno castro, uxor Gaufridi Fulcradi, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et ecclesiæ Nuchariensi ac monachis ejusdem loci, tempore abbatis Stephani, medietatem junioratus ecclesiæ quæ dicitur Abilliacus, et medietatem offerentiæ altaris, et medietatem sepulturæ, annuente Gaufrido, filio ejus, cum fratribus et sororibus ejus. Testes : Gaufridus de Curtiliaco ; Galterius Ebroini ; Bartholomæus de Brisai ; Vaslinus Poset ; Pipinus, filius Vaslini Poset ; Landricus ; Natalis ; Radulfus.

Postea vero jam dictus Gaufridus juvenis, filius jam memoratæ Amelinæ, voluit ire in Jerusalem, et rogavit domnum Stephanum supradictæ Nuchariensis ecclesiæ abbatem, ut præstaret ei trecentos solidos, super ducentos sexaginta solidos quos idem Gaufridus debebat jam dicto abbati. Cujus petitioni annuit jam dictus abbas Stephanus, præstans ei quingentos sexaginta solidos. Isdem autem Gaufridus, filius Gaufridi Fulcradi, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et Nuchariensi ecclesiæ in ejus honore constructæ, ac monachis ejusdem loci, si Deus illi facultatem redeundi de Jerusalem annuerit,

omnia quæ habebat in parrochia ecclesiæ quæ dicitur Abilliacus, id est, decimam annonæ, et vini, et vineas, et terras, et censum, et burgum, omnia dedit jam dictis monachis post obitum matris suæ.

Mater autem ejus hoc facere noluit; sed hoc annuit ut tamdiu habeant monachi supradicti decimam supradictæ ecclesiæ Abilliaci, et vineas, et terras, et census, quoad ipsa redderet quingentos solidos Andegavensis monetæ jam dictis monachis. Omne quod exierit de decima supra memorata et de aliis rebus habeant monachi in eleemosynam, donec receptos habeant quingentos solidos. Junioratum vero ecclesiæ Abilliaci, et offerentias, et sepulturam, in perpetuum possideant supradicti monachi. Annuerunt autem hoc fratres Gaufridi, Radulfus canonicus, et Aimericus, et soror ejus Richeldis. Testes ex hoc : Archembaldus, presbyter; Arduinus *Malum minat*; Brientius; Adelelmus de Dertiaco; Rainaldus Bernoins; Clarembaldus; Brunus de Brisai; Herbertus, filius Ansterii.

Annuit autem hæc omnia Aimericus, frater Gaufridi, acceptis a monachis quatuor libris denariorum, de quibus reddiderunt monachi sexaginta solidos, et Gaufridus, frater Aimerici, viginti, pro monachis. Testes : Gaufridus Fulcradi, et uxor ejus Burgonnia; Radulfus Roscelini; Guillelmus, presbyter de Trebis; Guillelmus de Brisai; Rainaldus, prior de Nuchariis; Galterius, bajulus, famulus eorum; Jaquelinus de Lausduno; et Petrus, filius Fulberti de Castello Araudi.

Post mortem autem matris suæ, dedit Gaufridus Fulcradi Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis Nuchariensibus ecclesiam de Abilliaco, et decimam et quidquid ad ecclesiam pertinebat. Annuit hoc Aimericus frater ejus, vidente Galterio, monacho, et Johanne *Tira musca*; Gal-

terio Potone; Normanno de Sancto Florentio; Petro, famulo.

Cart. orig., folio 106, recto; copie, p. 73.

CCXLIV.

Galterius filius Girorii de Lausduno dat ecclesiam de Portu.

(C. AN. 1096.)

Quidam vir nobilis, Galterius nomine, filius Girorii de Lausduno, accepit uxorem filiam Gauslini de Blo, cum qua dedit ei isdem Gauslinus in matrimonium quamdam ecclesiam quæ est super Noiastrum, prope ripam fluminis Vigennæ, quæ dicitur Portus. Quæ in tantam postea ingruentibus præliis desolationem devenit, ut in ea, nec missæ, nec aliud divinum officium, celebrarentur. Quod isdem cernens Galterius, timens exinde se maximum peccatum habere, dedit eam Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis. Dedit autem eis omnem integre ecclesiam, id est, omnem junioratum ejusdem ecclesiæ, omnem offerentiam altaris in omnibus festis, et omnem sepulturam, et omne fedium presbyteri in terris, et decimis, et silvis, et pratis, sicuti presbyteri tenuerant fedium presbyteratus in tempore Gauslini. Dedit autem omne cimiterium, et circa ecclesiam omnem terram ad burgum faciendum, et ad domos monachorum ædificandas. De illis autem hominibus quos ibi monachi adduxerint, et ad habitandum ibi hospitaverint, dedit monachis omnes consuetudines, et censum, et omnes reditus, excepta decima annonæ. Vicariam autem de eodem burgo habebunt monachi mediam, et aliam mediam partem habebit Galterius, ita ut famulus mona-

chorum de tota vicaria burgi sit præpositus et vicarius. Annuit autem hoc uxor ejus, Eufemia, et filius ejus Girorius.

Testes Fulcherius de Vallibus; Hugo Vaslinus; Rainelmus de Fonte-Ripæ; Effredus de Marinniaco; Arnulfus Chillos; Tedevinus; Gaudinus, clericus; Vaslinus.

Annuit autem hoc Aimericus de Aver, qui eamdem ecclesiam suam esse dicebat, pro anima sua, et pro animabus parentum suorum. Annuit autem Nuchariensi ecclesiæ jam dictus Aimericus omnem junioratum jam dictæ ecclesiæ Portus, et omnes reditus altaris, et ecclesiæ et omnem sepulturam et omnem ecclesiam. Testes ex hoc : Ansterius Diabolels; Savaricus; Otbertus de Aurinniaco; Arnulfus Chillos, et frater ejus Stephanus; Andreas de Moncels; Guttuns Odo; Giraldus de Monte Acuto; Tedevinus; Gaufridus Chainnuns; Benedictus.

Cart. orig., folio 100, recto; copie, p. 581.

CCXLV.

Rainaldus Superbus pergens in Jerusalem dat decimam cujusdam terræ.

(C. AN. 1096.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Rainaldus Superbus, pergens in Jerusalem, reliquit ecclesiæ Nuchariensi decimam duorum arpentorum, superstite Barbota matre. Hæc autem petiit a monachis ut decimam illam sine causatione, Gaufrido de Ferraria concederent. Pro hac concessione dedit monachis decem solidos, et aliam decimam quæ ex eodem fundo procedebat, eis cum parentela sua concessit.

Testes sunt : Amalvinus; Petrus Goscelini ; Arduinus Turbatus ; Johannes, coquus ; Goffredus, famulus abbatis.

Cart. orig., folio 128, verso; copie, p. 39.

CCXLVI.

Buchardus de Mirmanda Jerosolimam petens dat de molendino quidquid habet.

(C. AN. 1096.)

Posteritatis nostræ notitiæ, litteris et testibus, commendare curavimus, quod Buchardus de Mirmanda, Iherosolimam petens, pro salute animæ suæ dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis ibidem manentibus, molendinum de Tribus Molendinis, quidquid ibi jure possessionis habebat. Annuit hoc Goffridus, frater ejus. Testes hujus rei fuerunt : Petrus Goscelini; Achardus *Fascina vetulam* ; Odo Lepus; Hulricus, presbyter; Rainaldus de Monte-Agrio ; Aimericus ; Hugo de Antoniaco ; Petrus de Maximiaco; Salatiel de Monte-Duim ; Bartholomæus de Sariniaco.

Hoc autem donum molendini confirmavit Zacharias, pro tali pacto videlicet, ut si undecumque aliqua calumnia insurrexerit, et eam recto judicio mitigare et æquitare non potuerit, mille solidos monachis reddat. Cujus rei obsides isti fuerunt : Petrus de Maximiaco, pro c solidis ; Aimericus de Tribus Molendinis, pro c solidis ; Bartholomæus de Sarinniaco, pro c solidis ; Hugo de Antoniaco, pro c solidis ; Salathiel de Monteduin, pro c solidis ; Vivianus de Fraxinis, pro c solidis ; Willelmus Eraldi, pro c solidis ; Stephanus Radulfi, pro c solidis ;

Araldus de Portis, pro L solidis; Hugo de Angiaco, pro L solidis; Hugo de la Fuia, pro C solidis.

Cart. orig., folio 85, recto; copie, p. 653.

CCXLVII.

Alexander de Rupibus dat quædam apud Marcilliacum.

(C. AN. 1096.)

Quia rebus temporaliter gestis facile subrepit oblivio, oportet ut eas ad memoriam litterarum reducat descriptio. Quapropter sciendum quod Alexander de Rupibus, dum adhuc viveret, dedit Deo et Sanctæ Mariæ pro redemptione animæ suæ et patris sui, ouscham quæ est juxta burgum Marcilliaci, ad faciendum cimiterium, cum duabus casibus quæ sunt subtus eam, ita videlicet ut si mater ejus Audeardis, aut heres ejus interim voluerit ibi facere aliquid, censum ex ea reddant. Propter hoc scriptus est pater ejus Vivianus in martyrologium.

Testes hujus rei fuerunt : Christoforus; Bernardus; Thetbaudus.

Isdem etiam Alexander vita decedens dedit Deo et Sanctæ Mariæ quamdam ouscham quæ est juxta rivulum fontis, quicquid ipse ibi habebat, et unum jugum prati in Vallibus, et duo jugera terræ arabilis et duo jugera vineæ. Annuit hoc mater ejus Audeardis, et Rainaldus de Semblaciaco, et filius ejus Rotbertus. Testes hujus rei fuerunt Guido de Rupibus; Archembaldus de Sivriaco; Drogo Lidragues; Assalit; Hugo.

Cart. orig., folio 156, recto; copie, p. 263.

CCXLVIII.

Aimericus, Jerusalem profecturus, dat quamdam terram et quosdam census.

(C. AN. 1096.)

Notum sit omnibus hominibus, clericis ac laicis, tam præsentibus quam posteris, quatenus ego Aimericus, Jerusalem tendere desiderans delictorum meorum gratia, Sanctæ Mariæ Nuchariensi, ipsiusque abbati, et omnibus ibi Deo servientibus, meæ possessionis partem concedo, scilicet agripenni (1) vineæ medietatem, post obitum. Conjux vero mea in eodem loco agripennum vinearum integrum, me annuente, donat. Post exitum suæ vitæ, iterum quarterium quoddam de terra arabili ibidem, cum istis supradictis attribuo, eo tenore de agripenni medietate, ut conjux mea censum reddat, nec non cubam (2) trium modiorum, cum cubello qui sex modia teneat, dono. Et hæc vasa supradicta omni tempore in mea propria domo (3) loco possideant. Et si forte ego, meaque conjux moriemur, et noster extremus puer, hanc domum supra memoratam similiter concedo.

Hujus autem eleemosynæ testes sunt hi, quorum infra scripta sunt nomina : Hyrvisus Cabruns, qui hoc donum Deo datum concessit; Firmatus; Bernardus, famulus abbatis; Campius, clericus; Vaslinus de Vallibus; Herbertus, nepos meus; Garnerius, frater meæ conjugis.

Cart. orig., folio 78, verso; copie, p. 645.

(1) Gallice *arpent*.
(2) Gallice *cuve*.
(3) Ista dona sita in loco qui dicitur Haia. (Nota D. Housseau.)

CCXLIX.

Datur a Roberto, filio Gausleni de Bloio, ecclesia de Campiniaco.

(C. AN. 1096.)

Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod quidam nobilis de Cainone, Rotbertus nomine, filius Gausleni de Bloio, dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis eidem sanctæ Dei Genitrici in Nuchariensi ecclesia servientibus, quamdam ecclesiam, super ripam fluminis Vosdæ sitam, in honore sanctæ Dei Genitricis sacratam, quæ nuncupatur Campaniacus. Dedit autem jam dictis monachis Nuchariensibus omnem junioratum supradictæ ecclesiæ quam Campaniacum diximus nuncupatam, et omnes offerentias altaris, vel presbyteri, tam in panibus, quam in candelis, vel nummis, seu obolis, et omnem sepulturam ejusdem ecclesiæ, et omnem proferentiam parrochiæ. Omnia hæc, sicut scriptum est, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, Rotbertus de Bloio, et uxor ejus Ersendis, absque ullo pretio auri vel argenti, nisi pro amore Dei, et redemptione animarum suarum, suorumque omnium parentum.

Testes ex hoc : abbas Stephanus, cujus tempore hoc factum est ; Galterius monachus ; Peloquinus puer, filius nobilis Peloquini de Insula ; Guarnerius Maingoth, nepos Roberti de Bloio ; Johannes Folium ; Ingaldus, canonicus, in cujus domo hoc donum factum est apud Cainonem ; Effredus Goscelini ; Bernerius de Campaniaco.

Iterum autem dedit supradictus Rotbertus de Bloio, supradictæ Nuchariensi ecclesiæ, furnum quem habebat

ad Campaniacum. Testes : Bernerius de Campaniaco; et Fulco de Lausduno; et Guiternus; et Alcherius; et Guilbertus de Forgis; et Rainbertus, et filius ejus Gife.

Cart. orig., folio 92, recto; copie, p. 595.

CCL.

De Aziaco Captivo.

(C. AN. 1096.)

Innotescere futuris et præsentibus congruum putavimus, quod Hyrrwissus Cabruns, antequam monachus fieret, dedit nobis pro anima sua ad Aziacum duos arpennos prati, et modiatam terræ arabilis, et domum suam, cum omnibus quæ ibi erant, faventibus filiis suis Gosberto et Aimerico Pollardo. Postea vero, mortua Dionisia, uxore Gosberti, venerunt in capitulum Yrvisus et filii ejus, postulantes a nobis ut pro anima Dionisiæ, uxoris Gosberti, et pro animabus omnium parentum suorum, monachum unum perenniter in hac domo statueremus, ita scilicet ut decedenti alius statim substituatur in sæcula; anniversarium quoque ejus, et patris ejus, et fratrum ejus, et avi ejus, Raginaldi Cabronis et Hermæ aviæ suæ, et matris ejus Agathæ, quotannis faceremus. Huic petitioni omni nostro annuente capitulo, dedit nobis Gosbertus quidquid sui juris retinuerat apud Aziacum, burgum suum, et prata sua, et omnem terram cultam et incultam, et omnem censum, et duos arpennos ad vineas faciendas, quos pater ejus priori dono dederat. Hæc omnia antequam Gosbertus iret in Jerusalem dedit nobis, annuente Aimerico Pollardo; ita scilicet ut si,

rediens, honorem suum apud Nuchastrum recuperaret, daremus ei decem libras in adjutorium, et vivente eo, hæc omnia sine exceptione possideremus. Quamdiu autem honorem suum recuperare non potuerit, medietatem horum omnium, exceptis quæ pater ejus prius dederat, habebit. Si vero Gosbertus peregre obierit, vel rediens exheredatus fuerit, et ita obierit, et frater ejus honorem recuperaverit, datis ei decem libris, omnia hæc habebimus. Alioquin post mortem Gosberti medietatem habebit in vita sua, ita dumtaxat ut non liceat ei quidquam horum vendere vel oppignerare, vel alicui uxori suæ in dotem dare, vel alicui heredum suorum relinquere.

Testes hujus rei fuerunt : Rainaldus Barbatus; Olricus presbyter; Gosbertus filius, et Aldis; Aimericus de Sculiaco.

Cart orig., folio 76, verso; copie, p. 651.

CCLI.

Galterius de Monte Sorelli, pergens Jerusalem, dedit monachis teloneum aquæ et pedagium terræ.

(C. AN. 1096.)

Ut de his quæ gerimus, omnis in posterum ignorantia excludatur, litteris commendamus quia Galterius de Monte-Sorello, pergens Jerusalem, in civitate Apuliæ, nomine Mespha, rogatu Galterii, monachi, et Goffredi Brisardi, dedit Deo et monachis Nuchariensibus theloneum aquæ, et pedagium terræ, in Monte-Sorello, id est, ut in eundo et redeundo, sive per terram, sive per aquam, monachi Nucharienses, neque theloneum, neque

pedagium, neque conductum, neque ullam omnino consuetudinem reddant, coram his testibus : Radulfo Rabaste ; Radulfo Licei ; Gastinello de Burgulio ; Goldinello de Curzai ; Simone de Nugastro ; Aimerico Andreæ ; Erveo, filio Durandi.

Per eumdem vero monachum mandavit uxori suæ Greciæ certis signis, ut tam ipsa quam infantes ejus hoc idem donum annuerent et confirmarent. Reversus igitur idem monachus, domnum abbatem Stephanum usque ad Montem-Sorellum adduxit, ibique Grecia, auditis et cognitis mandatis domini sui, idem donum nobis confirmavit, cum filio suo Guillelmo et filia sua *Rumpit-Staticulam,* coram his testibus : Goffrido, Mal moine ; Alone Gilbaudo ; Hugone Flavo ; Ivone de Sisianno, et fratre ejus Normanno ; Aimerico Salconis, et fratre ejus Hugone ; Rainardo de super ripa ; Rotberto, filio Drogonis. Nos vero pro hoc dono faciemus pro domno Galterio sicut pro uno de monachis nostris professis, audito obitu ejus ; et uxorem ejus, et infantes faciemus participes orationum et omnium beneficiorum nostrorum.

Cart. orig., folio 33, verso ; copie, p. 625.

CCLII.

Gaufridus et Engelelmus, volentes ire in Jerusalem, dant quamdam capellam Sancti Ægidii et centum arpennos terræ.

(C. AN. 1096.)

Notum sit omnibus, quod quidam fratres, Gaufridus et Engelelmus, filii Amalrici de Sancto Savino, voluerunt ire in Jerusalem ; sed antequam moverentur, statuerunt de suis rebus aliquid dare Nuchariensi ecclesiæ

pro animabus suis. Morabatur autem tunc temporis apud Carriciacum monachus quidam de Nuchariis, Lancelinus nomine, a quo consilium de hac re quæsierunt. Habebant autem prope terram monachorum macerias quasdam, quæ dicebantur capellam fuisse in honore sancti Egidii, et ipsas cum maxima parte terræ suæ prope ad centum arpennos statuerunt dare Nuchariensi ecclesiæ. Voluerunt autem requirere ut abbas et monachi burgum ibi facerent, et ecclesiam reædificarent; sed Lancelinus monachus respondit de hac re nullam convenientiam se facturum, sed in potestate et velle abbatis et monachorum esse, utrum ibi burgum facerent an non. Illi autem in potestate et arbitrio monachorum hoc dimiserunt. Dederunt autem illi fratres Gaufridus et Engelelmus, et Aimericus, et Hugo, supradictam capellam cum terra, et silva prope ad centum arpennos, pro animabus suis et parentum suorum; et monachi dederunt eis quadraginta solidos in caritate. Duo autem ex eis, Gaufridus et Engelelmus, perrexerunt in Jerusalem, et alii duo, Aimericus et Hugo, per fidem promiserunt se defensuros terram illam ab omni calumnia. Fidem autem eorum de hac re accepit Petrus de Maximiaco.

Testes: Bartholomæus de Insula; Philippus de Bosceia; Rainelmus, filius Burchardi; Petrus de Maximiaco; Gaufridus Vachio; Burgundius, et alii multi de Insula, qui deducebant eos.

Cart. orig., folio 106, recto; copie, p. 627.

CCLIII.

Girardus, Ivonis filius, concedit terram quam habebat apud Canta-Gallum.

(C. AN. 1097.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris Ecclesiæ fidelibus, quod Girardus, Hivonis filius, terram Gosleni vicarii, quam apud Canta-gallum calumniabatur, Deo et Sanctæ Mariæ, Nuchariensis scilicet ecclesiæ, et monachis ejus concessit. Quapropter a Lancelino monacho equum quemdam habuit. Hocque uxor ejus, Burgesia scilicet, duodecim denariis conducta concessit; et Aimericus, frater ejus, Geraldi scilicet, et uxor ejus Sizilla concesserunt. Quamobrem ipse avenæ duos sextarios, et ipsa ovem habuerunt.

Ii concessionis Girardi sunt testes: Ingilgerius de Mota; Bretellus; Alcherius, clericus; Achardus Flocellus. Ii vero concessionis uxoris ejus: Lancelinus, monachus; Vaslinus, cliens; Alcherius, clericus; Barbicula; Bernardus. Ii autem sunt testes concessionis Aimerici et uxoris ejus: Lancelinus, monachus; Lisiardus, monachus; Odo, nepos ipsius Aimerici; Alcherius, clericus; Achardus Flocellus.

• Cart. orig., folio 214, recto; copie, p. 603.

CCLIV.

Bartholomæus de Haia dedit quidquid habebat in ecclesia de Pulsiniaco.

(C. AN. 1097.)

Notum sit omnibus christianis, quod quidam vir de Haia, Bartholomæus nomine, ad extremum deductus, Deo dedit et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis quartam partem ecclesiæ quæ dicitur Pulsiniacus, id est, quartam partem offerentiæ, quartam partem sepulturæ, quartam partem decimæ annonæ et vini, pro anima et pro sepultura sua; et monachi propter hoc in cimiterio suo eum honorifice sepelierunt. Annuit autem hoc uxor ejus, cui Hubertus Rufus hanc partem dederat, et filii ejus, scilicet Bartholomæi. Testes: Marricus Grossus, patruus ejusdem Bartholomæi; Petrus, frater Bartholomæi; Archembaldus, presbyter; Tethbaldus, homo Galterii Poteron.

Annuit autem et hoc Hubertus Rufus, de cujus casamento erat, et non solum partem Bartholomæi, sed etiam alias tres partes, id est, partem Lamberti, et partem Radulfi de Mirmanda, et partem Archembaldi Bodini, quoquo modo eas monachi habere possint, aut dono, vel emptione, annuit eis Hubertus Rufus. Annuit etiam adhuc jam dictis monachis Hubertus Rufus, terram Ademari clerici, filii Albini, qui fuerat ejus collibertus, quoquo modo eam monachi habere possint, vel dono, vel emptione, aut in vita, aut post mortem Ademari. Testes ex hoc: Hugo de Sancta Maura, qui hoc annuit; his testibus coram adstantibus: Galterio Poteron; Guidone

Froini; Girardo Choeta; Achardo, filio Lamberti; Ulrico, presbytero; Ademaro.

His omnibus audientibus dedit jam dictus Hubertus Rufus supradictis monachis de Nuchariis omne fedium presbyteratus ecclesiæ de Pulsinniaco, post obitum Ulrici, presbyteri; et in vita sua habeat illud Ulricus de abbate ac monachis. Pro his omnibus quæ scripta sunt, dederunt monachi equum bene valentem ducentos solidos eidem Huberto Rufo.

Annuit autem hoc Agnes, uxor Gaufridi Rucivalis, soror Huberti Rufi, et filii ejus Matheus, et Hubertus, et filia Gasnicha. Testes : Gaufridus, filius Adelelmi; Gaufridus, filius Yvonis Folium; Gaufridus Rufus; Gaufridus Vaschiuns; Peloquinus de Casellis; Ragnulfus Berardus; Guarinus *Equitat bovem*; Galterius de Monteniaco.

Mortuo autem Huberto Rufo in Hierusalem, calumniata est Agnes, uxor Gaufredi Rucivalis, et Matheus, filius ejus, hæc omnia quæ prius annuerant, per vim se hoc annuisse dicentes. Ob hoc convenientes apud Insulam, abbas Stephanus cum aliquantis monachis, et Matheus cum matre et amicis suis, post factam longam concertationem, rogati Agnes et filii ejus ab abbate et qui cum illo erant, annuerunt et dederunt Agnes et duo filii ejus, Matheus et Hubertus, omnia quæ dederat Hubertus Rufus, supradictæ Nuchariensi ecclesiæ, sicut retro scriptum est, ita abbati Stephano et monachis Nuchariensibus annuerunt; et hoc iterum annuerunt ut Ademarus clericus omnem terram, quam habebat de abbate ac monachis teneret, et post mortem Ademari, aut in vita ejus, quoquo modo, aut dono, vel emptione, poterunt eam monachi adquirere, annuerunt eis Agnes et filii ejus. Hujus ergo beneficii causa, dedit abbas Ste-

phanus quadraginta solidos Matheo et matri suæ; et Huberto filio suo duodecim denarios. Testes rei istius fuerunt ii : Gaufridus, filius Adelelmi; Hugo, filius Ulrici; Rainelmus; et Bernardus, famulus.

Cart. orig., folio 159, recto; copie, p. 95.

CCLV.

Decima datur ab Hugone Rigaudi in parrochia ecclesiæ quæ dicitur Campaniacus.

(C. AN. 1097.)

Notum sit omnibus, quod Hugo Rigaudi dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis omnem decimam quam habebat in parrochia ecclesiæ quæ dicitur Campaniacus, tam de annona quam de vino, et de bestiis, pro anima sua, et patris sui, et omnium parentum suorum, et ut totius beneficii Nucharіensis ecclesiæ particeps efficeretur. Testis ex hoc Aimericus Goscelini.

Annuit hoc Rothbertus de Bloio, de cujus beneficio erat, apud Cainonem, in claustro Sancti Maximi, audiente Ingaudo, clerico, et Effredo Goscelini; et Gillone, mercatore. Abbas Stephanus, et Gauterius, ejus bajulus, præsentes ibi erant.

Cart. orig., folio 92, recto; copie, p. 607.

CCLVI.

Terra de Marcilliaco.

(C. AN. 1097.)

Roscelinus et uxor ejus, et antecessores uxoris, aliquanta nobis monachis Nucharіensibus dederunt et annuerunt. Quæ, quia in aliis cartulis habentur scripta, huic inscribere prætermittimus. Novissime vero, Huber-

tus Petrosilus, filius Simonis, Roscelini filia accepta uxore, venerunt ambo, ipse et Roscelinus, in capitulum monachorum Nuchariensium, et ibi concesserunt Deo et Sanctæ Mariæ quidquid monachus de Marcilliaco tunc tenebat de terra quam movebat de progenie uxoris Huberti Petrosili, et de fedio Frison quidquid tunc tenebat. Insuper et duos jugeres terræ, quos dederat eis Alexander de Rupis, excepto hoc, ut si quando ipsum fedium in sazimentum acceperit, si quid Samsoni reddebant, Petrosilo reddent, et olcam quam dederat Alcherius clericus de subtus fontem inter duas vias, et olcam, quæ fuit Alexandri, juxta burgum, et aquam fontis ad quoscumque usus perducere eam voluerint monachi; et unum jugerem desertarum vinearum ad speluncam. Alium Rodaldo dederat. Hæc omnia superius scripta dederunt et concesserunt Roscelinus et Petrosilus Deo et Sanctæ Mariæ, et olcam Alcherii clerici, quoquo modo eam monachi habere possent a filiis Alcherii in perpetuum possidendam. Et si monachi, cum filiis Alcherii, de molendino faciendo, sive in terra ipsorum, sive in alia placitum invenerint, concesserunt, et super altare Sanctæ Mariæ donum miserunt de his omnibus supra scriptis.

Testes Rainaldus Barbatus; Guillelmus Frogerii; Fulcodius; Adelelmus Bodel; Laidel; Tirel, frater ejus; Gaignardus; Meschis; Johannes Chillos; Achardus magnus *Fascina vetulam;* Giraldus Daulcel; Gaufridus de Voo; Frumentinus; Amalvinus; Daniel, sutor; Johannes Giroardi; Arnulfus, filius Radulfi.

Hoc totum concessit uxor Petrosili, Azelaiza, cognomento *Blancus-Flos*; testes supra scripti, insuper et Guillelmus Turbatus; et Borilla, mater Petrosili. Propter hoc habuit ipse Petrosilus centum solidos; uxor ejus

decem, et postea culcitam; Roscelinus, quinque solidos.

Cart. orig., folio 140, recto; copie, p. 609.

CCLVII.

Præpositura Sancti Ægidii de Insula.

(C. AN. 1097.)

Notum sit omnibus præsentibus vel futuris, quod quidam vir, Gaufridus nomine, in infirmitate positus, rogavit domnum abbatem Stephanum Sanctæ Mariæ de Nucariis, et monachos ejusdem loci, ut eum facerent monachum. Qui ex voluntate ejus precem suscipientes, monachum eum fecerunt. Qui dedit eis suam omnem partem rerum, tam in terris cultis, quam in vineis, vel in pratis, sive mobilibus rebus. Quem frater ejus Robertus secutus, similiter in infirmitate positus, ad supradictum locum se præcepit deferri, et factus monachus, dedit eidem loco, sicut frater ejus fecerat, suam partem omnium rerum, sive quæ a fratre relicta ei fuerant, vel quæ ei ex fraternitate contingebant, in cultis terris, et vineis, et in pratis, sive forent prædia, sive essent ad census. Testes: Isembertus, presbyter; Sauco de Rantiaco; Galterius Andraldi; Ildegarius de Delsiaco.

Hæc autem omnia annuit Bartholomæus, dominus Insulæ, audiente Hugone Brocardo; et Augerio de Rajacia.

Habebant autem illi duo fratres sororem unam, et ex ea, nepotem unum, Burcardum nomine, tunc parvulum. Qui, postea cum factus esset vir, habuit partem matris suæ, terram, et domum, et prata. Venit autem ad Nu-

carios, et ibi, in capitulo monachorum, dedit eidem ecclesiæ Nuchariensi et abbati, ac monachis ejusdem ecclesiæ omnem medietatem totius terræ suæ, quam habebat ad Rantiacum, et pratorum, et vinearum in vita sua, et aliam medietatem, quam sibi retinuerat, annuit eis post mortem suam, si heredem, id est, filium aut filiam de legali muliere legaliter non haberet. Abbas autem Stephanus et monachi dederunt ei præposituram Sancti Egidii apud Insulam sicut Rainerdus, cujus uxorem ipse Burcardus habebat, ante eum habuit, tali convenientia, ut si bene et recte se adversus monachos tractaverit, habeat quod probatum fuerit Rainerdum habuisse de præpositura, per donum abbatum et monachorum legaliter. Si autem forfactum fecerit Burcardus abbati aut monachis, si emendare voluerit, emendet forfactum et habeat præposituram. Si emendare noluerit, aut non potuerit, amittat præposituram, et monachi tamen habebunt semper terram quam ipse eis dedit et annuit, et hoc tali pacto factum est ut præposituram domini Insulæ non teneret, nisi usque ad festum sancti Michaelis.

Testes: Odo Guituns; Johannes Mathio; Andraldus de Turre; Robertus Lemozins; Gaufridus de Ancis; Bernardus, famulus.

Cart. orig., fol. 115, recto; copie, p. 611.

CCLVIII.

Johannes Loye seu Loison dat octo boissellos frumenti.

(C. AN. 1098.)

Utiliter siquidem manibus suis hujus sæculi potentes aut divites prospiciunt, qui Christi pauperibus tempora-

lia sua dispertientes, æterna pro illis adquirunt. Quisque enim, ut ait Dominus, calicem aquæ frigidæ in nomine suo dederit, mercedem justi accipiet. Idcirco, ego Johannes Loye, seu Loyson, vitæ meæ terminum jam instare prospiciens, æternæ hereditatis cum servis Christi heres esse exoptans, rerum mearum seu possessionum aliquam possessionem eisdem Christi servis largiri disposui. Donavi itaque ecclesiæ Sanctæ Mariæ Nuchariensis et monachis ibi degentibus, octo boissellos frumenti, super omnia hereditaria mea, existantia in parrochia de Jounayo Pictavensis diocesis; et propter hoc mihi concesserunt monachi in unoquoque anno unam missam celebrandam pro anima mea, patris et matris meæ, et omnium parentum meorum, et pro anima uxoris meæ, in unoquoque anno in capella de Colle Sancti Egidii (1).

Testes hujus rei fuerunt : Aimericus de Chergé ; Johannes de Ponte; Hugo de Bonnay.

Cart. orig., folio 209, recto; copie, p. 613.

CCLIX.

De ecclesia Sanctæ Mauræ.

(C. AN. 1098.)

Notum sit omnibus futuris et præsentibus, quod Cadilo et Aimericus, frater ejus, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi, hoc quod habebant in ecclesia Sanctæ Mauræ, pro anima Poncii patrui sui, et pro anima Galterii Poteruns, avunculi sui, qui hoc ipsum donum primum fecerat, et pro anima matris suæ. Guicherius autem concedit monachis domum suam, et omnia quæ-

(1) Saint-Gilles des Cols. (D. FONTENEAU.)

cumque adquirere poterit, post decessum suum. Domnus abbas suscepit eum ad monachum faciendum, et filium suum Symeon. Omnia hæc concessit nobis custodienda sub jurejurando.

Testes hujus rei fuerunt : Effredus *Centum solidi*; Rainaldus ; Fulcodius; Arnaldus de Sepmis ; Goffredus Engilgerius; Aimericus, filius Petri Goscelini; Johannes Chocus; Bartholomæus, filius Christofori; Guillelmus, filius Legardi; Tethbaudus, carpentarius; Aldebertus de Vineis ; Goffredus, filius Radulfi ; Johannes Cainonensis; Petrus de Carnaut.

Cart. orig., folio 132, verso; copie, p. 615.

CCLX.

Effredus, clericus, filius Stephani Senescalli, dat omnia quæ habebat in villa quæ dicitur Cumilliacus.

(C. AN. 1098.)

Omnia quæ geruntur, vel gesta habentur, seu ventura præstolantur, soli Deo semper manent cognita, in quem nulla potest cadere oblivio, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, sive præterita, sive futura, nulla oblivione ab ejus potentissimo intuitu delentur ; hominibus vero mortali corruptione prægravatis, quod est futurum semper est incognitum, et quæ retroacta referuntur, a nostra memoria dilaberentur, nisi litterarum apicibus notarentur. Idcirco nos Nucharienses monachi fratribus nostræ ecclesiæ vitæ nostræ subeuntibus notificari hac pagina volumus, quod quidam clericus de Fagia, Effredus nomine, filius Stephani Senescalli, dedit Deo ac Sanctæ Mariæ de Nuchariis, tempore abbatis Stephani

omnia quæ habebat in villa quæ dicitur Cumilliacus, et colibertos et fedium, quod habebat ad Chandam de Johanne, cognomento Folium, terram cultam et incultam, et prata. Dedit etiam in parrochia quæ dicitur Sarinniacus, vineam quæ dicitur *Longa vinea*, et masuram, quæ dicitur Terra presbyteri, et dimidium junctum prati, et salices, qui erant inter illud dimidium junctum, et aliud dimidium junctum prati, quem pro matre sua dederat, et culturam. Habebat autem quemdam suum fratrem, paterno, non materno sanguine, sibi propinquum, nomine Aimericum, qui longam cum eo Effredo, de paterna hereditate habuit concertationem. Postea autem, facta invicem concordia, hereditatem dimiserunt, et hæc quæ scripta in partem cesserunt Effredi, et eodem Effredo rogante, quæ supra descripsimus, libentissime Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi ecclesiæ annuit, acceptis ab Effredo, pro annuatione, cxx solidis, et fidem suam dando, pollicitus est, nec per se, nec per suspectam personam quæsiturum quomodo monachi quæ hic scripta sunt, perderent. Quod si Johannes, cognomento Folium, fedium suum, quod Effredus de eo habebat, monachis nullomodo vellet annuere, reddat Aimericus c solidos denariorum fratri suo, aut monachis, et monachi illi fedium Johannis dimittent. De his autem, quæ hic scripta sunt, donum fecerunt Effredus et Aimericus, et uxor ejus, ecclesiæ Nuchariensi, et abbati ejusdem loci, Stephano nomine, die mediæ quadragesimæ apud Fagiam, in domo supradicti Effredi, vidente et favente Aimerico, domino Fagiæ. Viderunt etiam et alii plures, videlicet : Hugo, filius Goscelini; Alcherius de la Rachacia; Stephanus Bordet; Radulfus de Forniolis; Stephanus de Maximiaco; Burchardus de Tuscha; Odo, vicarius; Amalvinus; Gaudinus, canonicus; Hugo *Crassa lepra;* Adral-

dus de Visel; Hugo de Noiers; Aimericus Johannes; Durandus Dausum; Arnulfus Chillos; Tedevinus.

Cart. orig., folio 86, verso; copie, p. 617.

CCLXI.

Calciata inter molendinum ad Chargiacum et vadum.

(C. AN. 1098.)

Monachi Nucharienses habebant molendinum ad Chargiacum, et juxta illud molendinum, a parte Fagiæ, erat vadum quod impediebat venientes ad illud molendinum; sed ne viantes ultra impediret, fecerunt monachi calciatam juxta vadum, a molendino usque ad caput vadi, qua viantibus foret expeditum iter ad molendinum; habebat calciata ex uno latere vadum, in alio latere parum terræ, quæ erat Hugonis Goscelini, quam ipse Hugo dedit jam dictis monachis omnem, sicut erat juxta calciatam, et si in ipsa calciata monachi arbores plantare voluerint, monachis annuit ipse, et filii ejus, et uxor ejus Fresendis.

Cart. orig., folio 206, verso; copie, p. 619.

CCLXII.

Consuetudines in suburbio monachorum apud Esmantiam.

(C. AN. 1098.)

Sciant tam præsentes quam futuri, quod Burcardus, filius Ivonis de Insula, dedit Sanctæ Mariæ, et monachis Nuchariensibus, omnes consuetudines quas habebat in suburbio eorum, qui est apud Esmantiam, et quæcum-

que ipse dederat, annuit nepos ejus Peloquinus secundo anno ingressionis suæ in Insulam, in atrio ecclesiæ Sancti Petri, rogatus ab abbate Stephano, scilicet vicariam et dominium, et omnes consuetudines, videntibus et attestantibus hominibus suis, quod Burcardus sic avunculus ejus dederat, Savarico de Bosceia, et Gaufrido fratre ejus; Gaufrido, filio Adelelmi; Girardo, filio Ivonis; Ivone, filio Thomæ; Stephano de Valle; Rannulfo Berardo; Cotardo, vicario.

Cart. orig., folio 114, verso; copie, p. 599.

CCLXIII.

Paganus, filius Bernardi de Fraxino, quando monachus factus est, dedit quædam apud Ribareium, Pulsiniacum, Salvaticum, Nancré, etc.

(C. AN. 1098.)

Ego Paganus, filius Bernardi de Fraxino, propter infirmitatem meam, monachandus veniens apud Nucharios, dedi Deo, et Sanctæ Mariæ, et monachis ibidem Deo servientibus, decem denarios censuales, et obolum, quos mihi reddebat monachus de Antoniaco, et unum arpennum junchereti juxta Ribareium, et apud Pulsiniacum unum jugum terræ arabilis, ad censum quatuor denariorum, quos reddent Arnulfo presbytero, quamdiu vixerit. Post obitum autem ejus, census ipse, cum terra monachorum erit; apud Salvaticum quatuor denarios censuales, quos monachis debebant loci ipsius incolæ, apud Nancré, medietatem terræ quæ est juxta crucem, de proprio meo jure, et aliam medietatem ad terragium

reddendum Raginaldo Yver; quam medietatem ipse monachis auferre non poterit, quamdiu terragium reddere voluerint, quia et terra et ipsius terræ segnioragium meum est, et ipse contra hoc segnioragium alterius terræ alibi habet; ad mansuram Potildis partem meam de tribus sextariis terræ, quæ ibi est; et in cultura prope fontem, partem quam ibi habebam in jure proprio; sed medietas terragii ipsius terræ reddetur Rainaldo Yver, et segnioragium ejusdem terræ monachorum erit, sicut et superioris. Dedi etiam eis quemdam hominem, Johannem nomine, filium Aimerici Almam, et sororem ejus... nomine.

Hoc dedit et concessit mater mea, Aldeburgis nomine, et frater meus Guillelmus Goruns, et Zacharias de Mirmanda, et filius ejus Goffredus; et Attelinus, et Angevinus, et frater eorum *Bibe securim*, videntibus et audientibus istis, Bartholomæo de Sarinniaco; Archembaldo, presbytero; Hugone, filio Fulcherii de Messmé; Patricio de Petay; Guillelmo Evrardi; Hugone de Lengès; Petro, famulo abbatis.

Concessit hoc uxor Goffredi de Mirmanda, Frexendis nomine; audiente Ulrico, presbytero; Matheo, monacho; Stephano Radulfi; Hugone de Lengès.

Cart. orig., folio 169, verso; copie, p. 601.

CCLXIV.

Donatio molendini, piscaturæ et furnilii in villa quæ dicitur Campiniacus.

(C. AN. 1098.)

Notum esse volumus tam præsentibus quam futuri temporis fidelibus, quod Rothbertus de Bloio dedit Deo,

et monachis Sanctæ Mariæ Nucharienais, molendinum in villa quæ vocatur Campaniacus, medietate tantum molduræ sibi retenta ad vitam suam; quam eamdem medietatem, post mortem suam et uxoris suæ Hersendis, Deo et eisdem monachis concessit; piscaturam quoque suam in eadem villa. Hujus donationis testes fuerunt : Polechinus, privignus ejus; Goffredus de la Potia; Sorellus; Hugo, vicarius; Robertus; Ulricus; Herbertus, capellanus; Bodinus de Tare; Robertus; Piperellus.

Hanc eamdem donationem concessit Garnerius Maingodus; et Gunferius, frater ejus; et cætera omnia, quæ idem Robertus, avunculus eorum, præfatis monachis dederat, scilicet ecclesiam et offerendam ejus, et furnilium, et de nemore suo quantum necesse fuerit ad opus furnilii, exceptis quercubus, et quantum necesse fuerit ad comburendum ad opus monachi qui in eadem obedientia fuerit. Hujus concessionis testes fuerunt : Arnaldus Polechinus; Effredus Goscelinus, et frater ejus Paganus; et Gaudinus, monachus; et Galterius, bajulus; et Vivianus, presbyter.

Hanc etiam donationem concessit Girorius, filius Galterii Girorii, audiente Hugone Vaslino; Huberto de Poent; Girorio de Mariniaco; Goffrido Gife; Gaudino, monacho; et Radulfo, monacho.

Radulfus monachus emit a Fantino tantum in terram et pratum, unde exeunt VIII denarii de censu apud Campaniacum. Testes Gaufridus, sororius Bernerii; Benedictus; Paganus de Pictavis, de cujus censu erat, qui et concessit.

Cart. orig., folio 92, verso; copie, p. 629.

CCLXV.

Amalvinus, cognomento Cauda vaccæ, *dat quamdam terram de Marniaco.*

(C. AN. 1098.)

Notum fieri volumus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, quod domnus abbas Stephanus Nuchariensis ecclesiæ, et monachi adquisierunt quamdam terram quam habent apud Raziniam. Eodem quoque tempore, quo ipse Stephanus regebat abbatiam Nuchariensis ecclesiæ, inierunt certamen inter se milites de Sancta Maura et de Mirmanda, in quo certamine vulneratus est ad mortem quidam adolescens, Bernardus nomine, filius Amalvini *Cauda vaccæ*. Quo defuncto, sepelierunt eum monachi honorifice, et humaverunt in suo viridario. Audiens autem hoc supradictus Amalvinus, quod monachi cum tanto honore sepelissent filium suum, dedit eis medietatem fraustorum Marnaici, quæ sunt apud Raziniam. Post aliquantum vero temporis, emit jam dictus Amalvinus quemdam pretiosum equum ab abbate et monachis, et illam medietatem fraustorum, quam sibi retinuerat, dedit eis in pretium equi. Dedit quoque eis terram Oggerii, et terram Fulberti, et concessit eis varenas, quæ sunt inter rivulum et Raziniam, quas Athelinus de Bosnaico tenebat ab eo in fedium, quoquomodo monachi adquirere possent, vel dono, vel emptione. Annuerunt autem hoc Niva, uxor Amalvini, et filiæ ejus.

Testes sunt: Alcherius de Rajacia; Giraldus de Claustro; Aimericus Albuinus; Fulbertus, serviens; Aimericus de Braia; Vaslinus; Salathiel; Burchardus

de Tuscha ; Galterius de Burneio ; Araldus ; Aldebertus ; Tedevinus ; Daniel ; Arnulfus Chillos, servus.

Cart. orig., folio 203, recto ; copie, p. 631.

CCLXVI.

Lambertus de Haia dat omnia quæ habebat ad Pulsiniacum.

(C. AN. 1098.)

Notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus, quod Lambertus de Haia, in infirmitate positus, mandavit abbati Stephano Sanctæ Mariæ de Nuchariis, ut ad se veniret. Qui libentissime ad eum perrexit, eumque absolvit, et Lambertus se ei commendavit, et eum rogavit ut inter fratres suos monachos eum sepeliret. Dedit autem Lambertus Deo et Sanctæ Mariæ, et abbati Stephano, et ecclesiæ Nuchariensi, omnia quæcumque habebat ad Pulsinniacum de fedio Huberti Rufi, id est, quartam partem offerentiæ, et quartam partem sepulturæ, quartam partem decimæ annonæ, medietatem decimæ vini, et areas in cimiterio, et areas in Vigenna ad ramerios, et de Ademaro, clerico, unoquoque anno, unum sextarium frumenti, eo quod eum solum liberum esse annuit. Filios autem ejus, et filias non annuit esse liberos ; sed eos Nuchariensi ecclesiæ dedit, et omnia, sicut supra scripta sunt, Nuchariensi ecclesiæ tradidit possidenda. Abbas autem et monachi annuerunt ei ut, si monachus esse vellet, pro his quæ denominata sunt eum reciperent, et si in sæculari vita obiret, sicut pro monacho, ita pro eo facerent. Annuerunt autem hoc filii ejus, Philippus et Mestivers.

Testes : abbas Stephanus; Gauterius, bajulus ejus; Durandus, monachus; Achardus, filius Lamberti; Galterius Morellus; Tethbaldus Enforciatus; Rainaldus Popuns.

Cart. orig., folio 159, recto; copie, p. 633.

CCLXVII.

Adraldus de Nugastro concessit sazimentum quod habebat in terra quæ dicitur Grizaicus.

(C. AN. 1098.)

Quidam vir de Nugastro, Adraldus nomine, habebat invasionem, quam nos sazimentum vulgo dicimus, in terra quæ dicitur Grizaicus, quam Aimericus de Faya monachis Sanctæ Mariæ de Nuchariis dederat; sed abbas Stephanus et ejus monachi eum multoties rogantes ut sazimentum dimitteret, ille ex toto noluit dimittere; sed hæc quæ subscripta sunt eis concessit. Venit namque in eorum capitulo, et de ipsa terra quæ dicitur Grizaicus, tantum eis dedit quantum quatuor boves duabus sasionibus arare et colere possent, et omnia prata de Grizaico ubicumque essent, et Stephanum Rufum, et filios ejus, cum omni eorum hereditate. Annuit autem hoc Simon, filius ejus, primo in cellerario apud Nucharios, in cellario monachorum, et postea in eorum venit capitulum, et eis hæc omnia annuit, et ex nomine Stephanum Rufum cum filiis suis, et omni eorum hereditate. Habuit vero ob hoc Adraldus quinque solidos, et filius ejus Simon x solidos.

Testes ex hoc : Salamatha, filius Ervisi; Gaurnerius,

præpositus; Gaufridus Malagarda; Pasquerius; Rotbertus de Valentiaco; Johannes Gohels; Theodoricus et Ganisius, filii Stephani Rufi.

Annuit et hoc Jacobina, filia Adraldi, teste Achardo, monacho; et teste Agatha, uxore Ervisi.

Cart. orig., folio 37, verso; copie, p. 635.

CCLXVIII.

Matrona nobilis de Insula, Odila nomine, dat medietatem terræ quæ dicitur Cantat-Gallus.

(C. AN. 1099.)

Quædam matrona nobilis de Insula, Odila nomine, mater Aimerici et Girardi, filiorum Yvonis, habebat quamdam medietatem terræ prope castrum Fagiæ, quæ dicitur *Cantat-Gallus*, quam dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, pro anima sua, tempore abbatis Stephani. Aliam autem medietatem supradictæ terræ, quæ dicitur *Cantat-Gallus*, habebat Godlenus, vicarius de Fagia, qui multoties rogatus ab abbate Stephano et monachis supradicti loci, ut eis ipsam suam medietatem aut daret aut venderet, tandem ipsorum adquiescens precibus, dedit eis omnia quæ habebat in terra quæ dicitur *Cantat-Gallus*, terram cultam, et incultam, et prata, et silvas, et rupem, et omnes consuetudines, omnia dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et abbati Stephano, ac monachis supradicti loci, acceptis ab abbate ac monachis centum quinque solidis. Annuit autem hoc Athelinus de Bosnai, de cujus fedio habebat eamdem terram isdem Goslenus.

Testes qui viderunt vel audierunt, quando Goslenus dedit, et Athelinus annuit, fuerunt ii : Stephanus Bordet; Boso de Forniolis; Amalvinus; Eleazar, frater ejus; Boso de Chillo; Araldus, filius Linæ; Fulcherius de Maximiaco; Aimericus, filius Gosleni; Galterius de Burnei; Adelelmus *Pugna vicarium;* Hubertus de Carritiaco.

Annuit autem hoc uxor supradicti Gosleni, vicarii, Milesendis nomine, et filii ejus, Araldus, clericus; Paulinus; Normendellus, qui et David vocabatur. Testes Adelelmus *Pugna vicarium;* Galterius de Burnei; Hubertus de Carritiaco; Girardus Manent.

Cart. orig., folio 206, verso; copie, p. 637.

CCLXIX.

De burgo ad Haiam faciendo.

(C. AN. 1099.)

Cognoscant omnes filii Ecclesiæ, quod quidam amicus noster, nomine Galterius Poteruns, vir magnæ industriæ et fidelissimus dilector ecclesiæ nostræ, terram quamdam intra Haiam, quam emerat ab Alberico, patre uxoris Gaufridi Peloquini, dedit Deo et monachis Sanctæ Mariæ Nuchariensis, ad burgum faciendum, Hugone de Sancta Maura, et Hugone filio ejus, cum Cassamota, uxore sua, concedentibus, et omnes consuetudines et furnum ad opus inhabitatorum ejusdem burgi, audientibus infra scriptis testibus, Goscelino de Sancta Maura; Atzole de Loccis; Rotberto Jaquelino; Reginaldo Ribotello; Lamberto Latrone; Philippo et Mestiverio; Milone; Pinone; Thietbaudo.

Juxta hanc autem terram tantumdem terræ habebat Atzo Luccensis, quam quia eodem Galterio Poterone calumniante liberam habere non poterat, ad hoc concordiæ venit cum eo, ut utrobique, tam ipse, quam Galterius Poterons, eamdem terram darent Sanctæ Mariæ et nobis monachis, ad ampliationem ejusdem burgi, concedente supradicto Hugone, et filio ejus, supra determinatas consuetudines burgi. Concessit hoc uxor Atzonis, Placentia; et Marcus, filius ejus, et filia ejus.

Testes hujus concessionis fuerunt Silvadus, monachus; Hugo, presbyter de Ferreriis; Tietbaudus Amisardus; Goffredus Grenuns; et Vivianus de Maizai; Bernardus famulus.

Post mortem vero supradicti Galterii Poteronis, Goffridus Peloquinus, et uxor ejus Villana, filia supradicti Alberici, calumniati sunt nobis eam partem quam Galterius nobis dederat, cumque super hac causa inter eum et abbatem Stephanum ad placitum venissent, præsente vice-comite Aimerico, qui causæ nostræ interfuit, et præsente Frogerio Barba, et aliis multis amicorum nostrorum, apud Haiam, coram Hugone de Sancta Maura, pars nostra prævaluit. Sed quia idem Goffridus pro fortitudine et potentia sua formidolosus nobis erat, ut omnis lis inter nos et eum terminaretur, et firma in posterum concordia propagaretur, medietatem ejusdem partis, quam nobis calumniabatur, ei concessimus.

Testes hujus concordiæ fuerunt: Irwisus Cabruns; Gosbertus, filius ejus; Gosbertus Actildis; Engilgerius de Sancta Maura; Roscelinus, frater Goffridi Peloquini; Guillelmus de Blo.

Hanc partis suæ medietatem postea concessit nobis idem Goffridus, quia domnus abbas Stephanus accommo-

davit ei mulum suum, quando ivit Romam. Et hoc annuit Villana, uxor ejus, et habuit inde x solidos in caritate.

Testes hujus rei fuerunt Ganilo de Castellone; Girardus Choeta; Johannes Jesus; Holricus, presbyter; Rainaldus, presbyter, qui hoc viderunt, annuente Rotberto Bosol, qui habebat filiam ejus, et Matheo, et Petro, et Alberico, et omnibus filiis ejus.

Cart. orig., folio 79, verso; copie, p. 639.

CCLXX.

Helisabeth, nobilis femina de Castro Araldi, dat particulas terræ in parrochia ecclesiæ quæ dicitur Nqncreth.

(C. AN. 1099.)

Omnibus sanctæ Ecclesiæ fidelibus notum sit, quod quædam nobilis femina de Castro Araldi, Helisabeth nomine, uxor Stephani Bordet, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis ejusdem Sanctæ Mariæ in Nuchariensi ecclesia servientibus, tempore abbatis Stephani, duas particulas terræ de terra quam ei jam dictus Stephanus, prior suus maritus, ei reliquerat, in parrochia ecclesiæ quæ dicitur Nanchreth, pro anima ejusdem sui viri Stephani. Est autem de illis duabus partibus terræ quas dedit, una prope vicum supradictæ ecclesiæ, post domum Ulrici presbyteri, ubi sunt nucherii prope ad viginti, et alia pars est juxta viam quæ ducit ad Carriciacum; illas duas particulas dedit, ut supra diximus, Nuchariensi ecclesiæ et monachis Sanctæ Mariæ servitio in ea attitulatis, ut Jesus Dominus, suæ sanctæ Genitricis precibus, totius beneficii omnium in eadem

ecclesia sibi servientium, animam viri sui et suam participes faceret. Abbas autem Stephanus et monachi dederunt marito ejus, quem tunc habebat, Heliæ de Tilio, unum equum, pretio centum solidorum, et filio Stephani Bordet unum pullum quadraginta solidorum, qui hoc, rogante matre sua, annuit.

Testes ex hoc fuerunt : Acarias de Mirmanda; Petrus de Maximiaco; Stephanus de Moncels; Araldus de Juxel; Yrricus, presbyter; Hubertus Albespins; Bernardus de Broill; Bernardus, famulus monachorum.

Cart. orig., folio 82, verso; copie, p. 641.

CCLXXI.

Terra de Marcilliaco.

(C. AN. 1099.)

Ego Galterius Jesus, volo notum fieri omnibus, tam futuris quam præsentibus, quod terram de Marcilliaco, quam abbas et monachi Nucharienses habebant de patre meo ad censum v denariorum, concedo ecclesiæ beatæ Mariæ perpetuo habendam et possidendam, sub eodem censu, abbati scilicet et monachis Nuchariensibus, ita ut nec ego, neque mei successores, in eadem terra aliquid requiramus de cætero, vel habeamus, omnis consuetudinis occasione remota, præter prædictum censum v denariorum. Hanc concessionem sub audientia legitimorum testium facio, videlicet Viviani *Bibe securim*; Odonis Roundelli; Christofori Nuchariensis; Johannis Giroardi; Raymundi de Pussigniaco; Leodegarii.

Cart. orig., folio 41, recto; copie, p. 361.

CCLXXII.

Terra quæ dicitur Cantagallum.

(C. AN. 1099.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam et futuris Ecclesiæ fidelibus, quod Girardus, Hivonis filius, terram Gosleni, quam apud Cantagallum calumniabatur, Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensis scilicet ecclesiæ, et monachis ejus concessit.... (*aliquid deest...*) Burgesia scilicet duodecim denariis conducta concessit, et Aimericus, frater ejus, Geraldi scilicet, et uxor ejus Sizilla, concesserunt. Quamobrem ipse avenæ duos sextarios, et ipsa ovem habuerunt.

Ii concessionis Gerardi sunt testes : Ingelgerius de Mota; Bretellus; Alcherius, clericus; Achardus Flocellus. Ii vero concessionis uxoris ejus : Lancelinus, monachus; Vaslinus, cliens; Alcherius, clericus; Barbicula; Bernardus. Ii autem sunt testes concessionis Aimerici, et uxoris ejus : Lancelinus, monachus; Lisiardus, monachus; Odo, nepos ipsius Aimerici; Alcherius, clericus; Achardus Flocellus.

Cart. orig., folio 201, verso ; copie, p. 647.

CCLXXIII.

Gosbertus Chabron et Pollardus, frater ejus, confirmant quidquid dederunt Hirvisus, pater, et antecessores eorum.

(C. AN. 1099.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam et futuris sanctæ Dei matris Ecclesiæ fidelibus, quod Gosbertus

Chabron, et frater ejus Pollardus, Hirviso patre eorum deprecante, concesserunt abbati et monachis de Nucha-riis, omnia quæcumque antecessores eorum dederant eis. Annuerunt etiam quæcumque de fedio eorum eis, monachis scilicet, datum fuerit, excepto quod caput servitii sui, id est, hommagium eorum qui dederint, non perdant.

Testes: Hirvisus, pater eorum; Gauterius Ponteron; Rainaldus Freslon; Garinnus *Centum coria*, cliens monachorum; Guido de Rupibus.

Cart. orig., folio 76, verso; copie, p. 649.

CCLXXIV.

Hugo Garnaudus dat decimam apud Cellam.

(C. AN. 1099.)

Notum sit quibusque fidelibus, quod miles quidam, nomine Hugo Garnaudus, decimam quamdam apud Cellam, quæ nostri juris fuerat, injuste nobis ablatam, moriens nobis dimisit, concedente uxore ejus Agnete. Testes hi affuerunt: Archenbaldus, presbyter; Campitius; Isembardus; Constantinus Olearius; Tebaldus Afforciez; Achardus *Fascina Vetulam;* Vaslinus de Valibus.

Cart. orig., folio 55, recto; copie, p. 103.

CCLXXV.

Donum cujusdam colliberti, nomine Garini, filii Rotberti de Cavannis.

(C. AN. 1099.)

Notum sit omnibus in Christo viventibus tam præsentibus quam futuris, quod Johannes de Tuschia, et Aimericus, frater ejus, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ, et ecclesiæ Nuchariensi, tempore abbatis Stephani, quemdam colibertum suum, Garinum nomine, filium Rotberti de Cavannis, pro anima patris sui Araldi, et matris suæ Fredesendis, et omnium suorum parentum, verumtamen acceptis ab abbate xx solidis in caritate.

Testes ex hoc : Aimericus, proconsul, et Boso, frater ejus; Lons de Curzai; Petrus Achardi; et frater ejus Araldus; Bordeth; Herbertus de Bor; Gaufridus de Orchis; Bernardus, famulus; Achardus.

Cart. orig., folio 144, recto; copie, p. 587.

CCLXXVI.

Aimericus Potet dat quasdam terræ particulas apud Fagiam.

(C. AN. 1099.)

Notum sit præsentibus et futuris, quod Aimericus Potet dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis Nuchariensibus, quatuor arpennos terræ apud Fagiam; unum de his arpennis erat de feodo Bosonis de Furnols. Qui

concessit monachis, et habuit in caritate XVI denarios, quos dedit Gauterius, qui tunc erat prior de Colle Sancti Egidii. Testes : Ascelinus de Razina, presbyter; Stephanus de Charrezai ; Hugo Rennulfi ; Aimericus Rufus.

De ipsa terra erant sex operæ et dimidia de feodo Effredi Rennulfi. Qui concessit et dedit censum, hoc est sex denarios et obolum, monachis Nuchariensibus. Qui et habuit in caritate octo solidos. Concessit hoc filius ejus. Testes : Laidet, archipresbyter; Aimericus Rufus; Stephanus Gatinnum; Paganus de Aurinne; Aimericus Perronnellus.

De feodo Pagani de Ponte erant duo operæ et dimidia. Qui concessit, et filius ejus, et habuit V solidos. Testes Meengui ; Giraldus de Salvagia; Soven.

Cart. orig., fol. 201, verso ; copie, p. 655.

CCLXXVII.

Medietatem molendini de Tableto dat Petrus, cognomento Peronellus.

(C. AN. 1099.)

Noverint omnium tam præsentium quam futurorum posteritas, quod, ante obitum meum, ego Petrus, cognomento Peronellus, considerans quia meis meritis salvus esse non poteram, nisi pia apud Dominum bonorum intercessio virorum succurreret, rogavi amicos meos quatenus ad ecclesiam Sanctæ Mariæ Nuchariensis corpus meum deferri curarent, ubi beneficium meum a monachis jamdudum acceperam, meque ipsum, sive vivum, sive mortuum, et omnia mea dare promiseram. Tunc

consilio domini mei Aimerici, et consensu et voluntate, monachis qui Dei misericordiam pro me orarent, dedi medietatem molendini de Tableto, quæ mea erat, et mihi a parentibus meis hereditate concesserat; hoc, sicut dictum est, concessit dominus meus Aimericus de Fagia. Quod audierunt et viderunt: Galterius Pontius; Araldus, canonicus Sancti Georgii; Goffredus de Cosmio; Aldebertus, presbyter de Villechia; filius major Arnaldi Boneti.

Iste Petrus Peronellus dedit in vita sua Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, pratum quod vocatur de Jardeno, et salices qui circa erant, ut totius beneficii loci Nuchariensis particeps efficeretur. Testes: Odo, monachus; Bernardus, filius Hugonis vienderii.

Cart. orig., folio 205, verso; copie, p. 657.

CCLXXVIII.

Aimericus junior confirmat quæcumque data vel vendita sunt de casamentis suis.

(C. AN. 1109.)

Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis, quod Aimericus junior, filius domini Aimerici de Fagia, hoc donum fecit Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi, et abbati Stephano, et monachis Nuchariensibus, ut quidquid de casamentis ejus eis vel datum vel venditum fuerit, secure sine contradictione ejus possideant.

Testes: Aimericus de la Rajace; Erbertus de Bort; Goffridus de Orchis; Araldus, Linæ filius; Guillelmus Gatiniuns.

Cart. orig., folio 15, recto; copie, p. 19.

CCLXXIX.

De Josberto de Becciaco.

(C. AN. 1100.)

Josberto de Becciaco annuimus duas partes terræ nostræ apud Becciacum, unam, id est meliorem, ad medietatem, alteram ad terragium, quamdiu ipse studiose et industrie in eadem terra laboraverit. Post mortem autem, si filium habuerit, qui nostræ proprietatis sit, eadem consuetudine supradictam terram habeat, et domum in ea faciat.

Testes hujus concessionis fuerunt Rogerius Bruno; Hubertus de Salvagio; Paganellus, filius Aimerici clerici.

Cart. orig., folio 36, verso; copie, p. 21.

CCLXXX.

Domus, vineæ, curtis, rupes et cellarium apud Sanctum Spanum.

(C. AN. 1100.)

Noverit omnium tam præsentia nostrorum quam posteritas, quod Gaufridus, presbyter, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, domno abbati Stephano, ac monachis ejusdem loci, omnem domum suam quam emerat a Chotardo, et curtem quæ est ante domum, et rupem, et cellarium, et omnes vineas suas, quæ fuerunt Viviani, avunculi sui, et augmenta vinearum quæ ipse

auxerat, circa easdem vineas. Testes, Giraudus, presbyter; Chotardus de Sancto Spano; Gaufridus, major; Johannes Rastels; Sichardus; Albertus Belliterius; Albaldus; Arnulfus Chillols.

Annuit autem hoc Chotardus de Sancto Spano, et filius ejus Gaufridus, qui eamdem domum calumniati sunt jam dictis monachis. Testes: Durandus, major; Arnulfus Chillols; Albaldus; Johannes Rastels.

Post mortem autem Gausfridi, presbyteri, immisit in eamdem domum calumniam jam dictus Goffredus, filius Chotardi, quam rectam affirmare non valens, rursum annuit eamdem domum monachis, sicut prius fecerat. Testes ex hoc: Bartholomæus, dominus Insulæ; Goffredus Savaricus; Hugo Brochardus; Arnulfus Chillols; Rainerdus; Goffredus, filius Adelelmi.

Cart. orig., folio 37, recto; copie, p. 23.

CCLXXXI.

Effredus de Luiens dat quemdam collibertum, nomine Benedictum, cum uxore ac filiis.

(C. AN. 1100.)

Effredus de Luiens habebat quemdam suum colibertum, nomine Benedictum de Petiaco, quem, cum uxore ac filiis, dedit Deo ac Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et domno abbati Stephano, vidente Durando, monacho, et Lisierdo, laico. Testes: Stephanus Bordet; Bernardus Penet; Adelardus de Baldiment; Tedevinus.

Annuit autem hoc Stephanus Rufus, pater, et filius ejus Stephanus, juvenis, et uxor ejus Helisabeth, et omnes filii ejus, videntibus Aimerico de Fagia; Hugone,

filio Goscelini ; Burcardo de Tusca ; Bosone de Forniolis, et filio ejus Radulfo. Dedit autem eis abbas v solidos et quatuor murenas.

Cart. orig., folio 37, verso ; copie, p. 25.

CCLXXXII.

Terræ ad censum concessæ Johanni, filio Aremburgis.

(C. AN. 1100.)

Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod domnus Stephanus, abbas Nuchariensis, concessit Johanni, filio Aremburgis, jugerem terræ pro censu quatuor denariorum, et dimidium jugerem ad oblitas, et domum in eadem terra facere, ad censum quatuor denariorum, quamdiu vixerit. Si autem uxorem duxerit de familia Sanctæ Mariæ Nuchariensis, et infantem habuerit, eodem pacto infanti ejus eamdem terram concessit.

Cart. orig., folio 52, recto ; copie, p. 27.

CCLXXXIII.

Eliazar dat duos collibertas, filias Aimerici Fascina Vetulam.

(C. AN. 1100.)

Noverit tam præsentium, quam sequentium successio, quod ego Eliazar, pro anima mea et pro anima parentum meorum, et maxime pro anima dilecti filii mei Guillelmi, concedo Deo et Sanctæ Mariæ duas filias Aimerici *Fascina Vetulam*, nomine Elisabeth et Raingardis, colli-

bertas meas, ut quidquid juris et dominii in eis habebam, hoc totum similiter habeant et possideant monachi Sanctæ Mariæ Nuchariensis, ita ut nulli alii servitutis obsequium debeant, nisi ipsis solis, hoc eis promittens, quod si aliqua calumnia in hac re eis aliunde insurrexerit, inde eis satisfaciam. Testes hujus rei fuerunt : Aimericus Amalvinus ; Aimericus Robastes ; Effredus David ; Jacobus, miles Eleazari ; Ieronimus de Neol ; Achardus, eorum frater ; Bernardus, famulus.

Hoc donum quod Eliazar fecit Nuchariis, fecit postea apud Fagiam, coram Aimerico, domino Fagiæ, ita quod inde habuit v solidos. Hoc quoque annuerunt Boso et Goffridus. Testes inde Cadilo de Forniolis ; Einardus de Luens ; Gaufridus Planellus ; Tethbaldus de Maximiaco ; Arraldus, filius Linæ ; et multi alii.

Cart. orig., folio 53, recto ; copie, p. 29.

CCLXXXIV.

Gaufridus, filius Salconis, dat collibertam suam, cum filio et filia.

(C. AN. 1100.)

Gaufridus, filius Salconis, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, quamdam colibertam suam, Benedictam nomine, cum filio suo Gaufrido, ac filia Alburgi, annuentibus filiis suis, Salcone, Aimerico, Hugone, Godiscalo, pro anima sua et patris ac matris et uxoris, et ut totius beneficii supradicti loci partem habere mererentur.

Testes, abbas Stephanus ; Savaricus ; Ivo Folium ; Vivianus, pontonarius.

† Signum Gaufridi.
† Signum Salconis.
† Signum Aimerici.
† Signum Godiscalis.
† Signum Hugonis.

Postea vero calumniati sunt hoc, jam dicti filii Gaufridi, denegantes se hoc annuisse; sed post mortem patris eorum, hoc donum supra scriptum annuerunt Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis de Nuchariis, rogati ab abbate Stephano apud Insulam, inter duas portas, subtus turrim castri. Ibi annuerunt hoc duo, Aimericus et Godiscalus, cognomento Paganus, audiente Gaufrido juvene, et Philippo Rufo; et Gilarino *Equitat bovem;* et in domo eorum propria iterum hoc annuerunt ipsi duo et tertius Hugo, audiente Girardo Huberti, et Gallerio Runthon, et Rainaldo Pelicot, et Adelelmo *Pugna ad videndum.*

Cart. orig., folio 63, verso; copie, p. 33.

CCLXXXV.

Thietbaldus, de servo liber factus, dat monasterio Nuchariensi quidquid habet.

(C. AN. 1100.)

Scriptis, et laudum præconiis, excolimus dulcem nobis memoriam amici et fidelissimi dilectoris nostri Galterii Poteronis, ejusque recordationem junioribus et posteris nostris piæ devotionis studio inculcamus. Qui, inter cætera humanitatis et dilectionis suæ erga nos studia, quemdam ex hominibus suis, Thietbaldum nomine, quem de servo liberum fecerat, nostræ dilec-

tioni et familiaritati quanta potuit curiositate devinxit, suadens ut nos beneficiis coleret, et quam maxime posset serviendo, consulendo, resque suas, quas post libertatem adquisiverat, nobis conferendo, ecclesiam nostram amaret, foveret, promoveret. Hujus igitur admonitione idem Thietbaldus animatus, post mortem supra nominati Galterii Poteronis, venit in capitulum nostrum, et omnia quæ habebat, id est, terram, domum, et vineas quas post libertatem proprio labore plantaverat, nobis contradidit, manifeste asserens se omnia quæcumque habebat, postquam libertatem consecutus fuerat, elaborasse, et ideo nihil rerum suarum ab aliquibus heredibus suis posse calumniari, nec posse aliquos ex parentela ejus Gauterii Poteronis quidquam de rebus suis calumniari, præsertim cum edicto et auctoritate ejusdem Galterii res suas nobis tradiderit. Testes hujus rei fuerunt hi qui hæc in capitulo nostro audierunt : Thebaldus Efforciez ; Raginaldus Fresluns ; Jobertus Cabruns ; Achardus, præpositus ; Reginaldus Barbatus.

Vineam autem unam, quam ei calumniatus fuerat Goffredus de Salmuntiaco, de qua concordiam cum eodem Goffrido fecerat, nobis apud Haiam supra nominatus Thietbaldus tradidit, audientibus his testibus : Irviso Chabrone ; Goffredo Peloquino ; Giraldo Choeta ; Gaufredo de Salmuntiaco ; Reginaldo Ribotello ; Reginaldo Freslone.

Cart. orig., folio 78, recto ; copie, p. 37.

CCLXXXVI.

Terra de Griziaco, prata et silva quæ dicitur Petilupus, ac colliberti.

(C. AN. 1100.)

Quidam vir nobilis, Aimericus nomine, de Fagia, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nucariis, terram omnem de Griziaco, et prata, et silvam quæ dicitur *Petilupus* (1), et colibertos omnes de terra jam dicta, pro anima patris sui et matris, suaque, et uxoris, quatenus servorum Christi in Nuchariensi cœnobio almæ Dei Genitrici famulantium intercessionibus, peccatorum suorum venia potirentur. Dederunt autem ei abbas Stephanus et monachi, pro jam dicta terra mille centum solidos, et unum equum valentem x libras, et uxori ejus xx solidos, quæ hoc annuit. Hanc autem pecuniam, id est, mille solidos dedit Odo vicarius de Cutderia Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nucha-riis, tali convenientia, ut si monachus esse voluerit, propter hoc eum recipiant, aut si in sæculari habitu obierit, easdem orationes et eadem servitia, quæ consuetudo expetit agere pro monacho, ita omnia pro illo expleant jam dicti monachi, et in vita, et post mortem, omni eorum oratione et beneficio perfruatur, et in eorum sepultura, si ipse expetierit, honorifice tumuletur. Hæc autem terra primum ab Aimerico supradictis monachis in congagium data est pro trecentis xx solidis,

(1) Petilupus, gallice *Petitloup*; juxta quosdam *Pollu*, seu *Pollou*, aut *Pelloup*, vel etiam *Pislou*. (D. FONTENEAU.)

quos abbas Stephanus et monachi Aimerico et uxori ejus dederunt. In hac autem novissima donatione, dederunt eidem jam dictus abbas et monachi ducentos solidos, exceptis primis trecentis, et unum equum pro ducentis solidis. Reliquam autem pecuniam, Odo pro ipsis dedit.

Testes horum sunt abbas Stephanus; Alo, monachus; Gauterius; Rainaldus, monachus; Rainaldus Britto; Garnerius, canonicus; Stephanus Rufus; Hugo, filius Goscelini; Boso de Forniolis; Fulcherius de Maximiaco, et frater ejus Stephanus; Effredus, filius Stephani; Burchardus de Tusca; Pipinus.

† Signum Aimerici.

† Signum uxoris ejus.

Cart. orig., folio 40, recto; copie, p. 585.

CCLXXXVII.

Goslenus, Diabolels cognomine, qui monachus effici volebat, dat terram apud Aurinniacum.

(C. AN. 1100.)

Notum sit omnibus fidelibus, quod quidam vir Goslenus, Diabolels cognomine, habebat terram apud Auvrinniacum de Aimerico de Aveir in fedium; de qua ipse Goslenus rogavit jam dictum Aimericum, dominum suum, ut ei liceret eam dare ecclesiæ Sanctæ Mariæ Nuchariensis, in qua monachus effici volebat. Annuit Aimericus de Aveir, apud Salmurum, omnem illam terram, quam jam dictus Goslenus apud Auvrinniacum de

eo habebat, Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et abbati Stephano ac monachis.

Testes inde : abbas Stephanus ; Alo et Lisiardus, ejus monachi ; Savaricus, miles, et frater ejus Gaufridus ; Constius, miles ; Aimericus ; Goslenus jam dictus ; Tedevinus.

Cart. orig., folio 142, recto; copie, p. 41.

CCLXXXVIII.

Radulfus, filius Albuini, dat unum suum collibertum, Engelbaldum nomine.

(C. AN. 1100.)

Radulfus, filius Albuini, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et monachis ejusdem ecclesiæ, tempore abbatis Stephani, unum suum colibertum, Angelbaldum nomine, pro anima patris sui, et pro amore Gaufridi de Prulliaco. Ipse enim Gaufridus de Prulliaco abstinebat se a vino die Veneris, et ut vinum biberet promisit se daturum eumdem colibertum Sanctæ Mariæ de Nuchariis.

Testes ex hoc : Gaufridus de Prulliaco ; Peloquinus, dominus Insulæ ; Mauricius, juvenis ; Bartholomæus de Haia ; Girardus, filius Ivonis ; Marricus de Mota.

Cart. orig., folio 61, recto; copie, p. 89.

CCLXXXIX.

Prælium inter Insulam et Sanctam Mauram.

(C. AN. 1100.)

Noverint præsentes et posteri quod Araudus de Cursaico, quando reversus est de guerra quæ fuit inter Insulam et Sanctam Mauram, hospitatus est nobiscum, et omnem calumniam quam faciebat nobis de decima Paiziaci quictam reliquit. Testes : Alerius, miles; Tethbaldus, filius Andreæ ; Barratus Sarpand ; Garinus, filius Radulfi ; Goffredus et Goslemus, filii paratoris.

Hoc concessit Hersendis, uxor Araudi, et filiæ ejus, Lezina et Hersendis, cognomine Pelota, audientibus istis : Guillelmo de Toscha ; Herbertus Abelot ; Stephanus Feignos ; Petrus Savaricus ; Galterius *sine terra* ; Gaufridus Cortaudus ; Paganus Ensis ; Otbertus Debet.

Cart. orig., folio 199, recto ; copie, p. 47.

CCXC.

Guido dat ecclesiam de Marcilliaco cum cunctis juribus.

(C. AN. 1101.)

Notum est omnibus, qui christiana professione censentur, peccata eleemosyna posse redimi. Idcirco, ego Guido, filius Sulionis, filii Theachi, do Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis in hac Nuchariensi ecclesia Deo, et ejus sanctæ Genitrici famulantibus, ecclesiam quæ dicitur Marciliacus, hoc est omnem junioratum, et omnes offerentias altaris, et proferentiam, et omnem burgum, et

vicariam, et omnes consuetudines de omnibus qui ibi habitant, vel quos ibi monachi ad habitandum adduxerint, et medietatem feriæ in festivitate sanctæ Mariæ Magdalenæ, et medietatem furni. Facient autem monachi furnum et domum supra. Postea ego qualem partem accepero, talem mittam. Ubi autem cursum aquæ in sclusa ipsius villæ, sive in rivo fontis desuper villam, sine contrario habere potero, facient primum totum molendinum; deinde ego æqualiter et ipsi. Si autem homines ipsius villæ mihi, vel hominibus meis, in aliquo forifecerint, monachis clamorem faciam. Similiter et de monacho, si quid forifecerit, clamorem faciam abbati. Domum autem meam, quæ juncta est ecclesiæ, de qua reddo monachis duos denarios census, si pro aliqua causa voluerint longius removere ab ecclesia, qualis materia est, circa talem facient ad eamdem mensuram.

Testes : Hugo de Nuchariis, et frater ejus; Mainardus, miles; Roggerius Brunus; Guillelmus de Alberiis; Marricus de Mota; Alcherius, clericus; Arnulfus Chillos; Radulfus, serviens; Tedevinus; Gaufridus de Marcilliaco; Garinus de Jano; Rotbertus Gorins.

Quando autem hoc donum factum est, non habebam uxorem, nec liberos. Quando autem factæ sunt hæ litteræ, atque inter me et monachos divisæ, factum est, concedentibus uxore mea Petronilla et filiis meis Sulione, Theaccho; Rotberto.

Testes hujus rei fuerunt Alcherius, clericus; Alexander de Rupibus; Beringerius; Radulfus; Guillelmus de Portu; Rotbertus Gorins.

Cart. orig., folio 146. recto; copie, p. 49.

CCXCI.

Adenors, uxor Rainaldi de Braia, et Adelardus, filius ejus, dant censum quatuor denariorum.

(C. AN. 1101.)

Notum sit omnibus, quod uxor Rainaldi de Braia, Adenors nomine, et filius ejus Adelardus, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis Nuchariensis ecclesiæ quatuor denarios census, quos monachi illis unoquoque anno reddebant de vineis Landrici. Testes ex hoc : Rainaldus Britto ; Johannes de Marnaico ; Guillelmus de Monte ; Boso, tonsor ; Rainaldus *Macta bovem.*

Cart. orig., folio 216, verso ; copie, p. 51.

CCXCII.

Alexander de Nuchastro, sanctum suscipiens habitum, dat quosdam census.

(C. AN. 1101.)

Quoniam res præteritæ successione temporum cito a memoria hominum elabuntur, idcirco scripto memoriæ commendare decrevimus. Alexander igitur de Nuchastro abrenuntians mundo et volens fieri monachus, XVIII denarios census de Carta Artaldi, et de Capatas IX denarios, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et ejusdem loci monachis, et rivulos molendini Canevellarum, qui per terram illius currunt, in eleemosynam, et terram Salvagiaci de Rosaria. Idem quoque Alexander, pro

remedio matris suæ antecessorumque suorum, totum casamentum et dominium, scilicet quartam partem sepulturæ et oblationis altaris, et XXII denarios census concessit supradictis monachis, quæ in ecclesia Rilliaci habebat. Forestagium de bosco Luziaci, quod uxor illius calumniabat, sicuti Brictius de Chillo dederat, ita concessit uxor ejus Calva et filii ejus, Johannes et Boso.

Hujus rei testes fuerunt: Achardus *Fascina vetulam*; Hugo de Nuchariis; Achardus Florels; Frumentinus; et Petrus, filius Hugonis de Nuchariis.

Cart. orig., folio 43, recto; copie, p 265.

CCXCIII.

Hugo Garnaldus annuit terram quam dederat Oggerius de Mota.

(C. AN. 1101.)

Notum sit omnibus, quod Hugo Garnaldus annuit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, ac monachis ejusdem loci, terram quam dederat eis Oggerius de Mota, de fedo Rainaldi de Fagia, tali convenientia, ut totius sui beneficii eum participem facerent. Testes ex hoc: Petrus de Fraxinniaco; Arnulfus Chillos; Radulfus, serviens; Vivianus de Pilis; Tedevinus.

Cart. orig., folio 162, recto; copie, p. 55.

CCXCIV.

De quodam servo, nomine Girardo.

(C. AN. 1101.)

Monachi de Nuchariis fecerunt placitum cum Rotberto de Fraxinello de quodam servo eorum Girardo qui acceperat quamdam colibertam ejusdem Rotberti, ut post decessum ejusdem Girardi, medietatem ejus habeât uxor ejusdem Girardi, et medietatem filiorum ejus habeat Rotbertus, si per judicium legalium virorum eos adquirere poterit.

Cart. orig., folio 59, verso ; copie, p. 57.

CCXCV.

Guido de Scotia dat duodecim denarios census.

(C. AN. 1101.)

Guido, qui cognominatur de Scotia, Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis de Nuchariis dedit pro anima sua duodecim denarios census, quos in unoquoque anno reddebat ei monachus de Charriciaco ; et propter hoc dedit ei Lancelinus, monachus, in caritate v solidos. Hoc audierunt Aimericus Britto ; Aldebertus Joellus ; Chadilo ; Engebaldus Joellus.

Cart. orig., folio 215, verso ; copie, p. 573

CCXCVI.

Oggerius de Mota, filius Ansterii, dat octo arpennos terræ apud Salvaticum.

(C. AN. 1001.)

Hoc notum sit omnibus huic tempori succedentibus, quod Oggerius de Mota, filius Ansterii, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis ecclesiæ Nuchariensis, octo arpennos terræ apud Salvaticum, ad burgum faciendum aut ad aliud quodcumque voluerint facere, tali convenientia, ut post ejus obitum anniversarium omnibus annis faciant monachi sicut pro monacho professo. Annuerunt autem hoc, mater ejus et frater Herbertus. Testes : Adellelmus *Pugna vicarium*; Gaufridus de Marinniaco; Arnulfus Chillos, et frater ejus Stephanus; Tedevinus; Gaufridus *Malagarda* ; Hubertus de Portu, et frater ejus Bernardus; Rainaldus de Fonte Letmer, et frater ejus Galterius ; Rainaldus, coquus; Tebaldus de Coisnas ; et fratres ejus Galterius, et Arnulfus.

Hoc donum annuit Herbertus, frater Oggerii, testibus Adelelmo *Pugna vicarium*, et Arnulfo Chillo, et fratre ejus Stephano.

Isdem supradictus Oggerius dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis supradictæ Nuchariensis ecclesiæ, pratum quod habebat apud Salvaticum, a canali molendini omne pratum et omne mariscum et omnes rivulos; et a parte prati et marisci omnem ripam rivi Bonosse, sicut constant hæc omnia, et a pratis Savarici inter duas terras arabiles, scilicet meridiana et septentriana, et prata, et mariscos, omnia dedit monachis Nuchariensis ecclesiæ, usque ad molendinum Salvaticum. Abbas autem Stephanus et

monachi dederunt ei, ob hoc, unum equum fulvum qui emptus fuerat antequam dentem jactaret Andegavis quinquaginta solidos.

Testes ex hoc: Arnulfus Chillos; Martinus de Salvatico; Jaquelinus de Pusinniaco.

Annuit autem donum frater ejus Herbertus. Testes: Adelelmus *Pugnat vicarium*; Arnulfus Chillos, et frater ejus Stephanus.

Quamdam vero partem horum pratorum calumniati sunt quidam Tetbaudus de Coismes, et tres fratres ejus Arnulfus, et Gauterius, et Rainaldus. Sed postea, facta concordia cum monachis, annuerunt monachis quicquid recti in prato quærebant, et monachi dederunt Tetbaldo, et Arnulfo, et Galterio xx solidos, et Rainaldo sex. Testes: Daniel de Rilliaco; Arnulfus Chillos et frater ejus Stephanus; Rainaldus, coquus; Tedevinus; Landricus.

Annuit autem hoc Agnes, uxor Huberti Petrosili, et filius ejus Hubertus, et filia Andeburgis. Testes: Huo presbyter; Guillelmus de Alberiis; Tedevinus. Hæc autem annuatio Huberti et uxoris ejus, facta est ad Montem Basonis rogatu abbatis Stephani qui hac pro causa ad Montem Basonis perrexerat, adstantibus et audientibus supra scriptis testibus; Geraldo de Fracta-Valle et Milone de Turonis hoc audientibus.

Iterum supradictus Oggerius dedit supradictis monachis censum, et omnes consuetudines quas habebat in sclusa de Rupe; eamdem sclusam, sicut eam emerant de filiis Huberti de Rupe; et propter hoc dederunt ei abbas Stephanus et monachi v solidos, et totum panem unius sextarii frumenti et unum modium vini, et in caritate unius loricæ pretium, id est XL solidos. Annuit autem hoc Herbertus, frater ejus. Annuit et hoc Agnes, soror eorum, uxor Huberti Petrosili, et omnia alia dona quæ

dederant mater ejus et fratres, die quo sepulta est mater eorum, tali convenientia, ut super fossam matris unam tumbam monachi ponerent. Testes ex hoc : Aimericus, clericus; Guillelmus Asthonis; Bolduinus de Cancellis; Milo de Turonis; Maricus de Mota; Odo, præpositus; Arnulfus Chillos ; Rainaldus, coquus; Engilgerius Vaslinus.

His adstantibus testibus, die qua Aldeburgis, mater Oggerii, et Herberti, et Agnetis, sepulta est, isti tres, duo fratres et soror hanc donationem firmaverunt. Dederunt autem isti duo fratres ipsa die, annuente jam dicta sorore eorum Agnete, supradictæ Nuchariensi ecclesiæ unum denarium census, quem debebant monachi ad pomeriam de vinea Rainaudi Benesessi. Testes supradicti.

Isdem autem Oggerius, quando factus est monachus, dedit jam dictæ Nuchariensi ecclesiæ, culturam quæ est ad Salvaticum, inter viam quæ ducit ad Vigennam et rivum Bonose (Bonoesse), et quemdam suum colibertum, Galterium nomine, filium Durandi, cognomento Primeti. Testes : Herbertus, frater ejus, qui hæc annuit; Gunbertus, serviens ejus; Landricus; Arnulfus Chillos.

Hæc omnia annuerunt Aimericus et Girardus, filii Ivonis, audiente et annuente Hugone de Sancta Maura et Guillelmo, filio ejus. Annuit autem hæc omnia Simon de Noviastro, et uxor ejus Borilla, et filius ejus Hubertus Petrosilus, tertio die ante nuptias Goscelini de Sancta Maura, in atrio ecclesiæ Sancti Reverentii; quidquid unquam illo die de honore Oggerii supradicti monachi tenebant, omnia monachis Nuchariensis ecclesiæ annuerunt.

Testes : Gosbertus Cabruns, et frater ejus Pollardus; Alexander de Noviastro; Paganus Engilgerii et frater ejus Rainaldus Barbatus; Aimericus de Esculio; Daniel

de Rilliaco; Benedictus de Avon; Vivianus *Bibe securim;* Hubertus Nerons; Gaufridus Costuns; Brunus, famulus monachorum.

Cart. orig., folio 162, recto; copie, p. 61.

CCXCVII.

Aimericus dominus Fagiæ, quando Romam pergebat dat quamdam terram apud Fagiam.

(C. AN. 1101.)

Hoc notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus, tam præsentibus quam futuris, quod Aimericus, dominus Fagiæ, quando Romam pergebat, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et Stephano jam dictæ ecclesiæ patri, qui eum extra Pictavis Romæ euntem deducebat, omnem terram quam habebat quidam vir apud Fagiam, Berno nomine, post decessum ejusdem Bernonis, et uxoris ejus, quia filios non habebant. Hoc autem fecit idem Aimericus, rogatu Odonis præpositi, qui eamdem terram ab eodem Aimerico in fedium habebat, et ob hoc idem Odo pavit ei in eleemosynam, tota quadragesima, tres pauperes, et in Pascha vestivit.

Testes ex hoc : Alo de Lausduno ; Marcherius, decanus ; Odo, præpositus, et Beraldus, armiger ejus ; Kadilo, filius Bosonis ; Eleazar ; Gaufridus, filius Adelelmi de Sarinniaco ; Aimericus de Luiens.

Post reversionem autem suam a Roma, die festivitatis sancti Georgii, item hoc annuit, audiente Gaufrido Savarico ; Aimerico, filio Lanni.

Cart. orig., folio 205, verso; copie, p. 63.

CCXCVIII.

Ecclesia de Sepmis.

(C. AN. 1101.)

Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod Goscelmus de Sepmis, in infirmitate positus, vocavit ad se abbatem Stephanum et quosdam monachos Sanctæ Mariæ de Nuchariis, dicens illis : « Ego, Goscelmus, do Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariis, quidquid habeo in ecclesia de Sepmis, præter sacerdotalem fedium, qui hoc modo describitur : Presbyter in festivitate Omnium Sanctorum, tertiam partem panum et duos denarios de missa, et unum denarium clericus, et unam candelam ; die Natalis Domini, in unaquaque missa duos denarios, et clericus unum denarium et unam candelam ; in festivitate sancti Stephani, quidquid offertur suum est ; die Hosanna quærit ad crucem, et suum est ; die Passionis, hoc est Parasceve, postquam incipit officium, quod offerunt parrochiani suum est ; die Paschæ quatuor denarios de duabus missis, et clericus unum denarium ; in omnibus festivitatibus sanctæ Mariæ, duos denarios de missa, et in festo medii autumni, et clericus unum denarium ; de omnibus processionibus Rogationum, tertiam partem habet ; oblationes omnium dominorum de Sepmis et eorum familiæ, sunt suæ. Terræ appendentes altari, similiter ; benedictiones nuptiarum, baptisteria, confessiones, purificationes, plana sacramenta, sua sunt ; de omnibus quorumcumque Sanctorum festis, unum denarium ; de missis in dominicis diebus, habet

unum tantummodo denarium. Hic est fedius sacerdotalis. »

Cart. orig., folio 100, recto; copie, p. 65.

CCXCIX.

De decima prope villam quæ dicitur Columbers.

(C. AN. 1101.)

Notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus, quod quidam vir, Garnerius nomine de Virelei, habebat quamdam decimam prope villam quæ dicitur Columbers, de sartibus quos dederat ei Paganus de Cainone, quam dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, tempore abbatis Stephani, pro anima patris sui, et matris suæ, et sua, tali convenientia, ut si monachus esse voluerit in Nucharіensi ecclesia, pro hoc libenter suscipiatur, annuitque monachis, ut si monachus esse voluerit, aliam ecclesiam non requirat. Et si juxta illam decimam de silva aliquid ei datum fuerit, et rustici exartaverint, habebunt exinde monachi decimam, sicut aliam. Dederunt autem illi abbas Stephanus et monachi trecentos solidos in caritate.

Annuit autem hoc Belutha, uxor Pagani, et filii ejus, Gaufridus Rufus, Archembaudus, Gervasius; et abbas dedit ei vaccam unam cum vitulo.

Testes : Radulfus, frater Arduini; Thescelinus de Drui; Bernardus, famulus; Corbellus de Haia; Rainaldus de Haiona; Arduinus de Columberiis; Ulgerius, serviens.

Cart. orig., folio 73, verso; copie, p. 67.

CCC.

Paganus Villanus annuit vineas ad Chavanas.

(C. AN. 1102.)

Paganus Villanus annuit Deo et Sanctæ Mariæ vineas de Chavanas (1) quas calumniabat, et habuit inde quatuor solidos in caritate et beneficium suum in capitulo.

Testes : Gano de Azai, et Laurentius, armiger ejus; Hugo Frotbaldus; Girardus Gunterii.

Cart. orig., folio 144, verso; copie, p. 69.

CCCI.

De terra quam dedit Robertus Peurellus.

(C. AN. 1102.)

Sciant præsentes et futuri, quod monachi Nucharienses hospitaverunt Radulfum de Bosco, in illam terram quam dedit nobis Robertus Peurellus, tali conditione, ut ad festum sancti Michaelis, ipse et heres ejus quatuor solidos et dimidium monacho de Parilliaco annuatim persolvat. Quod si hujus terræ servum aut colibertum heredem voluerit facere, res ædificata ad nos revertetur.

Testes : Girardus, presbyter; Barratus; Johannes, coquus; Tetbaudus Popardus; Bartholomæus Bertini; Petrus.

Cart. orig., folio 60, verso; copie, p. 71.

(1) Chavaignes. (Nota D. FONTENEAU.)

CCCII.

Fulco Vitalis dat parum terræ super ripam Ismantiæ.

(C. AN. 1102.)

Fulco, filius Vitalis, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis et domno abbati Stephano ejusque monachis ejusdem loci parum terræ quam habebat super ripam fluminis Ismantiæ, quantum potest seminari sex sextariis annonæ, et pratum quod erat juxta terram, annuente Petro filio suo. Testes ex hoc Rogerius Bigoth; Goscelinus de Bosceia; Rainerdus, famulus monachorum; Vaslinus, homo Galterii, filii Girorii.

Cart. orig., folio 112, recto; copie, p. 113.

CCCIII.

Convenientia inter Gosbertum, filium Athfredi, et Odonem, monachum.

(C. AN. 1102.)

Convenientia quam habuit Odo, monachus Sanctæ Mariæ de Nuchariis, cum Gosberto, filio Atfredi de Vallis. Habuerat enim Atfredus, pater Gosberti, quoddam molendinum quod vocabant Tuet, quod dissipatum erat, et ad nihilum penitus redactum. Accessit autem Odo monachus ad Gosbertum, et petiit ab eo quatenus concederet ei construere in alium locum, propter ipsum qui ita destructum fuerat molendinum; quod concessit tali convenientia, ut semper monachi quamdiu voluerint

per medietatem habeant, ita ut bene faciant illud, et de arboribus quoque quos ædificaverint monachi, similiter habeant medietatem. Molinarius vero habebit præbendam suam de communi, et tres sextarios mestivæ, unum frumenti et duos annonæ grossæ. Ipse autem molinarius erit propter monachos, et mittent eum et tollent ad suum libitum ; olca et petrosa erit monachis semper. Si voluerit eum Gosbertus vendere, vel in vadimonio mittere, faciet parentibus suis. Quod si ipsi noluerint, monachos monebit ut emant vel in vadimonio accipiant. Quod si et ipsi noluerint, faciet de sua medietate quidquid voluerit. Si vero voluerit dare suam medietatem, dabit cuique sibi placebit. De piscibus qui ibi capti fuerint, si voluerit mittere medietatem instrumenti, habebit medietatem; si non miserit, non habebit nisi tertiam partem.

Hanc convenientiam audivit frater ejus Normannus ; et Hugo, filius Joscelini ; atque Fulcherius de Maximé ; Ainardus de Luens; Effredus ; Odo; Fulbertus.

Cart. orig., fol. 89, recto ; copie, p. 579.

CCCIV.

Ecclesia et decimæ de Mantelone concessæ ab Ulgerio de Breis.

(C. AN. 1102.)

Sanctorum sanctæ Ecclesiæ præcedentium patrum traditione tenemus, ut si quis, Dei providente clementia, suorum pro redemptione delictorum sanctæ Ecclesiæ eique deservientibus propriis rebus condonaret, vel propria quibus male utebatur, ut decimas sive altari perti-

nentia, quibus decet, Deo disponente, restitueret, ne paucorum calumnia subsequentium convalescat, scripturæ notitia memoriæ commendandum. Ulgerius igitur de Breis, ut animæ suæ vitam mereretur æternam, et uxor sua moriens veniam obtineret delictorum, quicquid apud Mantelonem (1) in ecclesiis habebat, Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensis ecclesiæ, ipsiusque loci monachis condonavit, fedium videlicet sacerdotale et eisdem ecclesiis cuncta, præter sepulturam, pertinentia. Decimæ autem cujus ipse et Archembaldus, filius Ulgerii, medietatem habebant, ipse vero Ulgerius solus hujus medietatis duas partes, et Archembaldus tertiam habebat, suarum duarum scilicet partium medietatem monachis concessit. Quicquid vero in eadem villa census habebat, præbuit; sed et si quis aliquando aliquid dederit, seu quoquo alio modo habere potuerint, in quantum sibi suisque successoribus pertineret, libere, sine alicujus calumnia habendum permisit. Ex nemore autem suo, tam matris ecclesiæ, Nucharii scilicet, degentibus monachis, quam et in ipsa villa Montelone videlicet conversantibus, ad omnia qualiacumque necessaria sufficienter habendum condonavit. Hæc autem omnia in capitulo, in conventu fratrum orationibus eorum se commendans, ut supra diximus, condonavit. Videntibus Adelelmo *Pugna Vicario;* Christoforo; Goffrido de Marcilliaco; Benedicto Burello; Johanne de Charriciaco; Bernardo. Cum eo autem, Ulgerio scilicet, fuerunt Rainaldus Viviani; Tegerius; Odo Rufus; Paganus.

Cart. orig., folio 105, recto; copie, p. 305.

(1) *Mantelon* seu *Mantelan* (D. Fonteneau), forsan *Manthelan*.

CCCV.

Convenientia inter Stephanum, abbatem Nuchariensem, et Ademarum, presbyterum, ac Isembertum, presbyterum.

(C. AN. 1102.)

Hanc convenientiam fecerunt presbyter Ademarus, et Isembertus, presbyter, cum abbate Stephano de Nuchariis, et ejus monachis. In capitulum eorum venerunt, et homines abbatis fuerunt tali convenientia, ut ipse fidem illis portet, et illi abbati et monachis ejus fideles essent. Dedit autem illis Ademarus omnia sua, quæcumque habuerit, post suum obitum; et quæcumque emit vel emerit ex die quo presbyter factus est, post suum obitum dedit monachis, exceptis his quæ de patre suo ei evenerint, quæ fratres vel parentes ejus clamare poterunt; cætera ejus omnia, et omnis ejus substantia monachis remaneant; et monachi propter hoc facient eum monachum in vita sua, si voluerit, aut si non fuerit, in suo cimiterio eum sepelient.

Isembertus autem similiter dedit eis sua omnia, et suas emptiones, post suum decessum, et nominatim ædificium quod emit inter Boellum et Chanda, id est mansionem et vineam, et terram arabilem, et quæ emerat. Et propter his facient eum monachum in vita sua, si voluerit; vel si non fuerit, in sua sepultura eum sepelient.

Testes : abbas Stephanus, et omnis ejus congregatio.

Cart. orig., folio 142, verso; copie, p. 79.

CCCVI.

De terra ad Postumiacum.

(C. AN. 1102.)

Quidam homo, nomine Gosbertus, cum quodam cognato suo, nomine Goffredo, dedit terram alodi sui Sanctæ Mariæ de Nucariis ; sed et quædam cognata eorum, Nathalia nomine, dedit in eadem terra partem quæ illi acciderat. Postea vero monachi ejus monasterii emerunt quatuor solidis et duobus denariis, a quibus hominibus, in eodem alodo, partes quæ illis acciderant, de quodam puero, nomine Gosberto, et de duabus feminis, quarum priori est nomen Joseha, et alteri Unberga. Terra autem ipsa dicitur ad Postumiacum.

Cart. orig., folio 51, recto ; copie, p. 81.

CCCVII.

Hugo de Sancta Maura dat ecclesiam ejusdem loci monasterio Nuchariensi.

(C. AN. 1102.)

Quia omnia quæ temporaliter aguntur, aliis decedentibus et aliis succedentibus, facile a memoria relabuntur, ne futuris, sive præsentibus, per nostram negligentiam pateat locus calumniæ, placuit ad notitiam præsentium seu futurorum litteris adnotare, quod quidam vir nobilis, Hugo de Sancta Maura nomine, habuit duos filios valentes, Goscelinum videlicet et Hugonem, quibus furtim et in traditione interfectis, magnum de morte sua

incussere patri dolorem. Horum itaque morte audita, monachi Nucharienses eos ad suum monasterium honorifice, prout decebat, detulerunt, et in atrio ipsius ecclesiæ decenter sepelierunt. Hujus rei causa, Hugo, pater eorum, veniens cum omni comitatu suo in capitulum, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis ipsius loci, pro anima sua et pro animabus filiorum suorum, Guillelmi, Goscelini et Hugonis, et omnium parentum suorum, ecclesiam de Sancta Maura, cum omni junioratu et offerentiis, et quidquid ejusdem ecclesiæ capellani de eodem Hugone eatenus tenuerant. Et si quis de hominibus suis aliquid de casamentis suis eis dederit, retento sibi capite casamenti, videlicet ne servitium casati amittat, cætera annuit.

Testes hujus rei qui hoc audierunt et viderunt : Gaufridus Peloquini ; Aimericus, filius Yvonis ; et Girardus, frater ejus ; Guillelmus Malrannus ; et Archembaldus, frater ejus ; Engilgerius, vicarius, et Guido, frater ejus ; Guillelmus de Bro, et Alexander, filius ejus ; Hermannus, miles; Lohot; Radulfus Engenaldi; Ernaldus de Sepmis ; Salco ; Jaquelinus ; Stephanus, vicarius ; Goffredus de Balasmei ; Petrus Tusellus ; Stephanus de Monte Galguerio ; Guarinus ; Rainaldus Anserius; Simon de Nugastro; Alexander de Coime ; Aimericus de Esculio; Rainaldus Barbatus; Rainaldus de Sepmis ; Guido de Rochis; Guido de Tentem ; Hugo de Nuchariis; Girardus de Podiis : Goscelinus Babsterius ; Achardus Lambertus ; Achardus *Fascina vetulam* ; Bernardus , Nathalis, famuli ; Radulfus, serviens.

Hæc omnia supradicta annuerunt apud Sanctam Mauram duo filii Hugonis, Guillelmus et Petrus, et filia ejus Marquissa, et uxor Goscelini, filii ejus, nomine Falcabella.

Testes qui hoc audierunt sunt isti : Gaufridus Peloquini ; Matheus, filius ejus ; Arnulfus *Rubrum rostro ;* Aimericus, filius ejus ; Lono, de Lochis castro ; et Petrus, filius ejus ; Guillelmus de Bro ; Petrus Vitalis ; Rainaldus, messor ; Radulfus Engenalt ; Arnaldus ; Rainaldus de Currum ; Gaufridus *Rubeo rostro ;* Acardus *Fascina vetulam* ; Girardus de Podiis.

Post non multum vero tempus, contigit venire apud Nucharios, legatum Romanæ Sedis Girardum, Engolismæ civitatis episcopum. Qui rogatus ab abbate Stephano et monachis illius ecclesiæ, et a supradicto Hugone, venit ad tumulos supradictorum fratrum, Goscelini videlicet et Hugonis, et ibi preces pro eis fundens ad Dominum, Apostolica qua potuit auctoritate, ab omni eos vinculo delictorum absolvit. Tunc vero, eo præsente, Hugo jam dictus donum, quod ante fecerat, de ecclesia Sanctæ Mauræ per manum ejusdem legati Nuchariensi ecclesiæ confirmavit.

Testes : abbas Stephanus, et ejus congregatio ; et clerici Engolismæ urbis, qui cum legato venerant ; Hermannus de Sancta Maura ; Simon ; Ulricus, presbyter.

Annuit autem hoc Radulfus, Turonensis archiepiscopus, et in manu abbatis Stephani donum de ecclesia Sanctæ Mauræ posuit, annuens ecclesiæ Nuchariensi, non solum quæ Hugo ad præsens dabat, sed etiam quæ ipse aut heredes ejus de his quæ de eadem ecclesia retinebat, dare vellent, omnia annuit archiepiscopus Nuchariensi ecclesiæ, audiente et annuente Gisleberto, archidiacono, nepote archiepiscopi ; item audiente Josthone, capitherio ; Guarino de Artenna ; Hugone de Sancta Maura ; Achardus de Mirmanda ; Girardo de Podiis ; Aimerico de Tribus Molendinis.

Postea vero venerunt ad Sanctam Mauram Radulfus,

archiepiscopus et abbas Stephanus Nuchariensis, et ibi, coram omni populo, claves ecclesiæ, et signa, et omnem ecclesiam tradidit abbati Stephano ac monachis Nuchariensibus.

Testes: Rainaldus, presbyter; Guicherius, presbyter; Garinus, presbyter; Matheus Peloquinus; Guido de Sepmis; Arnaldus de Sepmis; Guillelmus de Bro; Radulfus Engenalt; Borriata; Bernardus, Corbellus, famuli.

His itaque supra memoratis de ecclesia Santæ Mauræ taliter expeditis, et aliquantulo evoluto tempore, accidit ut vir prædictus Hugo Jerosolimam vellet ire. Qua re comperta, Engelbertus, prior Sancti Maximini, iniquo zelo erga monachos Nucharienses commotus, et jam se superiores esse impatiens, tandem figmentat Hugonem ecclesiæ et burgo Sancti Maximini capellaniam, post mortem Rainaldi et Aucherii, presbyterorum Sanctæ Mauræ, annuisse. Hoc itaque, quasi novum et inauditum monachi Nucharienses abnegantes, et capellaniam ecclesiæ Sanctæ Mauræ indivisam, sicut a prioribus audierant, et a præsentibus acceperant, in futurum semper volentes servare, testes hujus etiam rei Hugonem inducunt. Protestatur autem Hugo nunquam cum eis hujusmodi habuisse pactionem, nec quando eis ecclesiam et burgum facere permisit, de habendo capellano aut parrochiam aliquam, in præsens vel in posterum, dedisse assentationem. Si vero hoc illi perverse et impudenter affirmare, potius quam negare vellent, testimonia sua et scripta de hac re termino præfinito ostenderent, et abbatem suum cum omnibus assertionibus suis in commune placitum, coram baronibus suis adducerent. Quod si iterum, velut in tali re infirmi et incerti ab hoc placito constituto desisterent, se nunquam amplius de hac re cum eis vel aliis

acturum, pro certo scirent. Ipse vero ex tunc et deinceps totam parrochiam Sanctæ Mauræ integram et indivisam sicut omni tempore ipse et presbyteri pro se tenuerant, et manu archiepiscopi firmatum fuerat, supradictis monachis habendam censebat; et si quis de hac re in contrarium eis iret, ipse, post mortem suam, filios suos, et post filios suos, Engilgerium et Radulfum attestatores et confirmatores hujus rei relinquebat. Statuto autem hujus tempore placiti, monachi Sancti Maximini nec abbatem suum habuerunt, nec scripta aut testimonia quæ se habere profitebantur ostendere potuerunt.

Testes : Gaufridus Peloquini; Guillelmus Malranni; Guillelmus de Brol; Arnaldus de Sepmis; Guido de Sepmis; Engilgerius, vicarius; Arbaldus de Bennols; Radulfus Engenalt; Rainaldus de Corrum; Guido, vicarius; et multi alii.

Cart. orig., folio 132, verso; copie, p. 85.

CCCVIII.

Hugo de Sancta Maura dat unum collibertum Gosbertum nomine, cognomento Sarpant.

(C. AN. 1102.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Hugo de Sancta Maura habebat quemdam suum colibertum, Gosbertum nomine, cognomento Sarpant, filium Galterii de Poiis, quem dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, pro animabus filiorum suorum Guillelmi, et Goscelini, et Hugonis, et propter hoc ipse Gosbertus Sarpant emit duas ardesias XVI so-

lidos, quæ positæ sunt super sepulturas filiorum Hugonis, id est, Goscelini et Hugonis.

Testes ex hoc: Simon de Nugastro; Hermannus; Radulfus Engenaldi; Urricus, presbyter.

Annuit hoc Guillelmus, filius Hugonis, audiente abbate Stephano; et Galterio, bazulo; et Rainaldo, archipresbytero; et Ulrico, presbytero, et Hermanno, milite.

Annuit hoc Acarias de Mirmanda, et duo filii ejus, Burchardus et Goffredus, qui calumniabantur eumdem Gosbertum, propter sasimentum, et propter donum quod fecerat Hugo de Sancta Maura Achariæ, de patre jam dicti Gosberti. Pro hac concessione habuerunt Acharias xx solidos, et Burchardus xv solidos, et Goffredus v solidos.

Testes de Acharia: Ulricus, presbyter; Vivianus de Fraxinis; Aimericus de Tribus Molendinis; Bartholomæus de Sarinniaco; Hugo de Faia.

Cart. orig., folio 49, recto; copie, p. 505.

CCCIX.

Aimericus et Girardus, Ivonis filii, confirmant donationem de terra quæ dicitur Colpoi.

(C. AN. 1102.)

Notum esse volumus cunctis fidelibus, tam posteris quam præsentibus, quod Aimericus et Girardus, filii Ivonis, terram de Colpoi, quam avunculi eorum, Oggerius et Hubertus, Deo et Sanctæ Mariæ dederant, quamque ipsi post mortem eorum injuste sibi usurpaverant, postea venientes in capitulum nostrum, cum amicis suis, nobis reddiderunt, cum omnibus quæ ad ipsam ter-

ram pertinebant, id est cum pratis quæ in eadem terra sunt, cum riparia et aqua quæ eidem terræ adjacet, annuentibus uxoribus eorum, Sicilia et Burgesia.

Testes hujus rei fuerunt Guido de Rupibus; Hugo de Nucariis; Alexander de Nugastro; Rainaldus Freslo; Alexander de Rupibus; Benedictus de Avone; Rainaldus, coquus, et filius ejus Bernerius.

Cart. orig., folio 190, verso; copie, p. 45.

CCCX.

De bello Bosonis, vicecomitis Castri Adraldi, Bartholomæi de Insula, ac Hugonis de Sancta Maura, contra dominum Fagiæ.

(C. AN. 1102.)

Boso, vicecomes Castri Adraldi, et Bartholomæus de Insula, et Hugo de Sancta Maura, congregato exercitu, obsederunt rupem, quæ vocatur Mirmanda, et dum in eadem obsidione permanerent, egressi sunt de eorum exercitu aliquanti equites ad bellandum contra Fagiam, cujus patrocinio dominus Mirmandæ contra omnes debellabat; et egressi de Fagia persequentes cœperunt insequi fugientes. In qua insecutione quidam de fugientibus transversus, Aimericus de Averio nomine, percussit quemdam nobilem virum de Fagia, Radulfum de Forniolis nomine. Ob cujus interfectionem, domino Fagiæ et cunctis viris ejus castri nimium odiosus factus, quamvis esset nobilis natu et virorum fortium parentela fultus, concordiam cum eis nequaquam potuit habere, donec rogatu abbatis Stephani et intercessione ejus monachi Petri, occisi Radulfi fratris, hanc, quæ hic subscripta est,

concordiam assecutus est. Isdem Aimericus pro anima Radulfi, quem occiderat, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis Nuchariensis ecclesiæ, ad Ciconias tantum terræ quantum possent excolere quatuor boves omnibus temporibus, et duos junctos prati ad Vadum Manseonis, et duos junctos desertarum vinearum, et domum Otberti de Aurinniaco, et rupim et silvam circa domum, et uxorem ipsius Otberti, et filios et filias ejus, et aliam colibertam, quam habebat ad Villam Novam, cum omni fructu suo, et cum omnibus servitiis et debitis, quæ debebat ipsi Aimerico, et cum omnibus quæ tenebat de Aimerico.

Omnia quæ hic scripta sunt dedit Aimericus pro anima Radulfi, ecclesiæ Nuchariensi, tali convenientia, ut in eadem Nuchariensi ecclesia habeatur unus monachus omni tempore pro anima supradicti Radulfi; et parentes Radulfi pro his rebus pacem cum illo fecerunt.

Omnia hæc annuit Papoz, frater Aimerici. Testes ex hoc: Aimericus de Fagia; Cadilo, frater Radulfi mortui; Fulcherius de Maximiaco; Ainardus de Luens; Effredus, canonicus; Aimericus, filius Stephani; Adraldus, filius Linæ; Johannes de Tusca; Tethbaldus, filius Fulcherii.

Annuit et hæc omnia soror Aimerici, uxor Gaufridi de Calumna, apud Tanaias, audiente Gauterio, monacho. Testes: Bernardus, presbyter; Guido de Moncellis; Barbotinus de Ramoforti; Mainardus de Chollet; Ansterius, miles Aimerici; Arduinus de Estivale; Paganus, frater Drogonis, filii Osmundi.

Cart. orig., folio 88, recto; copie, p. 93.

CCCXI.

Dantur colliberti, cum illorum familia.

(C. AN. 1102.)

Interlabente autem multorum temporum curriculo, cum eodem castro (1) potiretur Aimericus, filius supradicti Aimerici, hoc donum patris sui libentissime annuit, insuper augmentavit, dans, annuente uxore sua Mathilde, quemdam collibertum suum, Stephanum Rufum nomine, cum filiis suis et cum omni sua hereditate, et alium collibertum ad Sarciacum, Tethbertum nomine, similiter cum omni sua hereditate. Dedit etiam omnia prata quæ habebat super rivum Borrosse, ad Verniacum, et omnia prata quæ habebat illa die ad Grizaicum. Adhuc dedit unum collibertum, Allefredum nomine, sicut supra memoratos cum sua hereditate.

Testes hujus novissimi scripti sunt: Burcardus de Tuschia; Aimericus, filius Stephani; Boso Blanceth; Adraldus, filius Helenæ; Effredus, filius Odonis, vicarii; Bartholomæus, filius Ainardi; Rainaldus, faber; Tedevinus, filius Hugonis.

† Signum Aimerici.

† Signum uxoris Mathildæ.

Cart. orig., folio 160, recto; copie, p. 605.

(1) Castrum Fagiæ.

CCCXII.

Savarinus Dindellus dat prata juxta Esmantiam, et sepulturam ecclesiæ Avonis.

(C. AN. 1102.)

Ad memoriam subsecutorum adscribimus viventium gesta virorum, ut noverint quia Savarinus Dindellus, pro interfectione cujusdam militis, Hermanni videlicet, petiit Nuchariis unum sibi fieri monachum, donans eidem ecclesiæ jugum prati supra Esmantiam, et sepulturam ecclesiæ Avonis, hoc scilicet quod ibi ad præsens habet, et post obitum novercæ suæ totam.

Hujus rei testes fuerunt: Alexander, monachus; Huo Mansellus.

Annuit hoc Oda, uxor ejus. Testes: Lancelinus, monachus; Alexander, monachus; Hulricus de Avone; Paisannus.

Cart. orig., folio 120, verso; copie, p. 97.

CCCXIII.

De terris quas dedit Gaufridus Berardus ad locum qui dicitur Villers in parochia ecclesiæ Anchiæ.

(C. AN. 1103.)

Omnibus tam præsentibus quam futuris notum fieri volumus, quod Gaufridus Berardus de Insula dedit Deo et monachis sanctæ Dei Genitrici in Nucariensi cœnobio servientibus, terram quantum possunt duo boves arare duobus temporibus, ad locum qui dicitur Vilers, in pa-

rochia ecclesiæ Anchiæ, prope fluvium Vosdæ, et duo juncta prati super eumdem fluvium. Habebat autem in eodem fluvio aream ad molendinum faciendum, inter se et filium Athonis de Riberia, tali convenientia, ut ipse duas partes mitteret in molendino faciendo, et Gaufridus tertiam, et postea medietatem annonæ et piscationis, et totius expleti Gaufridus acciperet. Ita semper in omnes usus molendini filius Athonis duas partes mitteret, et Gaufridus tertiam, et expletum molendini per medium partirent, et ipsam suam partem dedit Gaufridus similiter Deo et monachis, et ut filius Athonis suam partem ab abbate et monachis acciperet, sicut a Gaufrido tenuerat. Dedit iterum Gaufridus monachis pratum post suum decessum.

Testes hujus rei : Savaricus de Bosceia; Acarias; Adelelmus *Cauda vaccæ;* Salathiel, frater ejus; Goscelinus, nepos Savarici.

Dedit etiam isdem Gaufridus Berardus censum cujusdam prati quod erat apud Antoniacum supradictis monachis, et censum, et pratum, omnia dedit monachis, acceptis in caritate a Durando, monacho, duabus alosis. Testes: Peloquinus; Savaricus, filius Yvonis; Urias; Salatiel; Gaufridus de Conne.

Cart. orig., folio 111, recto; copie, p. 99.

CCCXIV.

Quartam terræ, quam dedit Thomas, concessit Dulia, ejus filia.

(C. AN. 1103.)

Notum sit omnibus fidelibus tam præsentibus quam futuris, quod quartam terræ, quam Thomas dederat

Deo et Sanctæ Mariæ Nucharіensi, eamdem postea concessit Dulia, filia ejus, et Petrus Thomas, filius ejusdem Duliæ, Deo et Sanctæ Mariæ, ad censum XVI denariorum. Testes hujus rei fuerunt : Robertus de Chabannis; Isembardus et Garinus, fratres ejus; Aldigierus de Dossiaco ; Marricus Sibilans.

Cart. orig., folio 141, verso; copie, p. 101.

CCCXV.

Gaufridus Savaricus dat molendinum apud S. Egidium.

(C. AN. 1103.)

Præsentibus et futuris notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus, quod quidam vir nobilis de castro Insulæ, Gaufridus Savaricus nomine, dedit Deo et Sanctæ Mariæ et ecclesiæ Nucharіensi, abbati Stephano ac monachis ejusdem loci Nucariensis, dimidium molendinum quod habebat apud Insulam, in fluvio Ismantiæ, prope ecclesiam Sancti Egidii, quam jam dicti monachi habebant apud Insulam ex parte Ismantiæ. Illud dimidium molendinum dedit Gaufridus supradictis monachis post mortem Thescelinæ uxoris Savarici fratris sui, tali convenientia, ut in eadem Nucariensi ecclesia pro jam dicto Gaufrido ejusdem ecclesiæ monachi tantum facerent quantum pro uno monacho ejusdem ecclesiæ professo, post ejus mortem, et quamdiu viveret, in eorum beneficio quasi unus ex illis esset.

Testes ex hoc Gaudinus, monachus, qui de manu Gaufridi hoc donum recepit; Aimericus, dominus Fagiæ; Gaufridus de Volort; Hubertus de Silinniaco.

Isdem Gaufridus Savaricus hoc donum postea in manu abbatis Stephani concessit, et ecclesiæ Nuchariensi annuit. Testes : Bartholomæus, dominus Insulæ; abbas Stephanus; Ansterius et Galterius, ejus monachi; Gaufridus, filius Adelelmi; Gaufridus Berardi; Peloquinus de Casellis; Rainaldus Lotbaldus; Ingelbertus Alatet; Gaufridus Vachio; Benedictus Rosellus; Arnaldus, clericus.

Annuit autem hoc donum Gaufridi uxor ejus Ersendis nomine, et Philippus filius ejus et filia Brunissent, apud Lausdunum, audiente Aimerico domino Fagiæ; Gaufrido Plenello; Huberto de Silinniaco; Aimerico de Prissiaco; qui cum Galterio, monacho, ad hoc audiendum convenerant. De hominibus autem Ersendis et Philippi audierunt hoc Benedictus Rosellus; Gaufridus Vachio; Goslenus, serviens; Gosbertus Bocellus; Baldola.

Annuit et hoc filia Gaufridi, uxor Fulcradi de Cella, Avis nomine, apud Nucharios. Hoc audivit Johannes Golium; Paganus de Riperia; Gosbertus, filius Aiteldis; Alexander de Corme.

Hoc autem annuit domnus Hugo de Sancta Maura, de cujus fedio erat, et uxor ejus Agenor, et filius ejus Goscelinus. Testes : Arduinus Turbatus; Hugo Natalis; Robertus, clericus.

Cart. orig., folio 109, recto; copie, p. 103.

CCCXVI.

Gaufridus Berardi confirmat dona Fulconis Vitalis.

(C. AN. 1103.)

Notum sit omnibus quod Gaufridus Berardi annuit Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis Nucariensis ecclesiæ

omnia quæcumque de ejus fedio dederat Fulco, filius Vitalis, jam dictæ ecclesiæ Nuchariensi, tam in pratis quam in terris, pro anima sua; et abbas Stephanus et monachi ejusdem loci dederunt ei x solidos in caritate. Testes Christoforus, presbyter; Goscelinus de Bosceia; Ivo, serviens de Rupe; Bernardus, famulus monachorum.

Cart. orig., folio 110, verso; copie, p. 115.

CCCXVII.

Concordantia inter Stephanum de Monteth et monachos Nucharienses.

(C. AN. 1103.)

Innotescere volumus fidelium, tam futurorum quam præsentium, cognitioni, quod miles quidam, nomine Stephanus, filius Oberti de Monteth, importunis querelis nos graviter infestabat, requirens a nobis aream quamdam in burgo Sancti Egidii super Esmantiam, dicens eamdem aream patri suo ab abbate Stephano fuisse datam : cujus querelæ hunc finem imposuimus, ut quinque ei denarios census de eadem area singulis annis concederemus, et nihil amplius. Testantibus et audientibus Goffrido, filio Actildis, et fratre ejus Gausberto; Garnerio Maingodo; Rainelmo Burcardi; Girardo, filio Ivonis; Goffredo Adelelmi; Aimerico, filio Sauconis; Giraldo Choeta; Savarico, filio Oggisii.

Cart. orig., folio 109, verso; copie, p. 117.

CCCXVIII.

Donum burgi in suburbio castri Insulæ apud Ismantiam.

(C. AN. 1103.)

Notum sit omnibus quod Gaufridus Berardi habebat burgum de monachis de Nuchariis in suburbio Insulæ castri apud Esmantiam, quem reliquit uxori suæ Rosceæ post mortem suam, tali convenientia, ut quamdiu ipsa vixerit, habeat eumdem burgum, nec liceat illi eumdem burgum dare, nec vendere alicui nisi supradictis monachis; et post mortem ejus habebunt monachi de Nuchariis burgum illum, nec ullus, vel ulla parens Gaufridi Berardi in eodem burgo aliquid recti quærere poterit. Hoc donum fecit Gaufridus Berardus, annuente et audiente Bartholomæo, domino Insulæ.

Testes Aimericus Ivonis, et frater ejus Girardus; Gaufridus Adelelmi; Gaufridus Folium; Johannes Folium; Rainelmus Burcardi; Philippus de Mota; Petrus Thomas; Araldus de Uxello.

Cart. orig., folio 110, recto; copie, p. 121.

CCCXIX.

Garnerius de Balgentiaco occisus in bello contra Eschivardum Pruliacensem.

(C. AN. 1104.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod quidam vir nobilis, Garnerius nomine, cognomento Pisos, de Balgentiaco, venit ad Johannem, dominum

Montis Basonis, præbere ei auxilium contra hostes suos. Accidit autem, dum cum Johanne maneret, ut quadam die egressus isdem Johannes ad pugnam, obviam haberet Eschivardum Prulliacensem dominum, et orto bello, pugnaverunt totis viribus, in qua pugna occisus est jam dictus Guarnerius, de cujus morte magnum mœrorem et luctum habuerunt Johannes et socii ejus, et non solum Johannes, sed etiam multi alii, qui eum non cognoscebant visu, eum planxerunt, tanta erat probitas viri. Tulerunt autem corpus ejus Johannes, et Petrus frater Guarnerii mortui, et portaverunt eum ad ecclesiam Sanctæ Mariæ de Nuchariis, rogaveruntque abbatem, ac monachos ejusdem loci, ut eum pro amore Dei in suo cimiterio sepelirent, et ut beneficium loci ei annuerent. Qui libenter hoc fecerunt, et eum decenter sepelierunt, et honorifice in suo cimiterio tumulaverunt. Quo sepulto, venit Johannes in eorum capitulo, cum Petro, fratre mortui, et multis aliis, ibique coram omnibus astantibus annuit Deo et Sanctæ Mariæ et ecclesiæ Nucharіensi omnia quæcumque illo die possidebant monachi ejusdem loci de hereditate patris sui et matris suæ, ad Parilliacum, et ad Druium, et ad Columberios, et ad Mantelon. Ipse autem Johannes, antequam hoc fieret, dederat. et annuerat omnia quæcumque Ulgerius de Breis dederat supradictis monachis, in ecclesia quæ dicitur Mantelon, id est offerentiam et sepulturam et decimam. Hæc eadem similiter et hic annuit. Erat autem cum Johanne ibi quidam vir nobilis, Guarnerius nomine de Virelei, qui in eodem capitulo dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et eidem Nucharіensi ecclesiæ, omnem decimam de sua propria carruca, quam habebat ad Columberios, pro anima prædicti Guarnerii mortui.

Annuit hoc supradictus Johannes, et aliam decimam,

quam isdem Guarnerius dederat jam dictis monachis, acceptis tamen ab eis in caritate trecentis solidis.

Testes hujus rei fuerunt hi : Petrus, frater Guarnerii mortui; Ribotellus de Haia, et frater ejus Andreas; Petrus Goscelini ; Guillelmus Marranni ; Mauricius Brunus; Laibotus de Burneis; Thomas de Balneolis; Achardus Fascina vetulam; Johannes Giroardi; Tethbaldus, coquus; Radulfus, miles Johannis; Jaquelinus de Lauduno; Petrus de Jarreis; Marcus de Luchis; Archembaldus Rufus; Saturninus, presbyter; Fraisnellus, coquus.

Cart. orig., folio 32, recto; copie, p. 461.

CCCXX.

Donum Nuchariensi cœnobio pro anima Philippi occisi.

(C. AN. 1104.)

Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod eo tempore quo Bartholomæus, filius Borrelli, erat dominus castri Insulæ, ortum est bellum, quod vulgus guerram vocat, inter ipsum Bartholomæum et Hugonem de Sancta Maura, in quo bello occisus quidam juvenis, Philippus nomine, filius Gaufridi Savarici, a Gaufrido fratre Petri Torti de Monte Basonis; de cujus morte ortus est mœror et dolor magnus. Erat enim nobili progenie ortus, habens fortissimos parentes in Turonica et Andegava regione. Qui de ejus morte valde contristati adversus percussorem propinqui sui inimicitias magnas exercebant. Qui eorum timore perterritus, nec non et timore homicidii, multoties per amicos et notos ab eis

pacem expetiit, nec impetrare potuit, donec per abbatem Stephanum Nuchariensem pacem hoc modo adquisivit. Ipse enim abbas Stephanus rogatus a jam dicto Gaufrido, adiit Hugonem de Campo Caprarii avunculum Philippi et filios ejus, cæterosque parentes ejus, ostenditque eis ratione et precibus eorum inimicitias et odia et persecutiones nihil proficere animæ Philippi. Qui tandem victi ratione vel precibus, annuerunt pacem facere cum Gaufrido, si ipse Gaufridus unum monachum faceret pro anima Philippi, in Nuchariensi ecclesia. Quod ipse audiens libenter fecit hoc modo.

Quidam vir Hugo, Natalis nomine, habebat terram apud Antoniacum, quæ ei data fuerat in matrimonium cum uxore sua filia Stephani de Pictavis, et alibi habebat terras inter Lucas castrum et Montem Basonis, in quibus terris supradictis Gaufridus habebat consuetudines quas dedit Hugoni in commutationem pro illa terra quam habebat apud Antoniacum. Dedit autem Gaufridus de Monte Basonis, terram illam quam acceperat in commutationem ab Hugone, Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis de Nuchariis, pro anima Philippi tali convenientia, ut pro Philippo in Nuchariensi ecclesia monachus unus semper haberetur.

Hujus commutationis, scilicet terræ et consuetudinum inter Hugonem et Gaufridum, fuerunt testes, Hugo de Sancta Maura; Goscelinus, filius ejus; Petrus de Monte Basonis; Guichardus de Monte Basonis; Ingilgerius, vicarius; Boetus; Rainaldus, archipresbyter.

Postea vero apud Insulam venit abbas Stephanus et Gaufridus de Monte Basonis, et ibi coram matre Philippi et parentibus ejus, dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis de Nuchariis, terram de Antoniaco quam acceperat in mutationem ab Hugone Natali pro anima

Philippi, et mater Philippi ignovit ei mortem filii sui, et parentes ejus cum ea, osculantes eum.

Testes ex hoc : Gaufridus Folium ; Rainelmus, filius Burcardi ; Johannes Folium ; Petrus, filius ejus ; Aimericus Salco ; Hugo, frater ejus ; Petrus de Rajacia ; Hugo, filius Ulrici ; Gaufridus Rufus ; Petrus Thomas ; Gaufridus Vachio.

De illa autem terra quam dedit Gaufridus pro anima Philippi, habebat Hugo Natalis medietatem in dominium, et aliam medietatem habebat de eo in fedium Andraldus quidam, serviens de Sancta Maura qui, sicut fedium habebat de Hugone, ita postea habuit de abbate Nucharіensi ; sed postea videns nihil sibi proficui exinde habere, quia longe ab eo erat, dedit abbati Stephano illud fedium ut haberent illud monachi in dominium, sicut habebant aliam medietatem, et abbas et monachi dederunt ei unum arpennum vineæ ad Prunerios in parrochia Sancti Spani, et alibi duo frusta inter vineam et terram planam, ad censum reddendum præposito Sancti Martini ab ipso Andraldo. Hujus commutationis testes sunt Galterius, monachus, bajulus ; Radulfus, monachus ; Artus ; Radulfus Engenaldi ; Gunterius miles.

Cart. orig., folio 170, verso ; copie, p. 123.

CCCXXI.

Donum cujusdam terræ inter crucem Nucharіensem et Belloacum.

(C. AN. 1104.)

Notum sit omnibus quod Hugo de Nucharіis Deo et Sanctæ Mariæ dedit quamdam terram quæ est inter Crucem et Belloacum, pro anima sua et parentum suorum.

Insuper pro ipsa terra dimiserunt ei monachi de eleemosyna matris suæ quadraginta solidos, et de alia parte viginti solidos, quos ei monachi præstiterant ; sed et Boso, frater ejus, dederat monachis pro sepultura sua unum equum, et hunc similiter ei dederunt. Testes Guiton, cementarius ; Tedricus; Achardus; Bernerius, filius Rainaldi, coqui; Bernardus Peters.

Cart. orig., folio 15, verso; copie, p. 125.

CCCXXII.

Donum cujusdam terræ juxta rivulum Morricum.

(C. AN. 1104.)

Notum sit omnibus quod Savaricus de Bosceia dedit Deo et ejus sanctæ Genitrici Mariæ, abbati Stephano et monachis de Nuchariis, annuente uxore sua, terram quam habebat juxta rivulum qui dicitur Morricus, qui est inter Cruciliam et Insulam, et ipsa terra est inter viam quæ vadit ad Cruciliam et Vigennam, et propter hoc abbas dedit illi et uxori ejus beneficium loci, et ut omnium orationum et eleemosynarum Nuchariensis ecclesiæ participes efficerentur.

Testes hujus rei : Otbertus de Monticulo; Galterius de Montenai; Fulcardus, nepos Savarici; Roggerius Bigoth; Engelardus, filius Aimonis; Girardus Busellus.

Cart. orig., folio 108, recto; copie, p. 127.

CCCXXIII.

Guillelmus de Avone dat medietatem molendini de Calcasacco.

(C. AN. 1104.)

Quia malis parentibus pejores filii quotidie oriuntur, quod enim illi pro animarum suarum salute ecclesiis ac religiosis viris de possessionibus suis distribuerunt, isti calumniando, depravando, diripere contendunt. Idcirco ego Guillelmus, Gosmerii de Avone filius, quicquid ipse pater meus aut mater mea Benedicta ecclesiæ Nucha-riensi dederunt, vel etiam pro antecessoribus suis con-cesserunt, et ego dono et concedo ut libere et absolute habeant, videlicet medietatem molendini de Chalchasac-cum, et parum decimæ quæ est ad Saché et decimam vineæ ad Chalchasac, et quicquid unquam antecessores mei monachis Nuchariensibus dederunt. Annuit hoc Issembardus, frater meus.

Testes hujus rei fuerunt : Stephanus de Montet ; Sava-ricus Dindellus ; Paganus Martinus ; Pebrisai ; Odo Pic-tavensis ; Radulfus de Rers ; Alo, præpositus ; Sivaldus, monachus.

Cart. orig., folio 57, recto; copie, p. 129.

CCCXXIV.

Effredus David dat terram ad census solvendos.

(C. AN. 1104.)

Sciendum est vobis, fratres, tam præsentibus quam futuris, quod Effredus David de Gentiaco terram quam emit ab Bardo, milite de Mirebello, eam Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensis ecclesiæ, monachisque ejusdem dedit, annuentibus illis a quibus eam habebat, scilicet ab Rainaldo Ricardo et ab Araudo filio ejusdem, talique pacto, ut quicumque eam ab istis tenerent, a nobis nisi duos solidos census haberent. Testes domnus abbas Stephanus; Effredus, capicerius; Araudus, canonicus; Effredus David.

Hos census debemus in domo Genciaci ad festivitatem Omnium Sanctorum : Radulfo de Bosnaico, IIII denarios de domo Gosberti, monachi nostri; Isemberto, III denarios ad Natale Domini; Bardo de Mirebello, duos solidos; ipso die, mulieri de Faia quæ nominatur Pagana de Tricum, obolum et dimidium. Istos autem in martio debemus : Gauterio de Insula, quatuor denarios; Aimerico Guttarno, II denarios; Pagano de Ponte, I denarium; Pagano de Braia, VI denarios; Bosoni de Boslentot, III denarios; Bernoni Rufo de Furnis, I; Pagano Girardo, fratrique suo, I; monachis Sancti Jovini, II denarios; Effredo Rannulfo, II denarios et obolum; Radulfo de Bosnaico, II; Aimerico, I; Guillelmo Colito, I. Ad festivitatem Sancti Christofori istos debemus : Isemberto Callido, ex parte Radulfi Bosniachi, I denarium; Isem-

berto Tinicot, VI denarios, de terra Gosberti monachi nostri, et ex alia terra ejusdem octo denarios debemus.

Cart. orig., folio 85, recto; copie, p. 131.

CCCXXV.

De Bosco Veteris Auriculæ.

(C. AN. 1104.)

Sin illis quæ jam per amicorum beneficia possidemus negligentes existimus, frustra ea quæ nondum habuimus nos possessuros speramus. Quia vero hujus rei litterarum monimenta maxima causa existunt, scriptioni commendare decrevimus, quod quidam miles, Achilles nomine, frater Lancelini monachi nostri, in infirmitate positus et ad mortem deductus, dedit Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensis ecclesiæ, illam partem terræ quam habebat ad Boscum Veteris Auriculæ, de quo frater ejus, supradictus Lancelinus, partem aliam nobis dederat et quarterium prati super Andriam.

Testes fuerunt : Amelinus de Mahet, qui etiam hoc annuit; Herbertus, miles; Aimericus Rabellus, et uxor ejus Aremburgis; et Lancelinus monachus, frater ejus.

Cart. orig., folio 120, recto; copie, p. 135.

CCCXXVI.

Concordia inter Gaiferum de Haia et monachos Nucharienses de censu solvendo.

(C. AN. 1105.)

Notum sit omnibus quod monachi de Nuchariis debebant censum Gaifero de Haia, decem et septem denarios, et minutam; sed ipse Gaiferus quærebat plus unam minutam. Sed postea fecit concordiam cum abbate Stephano et monachis de illa minuta, quam injuste quærebat, et de illa quæ erat super decem et septem denarios, et annuit ut census esset in rotundum decem et septem denarii, annuente uxore sua.

Testes : Rainaldus de Calviniaco; Ribotellus; Burchardus de Mirmanda; Rainaldus de Pilis.

Post aliquantum temporis omnia calumniatus est supradictus Gaiferius. Pro hac re dedit ei Gauterius VII solidos, et ipse annuit quicquid calumniatus fuerat, videntibus istis : Ribotello; Andrea, fratre suo; Matheo Ruschavals; Goffrido Peloquino; Buchardo de Pruliaco; Jordano de Bres; Giraudo Choeta; Goscelino de Mose; Rainaldo, calvo; Liruns et Milo; Tethbaudo. Ipse vero hoc spopondit coram omnibus his, ut nunquam amplius a monachis quærat, nec etiam frustum panis, nisi gratis ei dederint.

Cart. orig., folio 79, recto; copie, p. 137.

CCCXXVII.

Longus de Nuchariis dat omnes alodos suos ad Polinniacum.

(C. AN. 1105.)

Quidam vir de Nuchariis, Longus nomine, in infirmitate positus, rogavit monachos ejusdem loci ut sui misererentur. Dedit autem eis omnes alodos suos quos habebat ad Polinniacum pro anima sua, annuente uxore sua, ac filiis ac filiabus, et monachi eum in extremis positum monachum fecerunt, et defunctum in suo cimiterio honorifice sepelierunt; et quia visum erat filiis Longi quod parvam eis eleemosynam dedissent, annuerunt omnes filii ante dicti Longi supradictæ Nuchariensi ecclesiæ decimam quam dederat Guntaldus Batalla Nuchariensi ecclesiæ, quæ fuerat de fedio patris eorum. Hæc est annuatio filiorum :

† Signum Rainaldi.
† Signum Ugonis.
† Signum Bosonis.
† Signum Adelelmi.
† Signum Araldi.

Testes Gualterius de Carbonerias, monachus; Galterius de Buxerias; Ugo, presbyter; Aimericus Pasto; Arnulfus; Andreas; Petrus; Odo; Marricus; Johannes; Stephanus; Odo.

Cart. orig., folio 180, recto; copie, p. 139.

CCCXXVIII.

Aimericus, Ivonis filius, dat modium annonæ super molendinum de Calcasacco.

(C. AN. 1105.)

Quia temporalia bona æternis comparata parva et nullius momenti esse videntur, idcirco ego Aimericus, Ivonis filius, pro æterna remuneratione et pro anima patris mei et matris meæ, seu omnium parentum meorum, et anima Ceciliæ, uxoris meæ carissimæ, Deo omnium bonorum datori dono et concedo, et Beatæ Mariæ semper Virgini, et monachis ecclesiæ Nuchariensis, modium annonæ quod annuatim mihi persolvebant de molendino quod vocatur Chalcasac, ita ut amplius nec mihi nec alicui de genere meo persolvatur.

Annuit hoc Girardus, frater meus, et ambo filii ejus Ivo et Aimericus. Testes istius rei : Archembaldus de Sivrai; Alo, præpositus; Durandus, miles; Rigotnellus; Gosbertus de Turei; Guilbertus de Savoneiras; Mainardus; Petrus, minutor; Paganus, clericus; Ivo, presbyter; Achardus Fascina vetulam; Petrus, famulus; Fruens; Paganus Basilia; Boderandus.

Cart. orig., folio 116, verso; copie, p. 141.

CCCXXIX.

De molendino apud Salvaticum.

(C. AN. 1105.)

Radulfus Berardus calumniatus est monachis Sanctæ Mariæ de Nuchariis molendinum de Salvatico, contra quem placito congregato apud Sanctum Egidium, abbas et monachi adhibuerunt testem et defensorem Rannulfum Berardum qui in eodem placito ita se molendinum donasse narravit. « Ego Ragnulfus, dedi Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, molendinum de Salvatico, et censum, et omnes consuetudines quæ omn..... meæ in mutuatione pro molendino, quemdam meum colibertum, Martinum nomine, molendinarium, annuente uxore mea. Annuit autem hæc omnia dominus meus qui hic præsens est, Gaufridus Berardus, a quo molendinum tenebam, qui per animam bene scit hunc Radulfum injuste repetere quicquid in molendino repetit. »

Interrogaverunt autem qui in placito erant Gaufridum Berardum si ita annuisset, sicut Ragnulfus testabatur, qui se ita annuisse coram omnibus testatus est. Ita Radulfus refutatus dimisit calumniam quam monachis intulerat.

Testes ex hoc: Gaufridus Savaricus; Acarias de Mirmanda; Alcherius de Rajacia; Girardus, filius Ivonis; Rainaldus *Trahe prædam*; Garnerius Aimerici, homo Yvonis; Ameno, filius Ulrici; Oggerius de Mota.

Cart. orig., folio 156, verso; copie, p. 143.

CCCXXX.

Gulfrannus dat omnia quæcumque habebat inter Crosam et Vigennam.

(C. AN. 1105.)

Prudentium et industrium virorum est prudenter ea quæ temporaliter agunt, tractare, ne ex sua negligentia videantur posteris lites et jurgia generare. Unde necessarium credimus ut ea quæ nos præsentes agimus, notitiæ subsequentium etiam litteris commendemus. Noverint itaque præsentes et futuri, quod vir quidam, Gulfrannus nomine, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis Nuchariensibus, pro salute suæ animæ, et patris, et matris, et avunculi sui, omnem terram quamcumque habebat in dominio, sive in commisso inter duas aquas, Crosam videlicet et Vigennam; prata quoque et ipsas aquas, quæ ad terram illam pertinent, tali pacto, ut si aliunde aliqua calumnia insurrexerit, ipse monachis inde satisfaciat, omnia eis aquitando. Si vero istud facere non poterit, accipiant monachi quinque solidos apud Azaicum, quos ab eisdem tenebat, donec omnis in prædicta terra, eo agente, calumnia conquiescat. Hac de causa dabimus ei in vita sua, si petierit, tres solidos de censu. Post obitum vero ipsius, nobis remanebunt. Ipsum quoque honorifice in viridario nostro sepeliemus, et si fuerit nobis nuntiatus obitus ejus, de Azaico eum afferemus. Pro hac re et dono supradicto dedit Gaudinus monachus ipsi Guilfranno xxx solidos in caritate.

Hujus rei testes sunt Gaufridus Martinus; Bernardus, famulus; Johannes Parator; Radulfus de Niol.

Hoc donum annuit soror ejus Aldeardis, et nepotes Rainaldus et Ursus, et ideo dedit illis isdem Gaudinus quinque solidos in caritate. Testes hujus rei fuerunt, Erveus de Ligol; Bernardus, famulus; Gaudinus; Ulricus, presbyter.

Cart. orig., folio 33, recto; copie, p. 149.

CCCXXXI.

Simon de Noviastro petit equum ab abbate Stephano, pro quo denuo affirmat omnia sua dona.

(C. AN. 1105.)

Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ fidelibus quod Simon, filius Araldi de Noviastro, multis vicibus dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis de Nuchariis de possessionibus suis, aut quæ parentes ejus vel uxoris illius dederant, annuitque ut data sunt singula in aliis cartis scripta habentur, et multoties monachi pro his donis ei de suis rebus dederunt. Postea vero Sivaldus monachus, eleemosynarius Sanctæ Mariæ, habebat quemdam equum quem petiit Simon ab abbate Stephano, ut eum illi daret. Abbas autem Stephanus promisit eumdem equum libenter illi daturum, si omnia quæ dederant ipse et uxor ejus et annuerat, iterum reaffirmaret, et filiis suis hoc annuere faceret. Qui hoc se pollicens facturum, congregatis multis viris, tam ex parte ejus quam ex parte monachorum, venit apud Nucharios ipse et duo filii ejus, Hubertus Petrosilus et Urias, et ibi, astante abbate, cum monachis, annuit Simon omnia quæ dederat vel annuerat. Annuerunt autem duo filii ejus, Hubertus Petrosi-

lus et Urias, monachis et ecclesiæ Nuchariensi omnia quæ dederant eis pater Simon, et mater eorum Borilla vel Aldeburgis, et quæ dederant patrui eorum Oggerius et Nerbertus, et omnia quæcumque illo die possidebant monachi de possessionibus parentum eorum.

Testes: Guido de Rupibus; Acardus de Sivraico; Guillelmus Frogerii; Ulricus, presbyter; Tethbaldus, presbyter; Frumentinus; Odo Arotellus; Rainaldus Barbota, et frater ejus Gaufridus; Odo de Albigniaco; Gaufridus Martini; Rainaldus Choisnel, et frater ejus Raimundus; Bernardus, famulus, et alii plures, tam ex hominibus monachorum, quam ex hominibus Simonis. Abbas autem dedit Simoni pro annuatione sua et filiorum, equum quem petierat.

Cart. orig., folio 173, verso; copie, p. 151.

CCCXXXII.

Simon de Nugastro dat quidquid habebat commune cum monachis apud riparium.

(C. AN. 1105.)

Sciendo sciant qui rerum causas scrutando scire laborant, quod Simon de Nugastro, quicquid habebat commune cum monachis Nuchariensibus apud riparium ex utraque parte rivuli, donavit eis, et insuper ex dominio suo partem quamdam terræ, sicut metæ ibidem assignatæ ostendunt; et si ibi molendinum fiat, omnes in tutela sua ad eum venientes pollicitus est se habere. Pro hac re dederunt ei monachi quamdam mulam tali videlicet pacto, ut qualibet ira vel causa ipse aut heres

ejus in his supradictis monachis nocere non præsumant.

Hoc autem totum ita confirmatum est, ut semper in custodia et manu domini Sanctæ Mauræ et Nugastri consistat. Annuit hoc uxor ejus et omnes filii ejus et filiæ.

Testes autem hujus rei fuerunt: Uries et Gualterius de Situla; et Gosbertus; Arnaldus, carpentarius; Albertus, furnerius; Ademarus, filius Petri *Male docti* de Monte Oranno.

Cart. orig., folio 173, recto; copie, p. 153.

CCCXXXIII.

Concordia inter monachos Nucharienses et monachos Majoris Monasterii de ecclesia Sancti Ægidii de Insula Buchardi.

(C. AN. 1105.)

Sicut utile est gestas res scripto commendare ad notitiam posterorum, sic inutile et insensatum juste judicatur, si per negligentiam in silentio dimittantur. Quapropter memoriæ litterarum studiose impressimus, quod monachi Sanctæ Mariæ Nuchariensis fecerunt quamdam ecclesiam in honore sancti Egidii, in terra nostra, id est, Majoris Monasterii de Tavento, in castro videlicet quæ Insula appellatur, in partem ejusdem castri quæ vulgo dicitur Esmantia, quod nos ei longo tempore calumniati sumus.

Tandem venimus ad hujusmodi concordiam, quod nos ipsis in perpetuum dimisimus illam calumniam, et ipsi ea gratia dimiserunt nobis quinque solidos censuales,

quos monachi nostri de Tavento eis per singulos annos persolvebant, per concessionem illorum dominorum de quorum beneficio illi Nucharienses monachi illos v solidos tenebant, id est, Aimerici, filii Yvonis, et Girardi, fratris sui; audiente Gaufredo, genero ejusdem Aimerici; Hugone de Sancta Maura; Goffrido Peloquino; Gosberto, filio Ethaldis; Achardo Flocello; Lisiardo; — de famulis Majoris Monasterii : Petro Burdone; Pagano, camerario; Odone de Fontanis; domno abbate Guillelmo Majoris Monasterii; Radulfo de Carnoto; Petro, bajulo.

Ad majorem hujus concordiæ confirmationem, fini hujus cartæ subnecti volumus quod hæc concordia facta est et consummata in capitulo Majoris Monasterii, præsente domno Guillelmo abbate, et fratribus illinc et illinc, et in capitulo Nuchariensi præsente abbate Stephano et monachis ejus, Gaudino, priore; Ansterio; Raginaldo sub-priore; Silvaldo; Guidone; Guillelmo, cellarario; Engilgerio, sacrista vel ædituo; Hermanno, custode armarii, et cæteris.

Cart. orig., folio 124, recto; copie, p. 597.

CCCXXXIV.

De generali placito in curia Hugonis de Sancta Maura.

(C. AN. 1105.)

Gestarum rerum memoria ne per subeuntia tempora obliviscendo a memoria posterorum elabatur, litterarum apicibus annotari necesse est, quatenus ætate et memoria transeunte, quod nequeunt homines aspectu agnoscere, firmum fore litterarum nota animadvertant. Idcirco nos

Nucharienses monachi, quod actum nostra constat ætate, nostris posteris enotare curamus; quod quidam vir nobilis, Johannes Franciscus nomine, apud Nugastrum degens, quorumdam hostium assilientium vulnere percussus, repentina morte præventus, nihil de sua est salute locutus. Quo mortuo, uxor ejus, Amelina nomine, sumens armigerum ejus Ricardum de Banneolis, direxit eum ad monachos Sanctæ Mariæ Nuchariensis, rogans eos ut virum suum reciperent, et honorifice, ut talem virum decebat, tumularent. Qui ejus rogatui parentes, eum decenter et honorifice tumulaverunt, et in suis orationibus admiserunt. Sed ne eorum beneficium et servitus sine aliquantula remuneratione remaneret, dedit eis Amelina, uxor Johannis, pro redemptione animæ suæ alodum de Aurinniaco et alodum de Canavellis, qui erant ex parte patris Johannis, tali convenientia, ut si pater Johannis, qui tunc in Francia morabatur, hoc annuere nollet, viginti solidos monachis redderet. Si vero reddere viginti solidos nollet, monachi possiderent alodos in perpetua datione pro anima Johannis. Postea autem veniens pater de Francia, ut audivit filium suum occisum et alodos jam dictos pro ejus anima datos, si ipse annueret, aut viginti solidos, si ipse eos vellet reddere, noluit denarios reddere, sed datos alodos annuit tam pro filio quam pro semetipso, atque ita, illo per VII annos vivente et annuente, sine ulla ejus calumnia monachi alodos tenuerunt.

Post spatium autem circiter XXX annorum, calumniata est filia supradicti Johannis, uxor primitus cujusdam Guidonis, et postea uxor Guillelmi Normanni, jam dictos alodos supradictis monachis, atque patrocinante Guidone Nevernense, et Aimerico domino Fagiæ, voluerunt illis auferre memoratos alodos, multa placita con-

struentes, et diu illis calumniam inferentes. Ad postremum, generali placito constituto in curia Hugonis de Sancta Maura, adhibuit testem Guillelmus supradictum Ricardum, qui hæc omnia ut scripta sunt ita retulit, monachis coram astantibus et ita annuentibus. Tunc adjudicavit Hugo de Sancta Maura et omnis ejus curia hanc calumniam a Guillelmo et uxore ejus injuste esse illatam, quia quod mater Johannis dederat, et pater non calumniaverat Johannis, hoc filius et filia Johannis calumniare non poterat, et ita judicaverunt monachis esse alodos remanendos, vidente et audiente Aimerico filio primi mariti uxoris Guillelmi.

Testes qui hoc judicaverunt et audierunt : Hugo de Sancta Maura; Savaricus de Bosceia ; Mauricius Excherpels; Gaufridus de Archinniaco; Arnulfus Cepardus; Arnulfus *Rubeum rostrum ;* Girardus Buxellum ; Girardus Menent; monachi vero Ansterius, Algerius, Lisiardus, Aimericus.

Mortuo autem supradicto Guillelmo, adierunt supra memorati monachi uxorem ejus, rogantes ut annueret quod maritus ejus eis abstulerat, quæ, consilio accepto, annuit ipsos alodos abbati Stephano, tunc supradicti cœnobii gubernatori, et cunctæ congregationi, pro anima patris sui, ac matris et omnium parentum, et ut ipsa et filii ac filiæ, qui hoc libenter annuerunt, participes essent totius ecclesiæ Nuchariensis. Dederunt autem illi monachi L solidos, et ipsa eis annuit alodum de Aurinniaco et alodum de Canavellis, sicut mater ejus illis eos dederat aut in conguagium miserat, annuentibus filiis ejus, Aimerico, filio Guidonis, et duabus filiabus et filio Guillelmi. Testes autem qui hoc viderunt, duo monachi Gualterius et Algerius, quos pro hac re abbas et monachi apud Salmurum direxerant; Giraldus, cementarius,

et frater ejus Robertus; Stephanus Chillos; Bernardus *Malum servitium*; Tetbbaldus; Goffredus Balisterius; Michellus de Salmuro; Andreas de Muncels; Arabith; Constancius; Ansterius Diabolels; Rainerdus Joquet.

Cart. orig., folio 148, verso; copie, p. 155.

CCCXXXV.

Concordia inter canonicos Sancti Georgii castri Fagiæ et monachos Nucharienses de sepultura parochianorum Fagiæ.

(C. AN. 1105.)

Notum sit omnibus, tam futuris quam præsentibus, quod canonici Sancti Georgii castri Fagiæ calumniati sunt monachis Sanctæ Mariæ de Nuchariis ne suorum parrochianorum corpora defunctorum in suo cimiterio deferrent tumulenda. Hac de causa multoties per maximas lites inter se dissidentes, postmodum a compluribus utriusque partis familiaribus quæsita pace, hac quam enarrabimus concordia pacem fecerunt. Annuerunt monachis supra memorati Sancti Georgii canonici, ut si quis eorum parrochianus in Nucharіensi sepultura se tumulari petiverit, et monachos, unum vel plures ad se venire fecerit, non prius ei subsidium communionis vel absolutionis præbeant, donec capellæ Sancti Georgii aliquid habeat delegatum. Quod si aliquis infirmus parrochianus Sancti Georgii, orationibus monachorum se confidens, ecclesiæ Sancti Georgii et canonicis aliquid dare neglexerit, suadetur ei a monachis ut aliquid canonicis et ecclesiæ suæ attribuet, nec de castro a monachis deferatur, donec quod ei suasum fuerit sit adimpletum,

et post libere eum deferant. Quod si pertinaciter obsistens, hoc agere recusaverit, et monachis omnia reliquerit, inspiciant monachi de rebus, quæ eis relictæ fuerint, aliquam partem, et ecclesiæ Sancti Georgii dent atque canonicis. Sed hoc tamen in providentia monachorum erit, et postea corpus sepeliant. Si autem aliquis infirmus eleemosynam suam monachis omnino commendaverit, nec canonicis aliquid reliquerit, nec monachi in ejus eleemosynæ commendatione præsentes extiterint, et interdum mortuus fuerit, deferant corpus monachi, et eorum sit in potestate quid de ejus eleemosyna canonicis largiantur.

Testes ex hoc : Boso Blanchet; Guillelmus de Bornei; Odo, præpositus; Guillelmus de Sancto Savino.

Cart. orig., folio 142, recto; copie, p. 159.

CCCXXXVI.

Donum pro monacali professione Goffredi.

(C. AN. 1106.)

Notum sit omnibus quod Guillelmus Jaquelini dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis de Noers, duos arpennos terræ apud Dracheaco, juxta domum Eschalfornex, quando Goffredus, frater ejus, factus fuit monachus. Annuit hoc Aimericus, frater ejus, et Ermenxendis, soror, et Fulcodius, patruus.

Testes : Paganus de Montet Barre; Goffredus, parator; Goffredus Christofori; Stephanus de Castro Araldi; Paganus, nepos abbatis; Aimericus Chachuel.

Cart. orig., folio 127, recto; copie, p. 169.

CCCXXXVII.

Commutatio vinearum apud Sanctum Patricium.

(C. AN. 1106.)

Notum sit omnibus fidelibus futuris et præsentibus, quod carnifex Fulcherius vineam quam habebat apud Sanctum Patricium juxta vineas monachorum, altercavit cum monachis pro vinea quam habebant apud Murgeria, quæ vocatur Vinea Murgeriorum; quam utique altercationem calumniatus est Paganus de Brullio Aimonis, de cujus censu vinea Fulcherii erat. Postea idem Paganus cum monachis hospitatus est; monachus vero Herbertus, qui tunc prior erat, rogavit eum pro anima patris sui et matris suæ, ut acciperent censum. Ipse vero Paganus, pro animabus parentum suorum, et rogatu monachi, annuit vineam, et cum ramo savinæ quem tenebat prior, fecit donum vineæ, accipiens ille tres solidos in caritate; videntibus istis, Johanne de Signiaco; et Fulcherio; et Roberto, fratre sacerdotis; et Johanne, cliente monachorum.

Cart. orig., folio 98, verso; copie, p. 171.

CCCXXXVIII.

Donatio cujusdam vineæ apud Marcilliacum.

(C. AN. 1106.)

Notum sit omnibus fidelibus Ecclesiæ, quod quidam juvenis erat apud Noviastrum, Rainaldus, Grenolla cognomine, qui valida infirmitate detentus, nec labo-

rare, nec victum adquirere poterat. Qui, gravi necessitate constrictus, venit ad monachos Sanctæ Mariæ de Nuchariis, deditque eis vineam suam, quam ipse plantaverat cum Adelardo, mercatore de Noviastro, in monte qui est inter Marcilliacum et Doxiacum, tali convenientia, ut in vita sua ei victum præberent. Testis ex hoc : Tedevinus.

Cumque regressus esset ad Noviastrum, dixit Oggerio de Mota, et Adelardo mercatori, et Frotinaldo : « Ego morior ; vineam meam, quam ego plantavi, do Sanctæ Mariæ de Nuchariis, exceptis sex sommis vindemiæ, quas hoc anno do Sancto Reverentio. » Eadem autem nocte subita morte obiit. Quem allatum monachi sepelierunt in suo cimiterio et ejus debita reddiderunt ; cumque parentes ejus vineam ejus vellent adquirere, abbas Stephanus venit ad Noviastrum, et coram domno Hyrviso Cabrum testes extiterunt de hoc dono, Oggerius et Adelardus, mercator, et Frotinaldus.

Et ibi coram his omnibus annuit hoc Vivianus Brocardus, qui censum ejusdem vineæ habebat. Testes Hyrvisus Chabruns ; Tedevinus ; Daniel de Rilliaco.

Cartul. orig., folio 142, recto ; copie, p. 161.

CCCXXXIX.

Ademarus Granerius dat Nuchariensi cœnobio quidquid in ecclesia Raziniæ habebat.

(C. AN. 1106.)

Quidam vir de Phagia, Ademarus nomine, cognomento Granerius, dedit Deo et monachis ejus sanctæ Genitricis sub regularis disciplinæ tramite in Nuchariensi cœnobio

servientibus, annuente uxore sua, quicquid in ecclesia Raziniæ habebat, scilicet, in junioratu, in oblationibus et in sepultura, ut per orationes supradictorum fratrum adquireret cœleste præmium. Abbas autem Stephanus, jam dicti cœnobii pater, dedit illi et uxori ejus beneficium loci, ut ab illo die omnium orationum et eleemosynarum et cæterorum bonorum operum quæ in ecclesia essent facta fierent participes.

Testes : Amalvinus ; Odo, vicarius ; Guillelmus, presbyter.

Cart. orig., folio 204, recto; copie, p. 167.

CCCXL.

Dantur quædam apud Sanctum Patricium pro monacali professione.

(C. AN. 1106.)

Noscant præsentes et futuri, quod Stephanus, Engelrandi filius, factus monachus apud Nucharios, dedit Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis ipsius ecclesiæ tres mineas de terra in monte Sancti Patricii, juxta vineam Johannis, de feudo Pagani de Broi Amum ; et quatuor solidos et octo de domo sua, quos reddet illi qui, jure hereditario et posteritatis successione, illam domum et suam terram tenebit. Dedit etiam duos denarios quos debet de censu uxor Guitonis Crespel ; et duos quos debebant ei monachi Sancti Patricii. In Broi Aimu dedit etiam tres mineas de terra et XII denarios de censu, quos debet Popardus, filius Garnerii *Passa Garath*, de feudo Pagani de Broi Aimu. Si quis autem fuerit de heredibus suis qui IIII solidos et VIII denarios reddere noluerit, accipient monachi

pratum, quod est juxta clausuram vineæ de Broi Aimu. Annuit hanc eleemosynam ipse Paganus de Broi Aimu, de cujus feudo sunt omnia, et uxor ejus Ersendis, et filius ejus Huest; et Gislebertus et Bartholomæus.

Testes hujus rei sunt Borrellus Tonderius, et filius ejus; Robertus Borrelli, et Paganus Brahars; et Rotbertus Garrins; Robinus; Petrus de Sancto Patricio; et Bertrannus; et Martinus, clericus; et Hugo, filius Ernulfi, fabri.

Cart. orig., folio 98, verso; copie, p. 173.

CCCXLI.

Concordia pacta inter duos fratres, Paganum et Garnerium Maingodum.

(C. AN. 1106.)

Gaufridus Salconis filius, sciens filium suum Paganum et Garnerium Maingodum inter se discordantes, et jusjurandum quod Garnerius de filii sui morte fecerat, volens inter eos amicitiam quærere, domnum abbatem Stephanum petiit ut concordiam inter eos adquireret. Ipse autem Gaufridus de terra quam in parrochia Sancti Patricii habebat, et arpentum prati in parrochia Sancti Michaelis, Sanctæ Mariæ et monachis in eleemosyna dedit, quantum duo boves omni tempore lucrari possent, propter jusjurandum quod Garnerius fecerat, ut Deus ei peccatum condonaret. Abbas autem Stephanus inter eos concordiam volens, Garnerium petiit, et eum sermocinando de dictis et factis David, ante archiepiscopum nostrum Radulfum duxit. Ipse autem Garnerius, clementia motus, dictis eorum concessit. Hanc autem elee-

mosynam Paganus, Gaufridi filius, concessit, et omnes fratres sui.

Post obitum autem patris, Paganus et uxor sua calumniati sunt. Monachi autem, ut concederent, xv solidos eis dederunt, et annuerunt. Ipsi autem sunt testes Paganus et uxor sua, et Aimericus Sauquerdus; et Gaufridus, et Havis, filii eorum; videntibus istis, Matheum Brehemum; Oliverium; Bochardum; Alo; Fromundum; Petrus Jambum; Girardus de Perers.

Postquam monachi hanc cartam fecerunt, Paganus de quadam conventione eos appellavit. Monachi autem mali-volentiam suam nolentes habere, neque cum eo in iram contendere, quatenus cum Pagano in pace forent, et conventionem et omnes alias occasiones ab eis retraheret, quinque solidos ei dederunt; et hac conventione Paganus uni de confratribus monachis cum uno baculo combusto terram dedit, ita ut omnes querelas et omnes conventiones quas usque modo fecerit hic remaneant, et hic absolvantur; et si monachi forisfactionem ei fecerint de terra et de rebus quæ in terra erunt, vindictam accipiet. Hæc conventio facta est videntibus istis: Carbonello Sancti Michaelis; Richardo, fratre ejus; Vaslino de He; et filium suum Haivois; Rugnardo, vicario; Rotberto de Valle Milone; et vidente Terceol, et Gausberto, armigero.

Cart. orig., folio 68, recto; copie, p. 177.

CCCXLII.

De ecclesiis de Turre et de Curcué.

(C. AN. 1106.)

Notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus, quod Radulfus de Fornellis dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, terram quamdam quam habebat ad Raziniam juxta rivulum qui dicitur Rivus marinus, et decimam ejusdem terræ, et aliam decimam quam habebat in terra monachorum, quam dederat ei Amalvinus. Et propter hoc, equum quemdam habuit. Hoc Boso, frater ejus, qui terram post obtinuit, concessit. Qui Boso dedit monachis de Nuchariis dimidiam partem ecclesiæ de Turre, fedii sacerdotalis scilicet, et sepulturæ et ecclesiæ de Curcué medietatem. Hæc omnia supradicta Cadilo, frater eorum, qui post ipsorum excessum hereditatem obtinuit, concessit. Testes: Amalvinus Robelinus; Ainardus de Luiens; Fulcherius de Maximiaco; Goffredus de Gam..... Dedit etiam ipse Cadilo Deo et monachis de Nuchariis viginti solidos census post mortem suam, quem censum habebat inter Fagiam et Razinam. Ex istis autem viginti solidis dedit quod signum dationis ejus ad præsens, et post obitum suum cum aliis haberent. Iterum autem Cadilo dedit fedium cujusdam hominis scilicet Goffredi, qui cognominatur *Rubra caliga*, et hommagium ejus, et de eodem duos solidos census, quos reddebat ei in unoquoque anno, id est, in anniversario patris sui, tres panes et III justicias vini; et ut mos est, obsequium et missa pro anima sua et patris sui et matris suæ, et fratrum suorum et sororum et parentum suorum,

et pro anima uxoris suæ Nivæ, quæ hæc omnia supradicta, ecclesias scilicet, terram, decimam, censum et hommagium Goffredi *Caligæ rubræ*, et quæcumque alia dederat Cadilo, concessit. Et ii sunt testes qui audierunt hoc quod Cadilo dedit, et quæ Niva, uxor ejus, quam diximus concessit : Gaufridus de Gam ; Amalvinus Robelinus ; Adelelmus Pugnaviger; Guituns, cementarius ; Goffridus de Marcilliaco ; Radulfus, serviens.

Cart. orig., folio 204, verso; copie, p. 181.

CCCXLIII.

Dantur quædam super rivulum Raziniæ, pro anima Gaufridi Florentini.

(C. AN. 1106.)

Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod Milesendis, uxor Gaufridi Florentini, dedit Deo et monachis Sanctæ Mariæ de Nuchariis, pratum quod est super rivulum prope ecclesiam Raziniæ, pro anima viri sui defuncti; et monachi eumdem Gaufridum maritum ejus in suo cimiterio sepelierunt, et orationibus suis participem fecerunt. Annuit hoc Guillelmus Rufus, frater Milesendis, et Athelinus de Bosnaico, de cujus beneficio erat. Hoc audivit Galterius, maritus ejus.

Cart. orig., folio 203, verso; copie, p. 183.

CCCXLIV.

Amalvinus dat monachis totum junioratum ecclesiæ de Razina.

(C. AN. 1106.)

Quoniam de rebus propriis et de juste congregatis, non de rapina, divitiis, constat homines posse suarum redemptionem animarum adquirere, sicut scriptum est : *Redemptio animæ viri, divitiæ ejus;* proinde ego, Amalvinus nomine, de his quæ mihi Dei pietas concessit habere et a parentibus meis succedunt hereditario jure, monachis Sanctæ Mariæ Nuchariensis donavi ecclesiam de Razina, videlicet totum presbyteri junioratum, et universa ex integro quæ in ea in dominio habebam, offerentias, proferentias, sepulturam, decimam de Poleciis, de messium mearum agricultura, et de pecoribus meis decimæ medietatem, unamque terræ olcam, ad hospitandum juxta ecclesiam. Deinde pro anima filii mei Bernardi, quem monachi honorifice tumulaverunt, dedi eis unam partem de frondus de Marnai. Postea volens beneficium meum augere, alteram partem de frondus de Marnai, quam mihi in dominio retinueram, concessi habere et possidere monachis. Pro cujus terræ beneficio, accepi a monachis unum equum valentem VII..... libras nummorum, et filio meo Aimerico, ut libenter benigneque concederet hanc terram et cætera quæ supra dicta sunt, centum solidos monachi dederunt. Itaque gratanter ambo concessimus, ego et filius meus Aimericus, audientibus istis : Aimerico domino Fagiæ; Atelino de Bosnai;

Hugone Goscelini; Fulcherio de Maximei; Ainardo de Luiens; Bosone de Monte-Agrio; Alone Fulcherii.

Præterea, placuit mihi et monachis, pro quadam sua terra dare clausuram meam, et terram juxta positam inter duas vias, pro qua mutuatione accepi VII libras nummorum a monachis; aliam quoque terram pro filio meo Aimerico monachis contuli, eo quod apud eos infirmus diu jacuerit, illisque orantibus Dei gratia convaluit; quæ terra sita est juxta agrum Sancti Christofori. Omnia vero hæc, ut supra scripta sunt, ego Amalvinus et uxor mea Niva, et filius meus Aimericus, et filiæ meæ, Adhenora et Alexandra, tam pro animarum nostrarum quam parentum nostrorum salute, dedimus et concessimus, et tali pacto ut quando obierimus, sepeliant nos monachi in cimiterio suo, si petierimus; si vero ante obitum nobis placuerit ut monachi esse velimus, absque ulla pecunia, nisi ultro dederimus, recipiant nos et faciant monachos.

Cart. orig., folio 202, verso; copie, p. 185.

CCCXLV.

De sepultura Mantelonis ecclesiæ.

(C. AN. 1106.)

Notum sit omnibus quod Radulfus Segoini de Monte Bazonis dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis partem suam sepulturæ Mantelonis ecclesiæ, pro anima sua et uxoris suæ, suorumque parentum, et ut monachi de Nuchariis in suum beneficium et suam societatem reciperent eum et uxorem ejus et filios. Annuit autem hoc

uxor ejus et filii. Testes ex hoc : Galterius et Rainaldus, monachi; Gislebertus de Cande; Rainerdus Senescals; Goscelinus de Monte Basonis; Achardus, præpositus de Nucheriis; Tethgerius de Mantelone.

Cart. orig., folio 106, verso; copie, p. 187.

CCCXLVI.

Johannes de Tusca monachis terram de Sancto Christophoro concedit.

(C. AN. 1106.)

Sciant omnes fideles quod ego Johannes de Tusca, terram de Sancto Christoforo, quæ ex parte uxoris meæ Folsefiæ ad me pertinere videbatur, monachis Nucha-riensibus calumniatus sum. Sed, post decessum matris meæ, compunctus ex morte ejus, ipso die quo sepulturæ tradita est in capitulo Nucharіensi, pro anima ejus eam-dem terram eis concessi.

Testibus his audientibus: Hugone Coscelini; Aime-rico de Haia, Effredoque fratre ejus; Petro, fratre meo; et Aimerico de Tusca; Petro *Tira prædam*.

Concessit hoc etiam uxor mea, his testibus præsen-tibus : Petro Helia; Hugone de Mortuo mare; Rotberto de Busseriis.

Cart. orig., folio 85, recto; copie, p. 189.

CCCXLVII.

Galvius, miles, dat quadrantem terræ pro sepultura sua.

(C. AN. 1107.)

Galvius, miles, dedit Sanctæ Mariæ Nuchariensi quadrantem terræ, ita ut monachi qui tunc temporis ad ecclesiam Sancti Patricii erunt, eum et uxorem suam sepeliant. Robertus autem de Lavardi est testis, et filius suus Robertus, et ipsi concesserunt, et filia eorum Petronilla.

Cart. orig., folio 99, verso; copie, p. 191.

CCCXLVIII.

De decima parochiæ Sancti Patricii.

Notum sit omnibus hominibus, tam futuris quam præsentibus, quod Radulfus de Brullio Haimonis dedit Sanctæ Mariæ et monachis de Nuchariis medietatem decimæ suæ quam habebat in parochia Sancti Patricii. Hoc concessit uxor ipsius Radulfi, Paveia, et filii ejusdem, Barbinus; Girardus; Jordanus; Gaurinus; Bernerius; Mauricius; Oelardus; et filiæ Richoldis et Ilidierdis. Testes sunt isti: Amicus de Portu; Popelinus; Arduinus, faber; Johannes, monachus; Constantinus, presbyter; Petrus de Sancto Patricio; Andreas, mercerius.

Cart. orig., folio 99, recto; copie, p. 193.

CCCXLIX.

Terra et habitamentum ad Sepes Balbini prope Busserias.

(C. AN. 1107.)

Quando aliquid temporaliter agimus, ne id etiam cum tempore labatur, litteris annotando memoriæ gesta commendare curamus. Unde cognoscant præsentes et futuri quod Radulfus Engenaldus dedit Deo et Sanctæ Mariæ terram et habitamentum de Sepibus Balbini, et omnem terram quamcumque habebat in dominio a Portu Pilæ usque ad Busserias, inter viam ipsius portus et Vigennam. Annuit hoc uxor ejus Richildis, et frater ejus Amiotus. Hujus doni et annuitionis causa dedit Gaudinus monachus Sanctæ Mariæ Radulfo et uxori ejus viginti solidos in caritate.

Testes hujus rei fuerunt: Willelmus Marrans; Guillelmus de Bro; Girardus de Rocheas; Girard Torpaudus; Garinus, presbyter; Gaudinus, nepos Gaudini, et Radulfus, monachus; et Alexander, filius Guillelmi de Bro.

Cart. orig., folio 198, recto; copie, p. 195.

CCCL.

Arnaldus Botarius dat semetipsum et tres filios suos in servos ecclesiæ Nuchariensi.

(C. AN. 1107.)

Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod quidam vir, Arnaldus nomine, cognomento Botarius, venit de Francia in Turonico pago ad abbatiam istam tempore abbatis Stephani, et dedit semetipsum et tres filios suos in servos huic ecclesiæ et monachis, ipsis filiis suis hoc annuentibus, Ingelgerio, Bernardo et Rainelmo. E quibus Bernardum accepit abbas Stephanus in suum servitium, committens ei curam et custodiam equorum suorum, in quo servivit ei a pueritia usque ad virilem ætatem. Cum autem factus est vir, dedit ei abbas Stephanus et monachi duo frusta vinearum et unum frustum terræ in vita sua. Postea vero voluit isdem Bernardus accipere uxorem, venit in capitulo monachorum et ibi coram omnibus annuit se esse servum Nuchariensis ecclesiæ, sicut erant Arnulfus Chillos et Stephanus fratres, servi; et abbas Stephanus et monachi annuerunt illi vineas in dotalium et uxori suæ et filiis et filiabus in perpetuam hereditatem.

Testes Arnulfus Chillols, servus; Odo Gituns; Bertinus; Himbertus Rainerii; Johannes, frater Calvæ, uxoris Bernardi.

Cart. orig., folio 41, recto; copie, p. 197.

CCCLI.

Aimericus Bordet calumniam infert pro terra de Nancriaco.

(C. AN. 1107.)

Sciendum relinquimus præsentibus et posteris, quod Helias de Tilia et uxor ejus Helisabeth, favente filiastro suo Aimerico Bordet, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi, terram de Nancriaco, quæ fuerat Stephani Bordet. Hujus rei causa dedit domnus abbas Stephanus duos equos optimos, unum Heliæ, et alterum filiastro ejus, Bordet. Sed quia puer tunc sub potestate positus nondum sui juris erat, postea aliquid temporis succedente, factus miles, huic rei calumniam intulit. Unde ei domnus abbas Stephanus satisfecit, et acceptis ab eo quinquaginta solidis, omnia ut ante data fuerant, annuit, videntibus istis: Zacharia; Athelino; Rana; Aimerico Rana; Goffrido de Orchas; Bernaldo de Brol; Petro de Maximiaco; Aimerico de Tribus Molendinis.

Cart. orig., folio 82, recto; copie, p. 199.

CCCLII.

Datur cœnobio Nuchariensi ecclesia Droii.

(C. AN. 1107.)

Omnibus catholicæ Ecclesiæ filiis notum sit, quod Odo Mestivers, et uxor ejus Mascia, et mater ejus Masciæ, Rahait, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ de Nu-

chariis, pro redemptione animarum suarum, ecclesiam quæ dicitur Drouis, id est, junioratum et offerentiam ecclesiæ, et omnia ecclesiæ pertinentia, excepto decima. Pro burgo autem et pro censu burgi, et pro achargio totius burgi Droii, et pro omnibus aliis consuetudinibus de illis hominibus qui ibi inhabitant, et de illis hominibus quos ibi monachi ad habitandum adduxerint, et pro terra Bartholomæi cujusdam, viri de Turonis, qui eam prius dederat monachis, id est, mansuram Juventis, quæ de fedio eorum erat, et ideo non poterant eam monachi habere sine eorum concessione; dederunt monachi de Nuchariis Odoni et uxori ejus Masciæ, et matri ejusdem uxoris Rahait, decem libras nummorum; et insuper uxori Odonis, pelles varias volutas rubeo serico, id est, cendæ.

Testes : Herbertus, filius Ansterii; Bernardus, filius Arnaldi; Tescelinus; Herveus, præfectus; Hubertus de Brul; Adelardus; Rainerius; Galterius; Giraldus; Dodo Viglers.

Annuit autem hoc Paganus de Cainonis, de cujus beneficio erat, et uxor ejus Belucia, et Johannes, filius eorum. Testes : Adraldus Dais; Fulcherius Grossus; Tescelinus; Bernardus.

Notum sit omnibus quod Odo Mestivers, dum infirmitate corporis laboraret, abbatem Stephanum Sanctæ Mariæ Nuchariensis ecclesiæ ad se venire fecit, ut eum monachum faceret, et dedit Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariis ipse Odo et uxor sua Martha, de cujus hereditate erat Masze, scilicet decimam omnem duodecim boum monachorum de Drui et quamdam terram quæ est juxta ipsam ecclesiam de Drui.

Hoc concesserunt duo filii sui. Testes sunt ii : Rainald de Haiona; Tescelinus, prætor de Drui; Rainaldus

Juvreth; Tostens; Bernardus, marescal abbatis; Algerius de Drui.

Hoc autem concessit Paganus de Mirebello, de cujus fedio erat, et uxor sua Belucia, et Johannes, filius suus. Ii sunt testes : Araudus, monachus, cognatus ipsius Pagani; Tescelinus de Drui; Ganilo, filius Vindaim; Arduinus, dapifer de Monte Bason; Ulgerius Burrelli.

Hæc autem supradicta postea calumniatus est Goffredus Senegon, propter uxorem suam Mabilliam, filiam supradicti Odonis; quapropter Simeon monachus, post multam disceptationem, tandem concordiam cum eo fecit, dans ei pro annuitione xxx solidos et unam vaccam cum vitulo; et pro hoc dono ipse venit in nostrum capitulum, et uxor ejus, annuentes omnia supradicta Deo et Sanctæ Mariæ et monachis.

Annuerunt hoc etiam duo fratres uxoris ejus, Mascelinus et Escherpellus. Testes fuerunt : Augerius Anguilla; Mauricius Crassus; Tescelinus de Drui; Achardus *Fascina vetulam*; Frumentinus; Rainaldus Barbota; Aimericus de Carriciaco.

Cart. orig., folio 72, verso; copie, p. 203.

CCCLIII.

De quadam domo apud Sanctam Mauram.

(C. AN. 1107.)

Notum sit omnibus hominibus, tam futuris quam præsentibus, quod Hermandus de Sancta Maura fuit monachus Nucariis, deditque abbati et monachis ejusdem loci quamdam domum quam habebat in supradicto castro.

Eamdem vero domum petiit dari sibi Hugo dominus jam dicti castri, tali convenientia, ut omnia mercimonia, sive panis, vel vini, seu omnium rerum, libere vendidissent hominibus monachorum in propria domo. His omnibus peractis, dedit Hugo Roberto de Valentiaco ipsam domum quam ei concesserant monachi, tali tenore, ut post mortem ejusdem Roberti libera remansisset monachis.

Testes sunt : Gaufridus Peloquini ; Hugo *Centum solidi* ; Arnulfus Chillos ; Robertus de Valentiaco.

Cart. orig., folio 139, recto; copie, p. 205.

CCCLIV.

Datur monachis ecclesia de Antoniaco, et terra sufficienter ad burgum faciendum.

(C. AN. 1107.)

Duo quidam nobiles viri de Noviastro, Ervisus Cabruns et Simon, filius Adraldi, qui in honorem Malranni Ganiloni filio ejus successerant, habebant quamdam ecclesiam quæ dicitur Antoniacus, super ripam Vigennæ fluminis, quam Nuchariensi ecclesiæ tali modo donaverunt. Pro spe salutis animarum suarum, suorumque omnium parentum, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ, ejusque in honore constructæ Nuchariensi ecclesiæ, omnem ecclesiam de Antoniaco, id est, junioratum ecclesiæ, et omnes oblationes altaris, sive in diebus festis, vel in aliis diebus, et omnem proferentiam, et cimiterium, et sepulturam, et terram sufficienter ad burgum faciendum, et vicariam, et omnes consuetudines burgi, et terram

quantum quatuor boves possunt excolere, et duos arpennos desertarum vinearum. Sclusam autem dederunt monachis jam dictæ Nuchariensis ecclesiæ tali convenientia, ut monachi faciant omnem sclusam, et habeant in ea unum integrum molendinum. Si autem plus uno in sclusa molendina fecerint, habebunt monachi medietatem, et Ervisus et Simon aliam medietatem. Pro piscatione autem dederunt eis terram quæ erat de fedio sclusæ, ad seminanda lina et chanvra, unde in sclusa fiant retia, et per medietatem omnem piscationem partientur. In die autem festivitatis sancti Vincentii, si feiram ibi levare potuerint monachi, habebunt exinde monachi omnes consuetudines, et de omni alio mercatu, qui ibi aliis diebus advenerit, habebunt monachi et vendas, et lumbos, et omnes consuetudines, post obitum Tethbaldi præpositi, et ipse Tethbaudus, quamdiu vixerit, hæc omnia, et præposituram, de monachis habebit. Item dederunt monachis Ervisus et Simon, quicquid in eadem parrochia de eorum casamentis, vel dato, vel pretio, adquirere poterint, et petrariam ad sclusam et ad domos extruendas, quantum sufficerit. Et si aliquis extraneus homo in monachorum burgo donum non habens, aliquod mercatum per aquam duxerit, aut de suso jusum, aut de juso susum tendens, habebunt exinde monachi teloneum, et pedagium. Eorum autem burgenses nil consuetudinis reddent, nec de suso jusum, nec de ripa in ripam transeuntes. Super his omnibus dedit supradictus Simon illam partem quam sibi retinebat post mortem suam monachis, tali convenientia, ut ubicumque obierit, jam dicti eum monachi exinde deferant, et in suo cimiterio sepeliant, et ejus nomen in martirologio scribatur, ejusque anniversarium omnibus annis sicut pro monacho persolvatur. Quod si Ervisus, vel

filius ejus, illam partem redimere voluerit, dabit monachis x libras, et habebit eamdem partem, et si ab Erviso vel filio ejus redempta non fuerit, habebunt eam monachi in perpetuum; ita annuit Ervisus, et filii ejus.

Hæc omnia sicut scripta sunt annuerunt filii Ervisi, Rainaldus et Gosbertus et Beringerius. Hæc omnia sicut scripta sunt abbati Stephano et monachis dederunt, partem pro animabus, partem pro pretio. Ecclesiam et omnes ecclesiasticos reditus, et cimiterium et sepulturam dederuut pro animabus suis. Pro aliis autem datis dederunt monachi Erviso c solidos, et Simoni c solidos, et Rainaldo filio Ervisi x solidos, et aliis duobus x; Gosberto vi, et Beringerio, quatuor.

Horum omnium testes sunt : Johannes Folium, et miles ejus Bonellus; Bernardus de Voo; Guillelmus de Alberiis; Arnulfus Chillos; Radulfus, serviens monachus; Gaufridus de Marcillei; Garnerius; Arnulfus Joquet; Andreas de Moncellis; Aimericus, cementarius; Rainaldus Popos; Gaufridus Maranni; Aimericus Chainart; Aimericus, pontonerius; Adraldus, filius Gosberti.

Hæc omnia sicut scripta sunt, annuerunt filii Gauterii Tiniosi, Gaufridus et Rainaldus. Testes..... Petrus de Maximiaco; Gauterius, filius Pontii; Adelelmus *Pugna vicarium*.

Cart. orig. folio, 209, verso; copie, p. 207.

CCCLV.

Aimericus, dominus Fagiæ, dolens de morte Bosonis, interfecti in carcere suo, facit monachum apud Nucharios.

(C. AN. 1107.)

Omnibus constet esse manifestum filiis Ecclesiæ catholicæ, tam præsentibus quam futuris, quod Aimericus, dominus Fagiæ, fecit quamdam offensam quibusdam hominibus de Lausduno, scilicet Aimerico, cognomento Potet, et fratri ejus Matheo, eorum fratrem interficiens in suo carcere, Bosonem nomine. Qua de causa illi duo fratres, Aimericus et Matheus, adversus Aimericum dominum Phagiæ, maximas inimicitias exercentes, ut homicidam sui fratris nimis eum exosum habebant. Transacto autem aliquanto tempore, timens domnus Aimericus reatus sui facinoris, rogavit memoratos fratres ut ei indulgerent, spondens eis se facturum quicquid ab eo petiissent. Qui tandem victi ejus timore vel precibus, ab eo petierunt pro fratre interfecto, aliquem Deo servientem monachum componeret in qualibet ecclesia. Hoc autem ipse gratanter annuens, in Nuchariensi ecclesia quemdam juvenem clericum, Engilgerium, monachum fecit de suis rebus, hac mercede ipsi ecclesiæ attribuens quæ hic subscribuntur.

Dedit autem ecclesiæ Nuchariensi, abbati Stephano ac monachis ejusdem loci, sex denarios consuetudinis quos habebat in eorum alodo, qui dicitur ad Polethas, et areas ad forniculum faciendum in castro Fagiæ, cujus forniculi constructor fuit Odo, præpositus. Annuit autem monachis in eodem forniculo unum pistorem, qui

forniculum custodiat, nec ullam consuetudinem ulli homini reddat, neque in forniculo, neque ad scamna, neque in mercato, neque pro ullo homine distringatur, nisi pro monachis. De aliis autem hominibus qui in eodem forniculo panem coxerint, habebit domnus Aimericus consuetudinem suam extra forniculum. In forniculo autem, quamdiu in eo panis erit, vel ad fenestras, non accipiet domnus Aimericus panem, nec vi, nec... credendo. Ita, ut hic scriptum est, annuerunt domnus Aimericus et uxor ejus abbati Stephano ac monachis Nuchariensis ecclesiæ, coram multitudine suorum hominum. Dedit autem ipso die quo hæc convenientia facta est, Odo præpositus, post suum decessum, omnia quæcumque habuerit in rebus mobilibus.

Testes horum: Amalvinus; Eleazar; Radulfus de Fagia; Boso de Forniolis, et filius ejus Radulfus; Boso Blaneth; Hugo Goscelinus; Stephanus Bordet; Araldus de Ponte; Araldus Bonet.

Cart. orig., folio 203, verso; copie, p. 209.

CCCLVI.

Rainaldus Vaslinus, moriens apud Montem Thesauri, dat vineas monachis Nuchariensibus.

(C. AN. 1107.)

Cunctis fidelibus sit notum, quod quidam vir de Sancta Maura, Rainaldus Vaslinus nomine, cum esset ad Montem Tesor, decidit in infirmitatem, mandavitque Nuchariensibus monachis ut pro eo mitterent. Qui miserunt pro eo unum de suis monachis, Galterium nomine, qui ei jam gravato valida infirmitate, prout potuit,

consolationem impendit, et eum egentem omni amicorum consilio absolvit, et exinde ad Lucas-castrum perduxit, et ibi eum monachum fecit, et exinde eum mortuum ad Nucharios portavit. Dedit autem isdem Rainaldus, antequam moreretur, Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis eidem sanctæ Dei Genitrici servientibus in ecclesia Nuchariensi, omnem suam partem vinearum quæ in terra ejus erant plantatæ ad complantum prope ecclesiam Sancti Michaelis, quæ a jam dictis monachis apud Sanctam Mauram construebatur.

Testes qui hoc audierunt : Lohos de Guirca ; Bernoinus Orella de Monte Tesor; Adelardus, armiger Rainaldi.

Annuit autem omne hoc donum vinearum quod dederat Rainaldus Vaslinus *Tira prædam* et uxor ejus, de cujus patris beneficio ipsæ vineæ erant, audiente et annuente hoc Hugone de Sancta Maura, et Giraldo Deussel ; et Rainaldo Frotbaldi ; et Jaquelino de Sancta Maura.

Cart. orig., folio 137, recto; copie, p. 214.

CCCLVII.

Decretum Radulphi II, Turonensis archiepiscopi, de Crucillana ecclesia.

(C. AN. 1107.)

In nomine summæ et individuæ Trinitatis, Radulphus Dei gratia Turonum archiepiscopus successoribus suis in perpetuum. Contentionem inter religiosos Dei servos, Bellilocensem scilicet, atque Nucariensem, venerabiles abbates exortam ejusque definitionem quam dedimus

justam, atque canonicam sub præsentis scripturæ testimonio perenni memoriæ duximus inserendam. Noverit itaque nostrorum universitas successorum Fulconem abbatem Bellilocensem cum suis monachis apud nostram auctoritatem proclamasse, quod Stephanus Nucariensis abbas ecclesias Crousillarum Bellilocensi ecclesiæ injuste et irrationabiliter auferret. Unde cum diutinam inter se querelam habuissent, diem utrisque statuimus, quo in præsentia nostra inter eos dijudicaretur, et investigata veritate tanto certamini finis imponeretur. Cum igitur die constituto ad rei ipsius discussionem in capitulo ventum esset, auditis et diligenter perspectis tam Bellilocensium, quam Nucariensium rationibus, prudentum etiam et religiosorum virorum, qui ibi aderant, videlicet Hildeberti Cenomanensis episcopi; Ivonis Carnotensis episcopi; Joannis Aurelianensis episcopi; Baudrici Burguliensis abbatis judicio definitum est præfatarum ecclesiarum, unde contentio orta fuerat, jus et possessionem debere revestiri. Nos itaque, cum tam sancti, tamque prudentes viri in hanc contentionem sine contradictione unanimiter concordarent, definitioni eorum, imo et veritati assensum præbuimus, et Bellilocensibus monachis ecclesias Crusillarum, concordante toto capitulo Turonensis Ecclesiæ, restituimus. Præterea ecclesias quasdam, videlicet ecclesiam S. Petri de Balema, ecclesiam S. Jacobi de Mosiaco, ecclesiam S. Petri de Varenna, ecclesiam S. Petri Dolensis, eisdem Bellilocensibus monachis concessimus, eo quidem tenore, ut quæ inferius enumeramus in supradictis ecclesiis perpetuo intemerata serventur. Scilicet ut degentes ibi monachi archiepiscopo Turonensi ejusque ministris per omnia debitam subjectionem et obedientiam exhibeant, et consuetos redditus, hoc est synodum et procurationem suis temporibus persolvant, missas

publicas celebrare non præsumant, et decedentibus vicariis ipsarum ecclesiarum in eis divinum officium non celebrent, quousque alii vicarii nostra electione substituantur. Hanc autem nostræ concessionis paginam audierunt, et confirmaverunt canonici sanctæ Turonensis Ecclesiæ Albericus, cancellarius ; Jossius, capicerius ; Alveredus, magister scholarum ; Christianus, archipresbyter ; Gauterius, decanus ; Thescelinus, archidiaconus ; Robertus, thesaurarius ; Avitus, præcentor ; Hervæus, cellerarius ; Gislebertus, archidiaconus. Actum in capitulo S. Mauricii, anno ab Incarnatione Domini 1107, præsente D. Paschali pontifice S. R. E., per manum Alberici cancellarii. Radulphus Turonensis Ecclesiæ sedens in ecclesia, et episcoporum qui cum S. Pontifice præsentes aderant usus consilio, Crusillanam ecclesiam Bellilocensibus addicit, spretis Nucariensibus, et Balemam, Mosiacam, Varennam, Dolumque cœnobiticas cclesias concedit canonicorum assensu.

Imp. MAAN, *Sancta et metropolitana Ecclesia Turonensis*, appendix, p. 250.

Imp. DUFOUR, *Dictionnaire historique de l'arrondissement de Loches*, t. I^er^, p. 73.

Cette pièce se retrouve aussi dans le recueil manuscrit de l'abbé TRAVERS sur les *Conciles* de la province de Touraine, à la bibliothèque municipale de Nantes et à la bibliothèque nationale de Paris.

CCCLVIII.

Concordia inter abbatem Bellilocensem et abbatem Nuchariensem de ecclesiis Cruziliæ.

(C. AN. 1107.)

Noverit omnium, tam præsentia nostrorum quam posteritas futurorum, concordiam quam fecerunt Fulco, abbas Bellilocensis, et Stephanus abbas Nuchariensis,

et monachi utriusque, per concessionem Radulfi archiepiscopi Turonensis. Monachi Nucharienses monachis Bellilocensibus ecclesias Cruziliæ solidas et quictas reliquerunt, videlicet oblationes, et sepulturam, et totam parrochiam quæ est ex ista parte Esmantiæ, propter antiquum jus quod habuerant Bellilocenses in supradictis ecclesiis. Concesserunt eis etiam medietatem sepulturæ in cimiterio Sancti Egidii, et in festo sancti Egidii xx candelas annuali censu, et medietatem earum rerum quas parrochiani Sancti Egidii pro animabus suis monachis Nuchariensibus dimiserint ubicumque, hac conditione, ut si quid parrochiani Sancti Egidii monachis Bellilocensibus reliquerint, medietas cedat monachis Nuchariensibus, et si opus fuerit datione pecuniæ pro rebus dimissis, monachi Nucharienses dent unam medietatem, et Bellilocenses alteram. Dederunt insuper eis quamdam vineam cum adjacente terra intra clausuram, sicut clausura continet. Monachi vero Bellilocenses Nuchariensibus ecclesiam Sancti Egidii, quæ est in parrochia ecclesiarum Cruzillæ, solidam et quictam dimiserunt, et burgum cum parrochia, et vicariam, et consuetudines eorum, sicuti prius habuerant. Quod si monachi Bellilocenses aliquid earum rerum quas antiquitus possederant, vel gratis, vel pretio reacquirere potuerint, nullum impedimentum a Nuchariensibus patiantur, et e converso. Si autem monachi Nucharienses ex hac parte Esmantiæ aliquid earum rerum sibi usurpassent, quas Bellilocenses in proprietate habuissent, post competentem hujus rei demonstrationem et idoneam approbationem, sine contradictione eis restituant. Et quod per insidias inimici hæ duæ congregationes diu a caritate inter se destiterant, convenit eis in utrorumque capitulo firmare, ut amodo propensiore

studio, concordiæ et caritati operam dent, et invicem communi utilitati consulere studeant, nec alii aliis se ingerant.

Cart. orig., folio 118, recto; copie, p. 175.

CCCLIX.

Datur sclusa apud Antoniacum, a Simone de Noviastro, infirmo, spe recuperandæ sanitatis.

(C. AN. 1108.)

Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod Simon de Noviastro, infirmitate detentus, et de vita sua periclitans, cum domnus abbas Stephanus ad eum visitandi gratia venisset, orationibus ipsius se commendans, spe recuperandæ sanitatis concessit Deo et monachis Sanctæ Mariæ Nucharіensis quicquid in sclusa, quæ apud Antoniacum erat, habuerat, nihil omnino sibi proprietatis in eadem sclusa retinuerat. Qui, ut dicimus, hac vice infirmitatis suæ, præsente domno Stephano abbate, nobis exposuit, ut tota sclusa nostro juri sine alicujus participatione cederet.

Testes hi affuerunt : Hyrvisus Cabruns; Daniel de Rilliaco; Galterius Dolsoil; Guido de Tentan; Paganus Engergerius; Gaufridus de Voo.

Cart. orig., folio 172, verso; copie, p. 213.

CCCLX.

Berengarius, serviens Cabronis, moriens dat quatuor arpennos terræ abbati Stephano.

(C. AN. 1108.)

Non ignorare voluimus præsentes seu posteros, quod Berengarius *Calida Alliata,* serviens Yrvisi Cabronis, moriens, dedit Deo et Sanctæ Mariæ Nucharieusi, quatuor arpennos inter vineas et terram, favente matre sua Engelberga. Hujus rei testes fuerunt Bernardus Pesazerii et Corbellus.

Annuerunt hoc Mauricius Bruno, et mater ejus Jaguilina, et filius ejus Goffridus, et filia Normanna. Pro hac re habuit Mauricius triginta solidos Andegavensium, et marcum argenti reddidit domnus abbas Stephanus Ribotello pro ipso Mauricio. Habuit etiam pro hac re sellam pretii viginti solidorum.

Hoc annuit Mauricius in domo Lamberti, vidente ipso Lamberto, et filiis ejus Achardo et Philippo. Viderunt hoc etiam Rogerius, clericus Lamberti, et Goffridus Ferlo, et Olricus, presbyter, et Bernardus, famulus.

Quando annuit hoc mater ipsius Mauricii, cum filio suo et filia, affuerunt præsentes ipse Mauricius et Achardus Lamberti, et Drogo de Ferrariis. In ipso die hujus facti dedit ipsa Engelberga Deo et Sanctæ Mariæ, præter supradictum donum, arpennum quemdam terræ, quem habebat ad censum de Gauffrido Carruel. Testes hujus rei fuerunt : Achardus Lamberti, et frater ejus Philippus; et Goffredus Ferlo; et Rogerius, clericus.

Cart. orig., folio 80, verso; copie, p. 215.

CCCLXI.

Odo monachus emit tres operas terræ ad Campum Venti.

(C. AN. 1108.)

Notum sit omnibus quod Odo, monachus de Nuchariis, emit ab Effredo, cognomento Bodin, tres operas et dimidiam terræ ad Campum Venti, ultra rivum Meabilæ, quas habebat ad censum III denariorum et unius oboli de Huelino de Tenezai, annuente eodem Huelino, et fratre ejus; qui etiam Huelinus dominum suum Rainaldum Bernoinum hoc annuere fecit. Postea vero isdem Rainaldus Bernoinus calumniatus est monachis omnes tres operas, dicens se non annuisse, nisi unam operam. Ob hoc simul convenientes abbas Stephanus et Aimericus dominus Phagiæ, apud Celsum vicum, post longam concertationem diu factam cum Rainaldo Bernone, tandem facta concordia, annuit supradictis monachis Nucharien-sibus omnes tres operas et dimidiam, sicut Odo monachus emerat ab Effredo Bodin, tali convenientia, ut tres denarios et minutam census reddent exinde monachi Huelino de Thenezai, et vendas domorum, si ibi fuerint venditæ; alias consuetudines, id est, censum domorum, et oblitas, et omnem dominationem habebunt monachi.

Testes ex hoc : Aimericus dominus Fagiæ, et Aimericus, filius ejus; Gaufridus Plenellus; Guillelmus Tomas; Thebaudus de Grazai; Fulco Fusil; Hilgodus de Ponent; Bernardus, famulus.

Cart. orig., fol. 91, recto; copie, p. 217.

CCCLXII.

Acharias de Mirmanda dat B. Mariæ de Nucariis, omne alodum quod habebat in villa de Buxeriis.

(Anno 1108, 16 april.)

« Noverint universi et singuli quod, anno Domini millesimo centesimo octavo, et die jovis proxima post Quasimodo, ego Acharias de Mirmanda, do Deo et Sanctæ Mariæ de Nucariis, ac monachis istius monasterii, pro anima mea, omne alodum quod habeo in villa de Buxeriis, et omnem aquam quæ pertinet ad alodum, et omnem ripam et portum aquæ, et cenagium omnium piscatorum, et vicariam, et omnia quæcumque pertinent ad alodum de Buxeriis, tam in terra quam in aqua, et omnes consuetudines quas habeo in villa de Buxeriis, tam ratione quatuor nundinarum et fori sabbatini, et talagia quæcumque, ac etiam omnes alias consuetudines quas ibi habeo, tam in terra quam in aqua, sicut in aliis expressatum est. »

Annuit hæc omnia Acharias de Mirmanda, in præsentia abbatis Stephani et sui conventus, et dictus abbas dedit ei in caritate calcaria deaurata, et uxori suæ quinque solidos. Testes : Aimericus de Tuschia, miles ; Buchardus, frater Achariæ ; Johannes de Valle, præpositus Nuchariensis ; Simon, nepos Achariæ ; Ogerius de Mota ; Herveus de Mota ; Radulfus de Mirmanda ; et multi alii sæculares.

† Signum Galterii.

† Signum Canæ.

† Signum Gaufridi.

† Signum Rainaldi.
† Signum Aduis.

Cart. orig., folio 182, verso; copie, p. 221.

CCCLXIII.

De transitu libero ad Pilas per Busserias.

(C. AN. 1108.)

Boso, proconsul Castri Araldi, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, domno Stephano abbati ac monachis ejusdem loci, viam regiam per ecclesiam et per villam quæ dicitur Busseriæ, ita ut omnes transeuntes a Turonense pago ad Pictavensem pagum, sive a Pictavense ad Turonicum, per supradictam villam transeant, sint peregrini, sint mercatores, vel omnes alii viatores transeuntes ad portum qui dicitur Pilas. Illos autem homines monachorum, qui ad Busserias manserint, annuit proconsul esse liberos ab omni consuetudine, excepto si homines proconsulis in eadem villa in pace venerint, nec malum exinde alicui facere voluerint. Et si alii homines inimici proconsulis ibi eos capere voluerint, in quantum poterunt præbeant eis auxilium homines de Busseriis. Similiter et aliis hominibus ibi in pace venientibus, subsidium ferant, etiam adversus homines proconsulis. Extra villam autem nulli subveniant.

Annuit autem hoc uxor proconsulis, et duo filii ejus Aimericus et Boso, et filia ejus.

Testes hujus rei : Galterius Poteruns ; Ademarus de Curzai; Fulbertus de Luiens ; Gosbertus de Romenoil ; Goscelinus, præpositus ; Morandus de Noviastro ; Arnulfus Chillols; Adelardus, et Vivianus, filius Araldi judicis; Acardus de Busseriis.

Cart. orig., folio 192, recto; copie, p. 465.

CCCLXIV.

Miles, Michael nomine, dat venditionem salis quam habebat Fagiæ.

(C. AN. 1108.)

Ad præsentium et posterorum memoriam transmittere per litterarum annotationem curavimus, quod quidam miles, Michael nomine, ad vitæ hujus extrema veniens, in commendatione eleemosynæ suæ, dedit ecclesiæ Nuchariensi venditionem salis, quam habebat Fagiæ, annuentibus fratribus suis, Aldeberto et Pagano de Valle-Rotundis. Testes inde extiterunt Burchardus de Mirmanda; Aimericus de Sancto Savino; Gauterio Plica villano.

Annuit hoc Aimericus Fagiensis senex, et Aimericus juvenis, filius ejus, cum uxore sua Lisabeth, cognomento *Rumpe stacha*. Testes qui hoc audierunt : Mauricius de Situla; Hugo de Luens; Gaufridus de Gans; Bodardus; Aligannus.

Cart. orig., folio 216, verso; copie, p. 575.

CCCLXV.

Terra et prata super Esmantiam, quæ dedit Petrus Vitalis.

(C. AN. 1108.)

Notum sit omnibus, quod Petrus Vitalis annuit et concessit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis omnem eleemosynam, et omne beneficium, et omnia

quæ habebant monachi Nucharienses de patre illius, videlicet Fulcone Vitali. Dedit etiam eis terram et prata quæ tenebant de eo Girardus Baroth, et frater ejus, super Esmantiam. Annuit hoc etiam uxor ejus Margarita. Annuerunt et hoc filii eorum Goslenus, videlicet, et Hugo, Goffredus, et Boimundus. Testes : Goffredus Peloquini; Guillelmus de Bro; Stephanus, vicarius; Arnaldus de Pino; Radulfus Engenaldi; Salco.

Cart. orig., folio 52, verso; copie, p. 577.

CCCLXVI.

Mauricius de Guirchia, suscipiens habitum in extremis, dat terram apud Drachiacum.

(C. AN. 1108.)

Noverint omnes, tam nostri posteri quam præsentes, quod domnus Mauricius Guirchiæ positus in extrema sui corporis infirmitate, sciens diem sui obitus imminere, mandavit domnum abbatem Stephanum Nuchariensis ecclesiæ et quosdam ex monachis, rogans ut ad eum venirent, et sibi habitum sanctæ religionis imponerent. Qui libenter ei hoc quod petierat annuerunt. Quam ob rem dedit eis omnem terram quam habebat apud Drachiacum, itemque census ejusdem terræ et omnes consuetudines, et omnia fronstitia; ita delegavit abbati et monachis eamdem terram habere in dominium, ut nihil consuetudinis in ea aliquis haberet, nisi ab abbate teneret. Dedit quoque eis totam terram quam habebat ad Monticulum, et aquam, et sclusam in eadem aqua. Eodem vero die quo supradictus Mauricius defunctus est, Guarinus, filius ejus, regrediens de orationibus Sancti

Leonardi, venit ad nostrum monasterium, et quicquid pater ejus dederat ecclesiæ ac monachis, libenter annuit.

Testes : Ervisus Cabruns; Maurinus de Haia; Umbertus de Burgundia; Radulfus de Niulo; Stephanus cognomento Macait.

Cart. orig., folio 138, verso; copie, p. 201.

CCCLXVII.

Sulpicius de Aziaco concedit monachis Closum Sulii.

(C. AN. 1108.)

Sulpicius de Aziaco Sanctæ Mariæ Nucariis pro remedio suæ animæ parentumque suorum, prædium suum de Closo Sulii donavit, pro quo Lancelinus monachus in caritate octo solidos dedit, ipso Sulpicio concedente, et uxore sua, omnibusque filiis suis. Hujus rei Hugo de Aziaco; et Ulgerius de Brueria; et Girardus Carcanus, testes sunt.

Cart. orig., folio 77, verso; copie, p. 227.

CCCLXVIII.

Herbertus de Mota dat monachis terram juxta Salvaticum, quæ Genevria appellatur. Dona quædam pro annuatione filiorum Ivonis.

(C. AN. 1109.)

Fratribus, tam præsentibus quam futuris, notum sit quod Herbertus de Mota dedit quamdam terram Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensis ecclesiæ, et monachis, quæ

Viniperia, id est Genevria appellatur. Hæc autem terra incipit a terra Savarici usque juxta Salvaticum, et ibi finitur cum terra quam monachi primitus habebant, et incipit de super petraria montis usque ad viam quæ vadit juxta aquam. Testes hujus doni : Arnulfus, homo ipsius Herberti, qui ipsam terram procalcavit; Martinus de Salvagiaco, homo monachorum; Guiton, cliens monachorum; Adelelmus Pugnaviger.

Hoc concesserunt Aimericus, Ivonis filius, et Girardus, frater ejus, et Simon de Noviastro, et tres uxores eorum. Non tantum hoc concessit Girardus, sed etiam omnem terram quam dederat Oggerius monachis concessit, apud Salvagiacum. Propter hanc concessionem habuit Girardus unam sellam et unum frenum, et valebant viginti solidis, et unum verrum; et uxor ejus unam vaccam; et Aimericus, frater ejus, et uxor ipsius Aimerici, unum anapum vel scyphum argenti, unam marcham et dimidiam valentem; et uxor Simonis unam vaccam. Ii sunt testes concessionis Girardi et uxoris ejus, Achardus, præpositus; Bernardus Peterius; Bruno, famulus monachorum; Durandus, miles; Goslenus, cementarius. Et ii testes concessionis Aimerici fratris ejus, Durandus, homo ipsius; Acardus Flocellus; Arnulfus de Pulsinniaco; Martinus de Salvagiaco; Hanscherius; Adelelmus Romanus; Goslenus de Foi. Ii testes concessionis Simonis, Alexander de Corme; Aimericus de Esculio; et ii uxoris ejusdem Simonis, Mauricius, nepos ipsius Simonis; Hodo de Faicula; Tethbaldus Jaquelini; Aimericus Murcen; Johannes Giroardi; uxoris autem Aimerici sunt iidem testes qui supra scripti sunt de concessione viri sui, Durandus; Acardus Flocellus, et alii.

Cart. orig., folio 157, recto; copie, p. 229.

CCCLXIX.

Concordia cum Simone de Monte Girbotum super alodos ad Carriciacum.

(C. AN. 1109.)

Notum sit omnibus quod monachi de Nuchariis habebant alodos ad Carriciacum, quos dederat eis Aimericus de Monte Girbotum, et quos emerant monachi a Drogone, fratre Aimerici supra memorati. Postea autem calumniatus est eis ipsos alodos Simon de Monte Girbotum, qui habebat filiam Drogonis, multa mala eis inferens. Postea vero venerunt ad concordiam, et dederunt ei monachi xx solidos et IIII denarios, et ipse annuit eis omnes alodos, quos ante calumniaverat, sicut eatenus eos possederant, annuente uxore sua et filiis suis, ac donum ex hoc per monachos super altare Nucharius direxerunt, ipse et uxor ejus et filii.

Testes : Lisiardus et Rainaldus, monachi; Ivo de Condoit; Girardus Menneth; Raineldus de Fonte Ripæ; Girorius de Fonte Ripæ; Anfredus, præpositus Ervisi.

Cart. orig., folio 208, verso ; copie, p. 231.

CCCLXX.

Thosilla, filia Rainaldi de Ambum, annuit totam terram de Marcilliaco.

(C. AN. 1109.)

Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod Thosilla, filia Rainaldi de Ambum, post mortem fratrum suorum recognoscens se injuste invasisse terram

Huberti Petrosilli, quam monachis dederat Sanctæ Mariæ de Nuchariis de Marcilliaco, videntibus et audientibus istis, Drogone, presbytero; Rainaldo de Rupe; Bertranno Mugnerio; Rabotello; Fulcoio de Cauma; Petro Michael; Aimerico de Ambum; Rainaldo de Ambum; Renaldo Regi; Petro Bornata; Calvino de Marciaco; Goffredo de Melle, et Johanne fratre ejus, dereliquit calumniam et annuit totam terram.

Cart. orig., folio 51, recto; copie, p. 283.

CCCLXXI.

Miles quidam, nomine Ascelinus de Joseis, annuit quidquid Cabro et filii ejus dederant monachis Nuchariensibus.

(C. AN. 1109.)

Cum ab ore hominum verba emissa irrevocabiliter pertranseant, nisi aliqua descriptionis nota immobiliter affixa permaneant, summopere curandum est ne ea quæ aliquando utiliter proferuntur, perpetuæ oblivioni per negligentiam subjaceant. Inde nos omnibus innotescere volumus quod miles quidam, nomine Ascelinus de Joseis, annuit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis Nuchariensibus, quicquid Hirvisus Cabro et filii ejus eis dederant, Gosbertus et Pollardus.

Testes qui hoc viderunt, Cezarius de Ambazia; et Thomas et Sulpitius de Azai; et filius ejus Radulfus.

Hoc idem similiter annuit Guiterius, et uxor ejus, et filii. Testes inde fuerunt Petrus Superbus et Erveus surdus, et Lancelinus monachus.

Hanc autem concessionem supradictam annuit filius Ascelini, et filia, omnem terram videlicet de Azai, et

prata, et quicquid habebant ibi in dominio, et casamentum Gosberti de Tilio, videntibus supradictis testibus, et pro hac re dederunt Ascelino monachi quinquaginta solidos, et quinque filio, et quinque filiæ.

Cart. orig., fol. 150, recto; copie, p. 235.

CCCLXXII.

Araldus Achardi dat terram apud Pilas pro anima fratris sui Petri Achardi.

(C. AN. 1109.)

Araldus Achardi dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis Nuchariensibus, omnem terram quam habebat apud Pilas, exceptis sex quarteriis quos Guillelmus Burgensis habebat ad censum, pro anima fratris sui Petri Achardi, facto inde monacho Johanne Amelot, pro anima ejusdem fratris sui, in cœnobio Nuchariensi. Testes, Berno, monachus; Rainaldus de Pilis; Quassamota; Goscelinus de Mose; Tethbaldus de Columbers; Pinon, servientes ejus; Benedictus.

Annuit hoc Tescelina, uxor ipsius Araldi, et filius ejus Fulcherius, et filiæ.

Cart. orig., fol. 180, recto; copie, p. 241.

CCCLXXIII.

Fulco, comes Andegavensis, annuit quidquid Cabro dederat monachis apud Aziacum.

(ANNO 1109, die 14 aprilis.)

Sæpius contingere solet ut per negligentiam patrum, ea quæ in præsentiarum geruntur, a memoria elapsa,

posteritatis suæ filios in ignorantiæ errorem mittant. Cujus rei periculo providentes, litteris hoc notare voluimus, quod Fulco, comes Andegavensis, mortuo patre suo Fulcone, ipso die obitus ejus, rogatu domni abbatis Stephani, annuit Deo et Sanctæ Mariæ Nucariensi, et monachis ejusdem loci, quicquid Yrwisus Cabruns et filii ejus dederant nobis apud Aziacum, vel quicquid in vita patris sui vel ante in terra sua datum nobis fuerat, et decimam de Parilliaco.

Testes hujus rei fuerunt Gaufridus, et Briolen, et Avo, frater ejus; Gaufridus de Claris Vallibus; Carbonellus de Sancto Michaele; Rainaldus Stimulus; Erveus Rotudellus.

Cart. orig., folio 77, verso; copie, p. 247.

CCCLXXIV.

De clausura facienda in circuitu omnis burgi Busseriarum.

(C. AN. 1110.)

Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ christianis, servientibus Deo, quatenus ego Durandus, qui cognominor Zacharias, dono atque concedo firmiter omnem clausuram faciendam in circuitu omnis burgi Busseriarum, Deo et semper sanctæ Mariæ Matri ejus Nuchariensi, nec non abbati cæterisque fratribus, et Gimoni, aliisque successoribus ejus, et totum cimiterium, sicuti primum fuit percalcatum, et totam riveriam usque in medium aquæ, sicut fines illius cimiterii levant; et pratum, quod domnus Bernardus de Fraisniacho dedit Sanctæ Mariæ, et monachis, et omnem forfacturam omnium terrarum

mearum, ubicumque sint: si ab illis forfecisti mihi, tu, Gimo, aut tui homines, ea quæ transita sunt usque nunc, tibi omnino dimitto, et aliis fratribus similiter; si quæ fortuito mensurata erit terra mea, et occasio illius venerit, non sit computata in damnum forfacti, sed capitaliter sit accepta. Propter hoc Gimo monachus Zachariæ LX solidos, cheminum in prato trans ripam Vigennæ, ante molendinos, et calcaria super deaurata, omniaque ligna chaalfaldi sui commodavit. Ab his habet fidejussorem Aimericum de Tribus Molendinis, reddendum in die Natalis Domini, vel ad octabas.

Hæc verba audierunt isti: Buchardus et Aimericus, frater ejus de Tribus Molendinis; Radulfus, mulnerius; Robertus Guinierius; Beringerius; Gauterius; Guillelmus, monachus; Gimo, monachus; Aimericus, monachus; Geraldus, bubulcus.

Cart. orig., folio 190, verso; copie, p. 53.

CCCLXXV.

De terra quæ dicitur Buxeriæ.

(C. AN. 1110.)

Multi mortalium hominum, quousque carnali tegmine teguntur, bonisque mundi cum pace licet profrui, ea quæ Omnipotens Conditor ad necessitatem corporis utenda contulit, in usum pravæ actionis, heu, quam sæpe convertunt! Cum autem aliqua incommoditate corporeæ fragilitatis percutiuntur, statim horrore mortis pavefacti, male acta quæ gesserunt, mallent in bonos actus esse conversa. Quare plerique potentes hujus sæculi credentes malos actus eleemosynarum largitione

posse deleri, confirmati testimonio Scripturæ dicentis : *Quia, sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum*, morte superveniente hereditates suas ac patrimonia ecclesiis reliquerunt, servitoresque ecclesiarum heredes de suis rebus fecerunt, ut unde eis noxa fuerat per delectationem, inde eis proveniret venia per eleemosynæ donationem, et quæ donaverunt, ne longa serie temporum a memoria hominum laberentur, scripto et cartis firmaverunt. Hoc idem nos, Nuchariensis ecclesiæ monachi sectantes, quædam quæ nostræ ecclesiæ concessa sunt, hoc scripto ad posteros transmittere curamus.

Erat proximus noster quidam vir nobilis, Burcardus de Mirmanda, valde noster familiaris, qui quadam die in quodam certamine positus, graviter est vulneratus, et ingravescente vulnere, Nucharienses monachos ad se fecit venire, atque illis et aliis viris astantibus dixit : « Ego Burchardus, in nomine Domini, do Deo et Sanctæ Mariæ et ecclesiæ de Nuchariis, ac monachis ejusdem loci, omne quod habeo in alodo de Buxeriis, scilicet capellam et omnem terram quam ibi habeo, et aquam, et ripariam, et vicariam, et omnes consuetudines pro anima mea, et ut me monachum faciant, et pro me Deum sanctamque Dei Genitricem interpellent. »

Post hoc dictum fecit donum monachis, et factus monachus, mortuus est, et in Nuchariensi cimiterio sepultus; ad cujus sepulturam astante sorore ejus majore Sophisa, rogaverunt eam, qui ibi aderant, ut hoc annueret; quæ libenter annuit omnia, sicut hic scripta sunt, audiente Gaufrido Rucivale, et Girardo, præposito, et Longo de Nuchariis, et Ingelgerio.

Hæc autem omnia annuit Acharias, frater Burchardi, et auxit eleemosynam de aliis rebus, quæ alibi scrip-

simus. Testes de dono Burchardi et annuatione Achariæ fuerunt hi : Iivoardus de Mirmanda ; Pontius ; Guillelmus Maxels ; Radulfus de Mirmanda ; Otbertus Rucivalis ; Garinus de Riveria.

Annuerunt et hoc filii Sophysæ, nepotes Acariæ, Adelelmus *Cauda vaccæ ;* Urias ; Salatiel ; Symon. Testes Acarias, patruus eorum ; Hugo Bucchardus ; Aimericus de Esculio.

Annuit et hoc Audierdis, Cana cognomine, soror Acariæ, uxor Galterii Tinnosi, teste Bileta, uxore Ganilonis, et Aldeburgi, matre Oggerii. Sed postea se pœnitens hoc annuisse, fecit calumniari viro suo monachis supra scriptum donum Burcardi, scilicet alodum de Buxeriis, et de rebus monachorum. Monachi autem multoties rogaverunt eos ut hoc eis annuerent. Tandem adquiescentes eorum precibus, Deo eis inspirante, recognoverunt se injuste calumniari, et annuerunt Nucariensi ecclesiæ et monachis ejusdem loci, Galterius Tinnosus, et uxor ejus Aldierdis Cana, et filii eorum et filia, Gaufridus et Rainaldus, et Aduis, alodum de Buxeriis, sicut Burchardus dederat, et Acarias annuerat, ita annuerunt Galterius et uxor ejus et filii, tali convenientia, ut totius beneficii monachorum jam dictæ ecclesiæ participes essent, et quæ adversus eos offenderant ignoscerent illis et suis hominibus. Dederunt autem eis monachi de pecunia sua aliquid in caritate.

Testes ex hoc̄ : Rainaldus de Guircha, et uxor ejus Petronilla ; Guido de Malai ; Mauricius de Guircha ; Gaufridus Barratus ; Pontius Poteruns ; Rainaldus Abelini ; Gauterius *Tua taurum ;* Normannus filius Froggerii ; Petrus Barratus ; Bartholomæus, presbyter ; Mansellus et filius ejus Gosbertus ; Ubelinus ; Galterius Rufus, monachus ; Aimericus Aldeberti, monachus.

† Signum Galterii.
† Signum Canæ.
† Signum Gaufridi.
† Signum Rainaldi.
† Signum Aduis.

Postquam autem ad virilem ætatem venerunt illi duo filii Galterii, Gaufridus videlicet, et Rainaldus, calumniati sunt monachis quod eis primum annuerant, hoc est alodum de Busseriis, et omnia quæ monachis dederat Acharias, patruus eorum. Ob hoc, tam a monachis quam ab ipsis congregatis nobilibus viris, convenerunt ad placitum ad Guircam, ibique ab illis, qui recte sentiebant, adjudicatum est illos injuste hanc calumniam monachis intulisse; sed illi recto judicio non adquiescentes, diu multumque repugnaverunt. Et quia valde eis erat necesse, rogaverunt, qui præsentes erant, abbatem Stephanum, qui ibi erat, ut aliquid pecuniæ eis daret in caritate. Qui eorum adquiescens consilio, dedit eis centum solidos in caritate, Andegavensis monetæ, quos reddidit eis Gimo, monachus, qui tunc ad Busserias morabatur. Illi autem duo fratres, Galfridus et Rainaldus, pro hac caritate, et pro animabus suis annuerunt Nucariensi ecclesiæ, et monachis in ea Deo servientibus, omnem alodum de Busseriis et medietatem quam tunc habebant, et aliam medietatem quam Acharias eisdem monachis post obitum suum dederat, et quidquid Acharias de omni honore suo jam dictis monachis Nuchariensis ecclesiæ dederat vel daturus erat, omnia Nuchariensi ecclesiæ annuerunt.

Testes ex hoc : Bartholomæus, dominus Insulæ; Hervisus Cabruns; Galterius Poteruns; Hubertus Rufus; Goffredus de Salmunciaco; Gerardus Rufus; Hugo Garnaldus, et frater ejus Campis; Boso, filius Gosmarii, et

frater ejus Rainaldus; Lambertus, et filius ejus Achardus; Mauricius de Guirchia; Guarinus Boteth; Guido de Quercu; Guarinus, filius Milesendis; Effredus de Podio; Hunbaldus; Gosbertus de Ortis; Christoforus; Bernardus, famulus.

Supradicti autem monachi de Nuchariis habebant terram ad Pilas, de Goscelino Boteth et fratre ejus Garino, et illam terram tenebant de supradicto Gaufrido et fratre ejus Rainaldo, et quando Goscelinus et Guarinus faciebant aliquod forfactum Gaufrido, aut servitium vetabant, veniebat Gaufridus et invadebat terram illam, exquirens a monachis consuetudines terræ, et multa mala pro illa terra monachis inferebat. Die autem illa qua annuationem fecerunt monachis de Busseriis, annuerunt eis et terram quam ad Pilas habebant de Goscelino, et terram, et prata, et aquam, tali convenientia, ut si pro forfacto Goscelini et fratris ejus, aut pro vetito servitio cogerentur Gaufridus et Rainaldus terram illam invadere, nihil a monachis exigerent, nisi terragium tantum, et rectas consuetudines terræ, quas monachi Goscelino reddere consueverant, et propter hoc dederunt eis monachi xx solidos, et innoverunt eis porcos monachi de Pilis, quos acceperat, valentes XL solidos. Testes : Bartholomæus et qui post eum supra scripti sunt.

Postea autem calumniatus est supradictus Gaufridus, filius Galterii, illam medietatem, quam Acharias retinuerat, facto supradicto dono, in vita sua. Postea vero, in infirmitate positus, annuit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis Nuchariensibus. Hanc igitur medietatem, ut diximus, calumniatus est Gaufridus ipsis monachis; tandem rogatus ab ipsis, annuit hoc donum, et omnia quæcumque fierent sive facta fuerint, et ecclesiam Nan-

criaci et quicquid ibi dederat nobis Acharias, vel daturus erat, vel ibi, vel ubicumque, omnia nobis annuit, accipiens a nobis in caritate xxx solidos.

Testes hujus rei fuerunt Garnerius Maingodi ; Bucardus, clericus de Sancto Amando ; Luo de Lisinniaco ; Garinus *Tua vehel* ; Maingodus de Guirca.

Hoc ipsum calumniatus est Rainaldus Bardo ; postea vero annuit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus, accipiens inde in caritate xx solidos. Hujus rei testes fuerunt Araudus, Achardus, et Michael de Valvotru ; Effredus Morsellus ; Hugo de Faia ; Bernardus, famulus.

Cart. orig., folio 188, recto ; copie, p. 329.

CCCLXXVI.

Concordia de capella apud Buxerias.

(C. AN. 1110.)

Noverint omnium, tam præsentia vivorum, quam posteritas futurorum, hanc convenientiam et concordiam inter monachos de Nuchariis et filios Archembaldi, cognomento *Grenolla*, sic factam esse, videlicet de capella quæ est apud Busserias : In die Natalis Domini, medietatem offerentiæ habebunt filii Archembaldi, et aliam monachi, et in festivitate Omnium Sanctorum, medietatem offerentiæ pariter et proferentiæ. Quod si, illa die, tota proferentia non fuerit reddita, de hoc quod reddendum erit, postea similiter medietatem filii Archembaldi habuerint, et aliam monachi. Igitur post mediam quadragesimam admonitus presbyter de Dangiaco, veniet ad Busserias homines et feminas absolvere, et confessio-

nare, et de omnibus quæ ei donabuntur, medietatem portabit, et alteram reddet monachis. In die autem Paschæ, mandabitur presbyter de Dangiaco, ut, cantata una missa parrochianis suæ ecclesiæ, post veniat ad Busserias missam cantare, et populum, sicut moris est, communicare. Si venerit, medietatem offerentiæ portabit, et altera monachis remanebit. Si autem non venerit, nihil omnino habebit. Omnes autem alias offerentias totius anni, monachi in suo dominio habebunt. Si vero aliquis infirmus apud Busserias se absolvere et communicare facere voluerit, mandabit presbyterum de Dangiaco ad se venire, et quæret illum legatus infirmi ad ecclesiam de Dangiaco, vel ad domum suam. Alio autem loco nec longius quæret. Viso autem presbyter nuntio, si venerit, et officium illud pro quo vocatus est adimpleverit, medietatem de omnibus quæ infirmus ille pro se dederit, aut dimiserit post obitum suum, habebit. Si vero ita requisitus presbyter ad ecclesiam, vel ad domum suam non fuerit repertus, nec venerit ad infirmum, nihil ex his habebit, quæ supra dicta sunt, exceptis his excusationibus, scilicet de obedientia sui episcopi et archiepiscopi sit propeditus, vel si ipse fuerit infirmatus, aut in parrochia sua ad alium infirmum mandatus. Quibus transactis excusationibus, si postmodum veniens, eas excusationes revera monstraverit habuisse, medietatem suam non perdet de supradictis donationibus, si de his quæ facienda erunt servitiis pro infirmo vel defuncto, suum officium obtulerit ; et cum acciderit aliquem defunctum esse ad Busserias, jam dictus presbyter mandatus veniet cum cruce sua ad defunctum illum tumulandum, factoque suo officio, medietatem habebit ex his quæ sibi data fuerint. Si autem recusaverit venire, exceptis supradictis excusationibus, nihil valebit requirere.

Quicumque vero terram suam voluerit dare aut ecclesiæ de Busseriis, sive ecclesiæ de Dangiaco, illius erit ecclesiæ propria, cui magis elegerit dare. De sepultura autem omnium hominum in vico de Busseriis habitantium, ecclesia de Dangiaco habebit medietatem, et monachi alteram. Priusquam autem corpus defuncti in terra tumuletur, procurator sepulturæ ad ecclesiam, vel ad domum suam quæretur, et ad ejus arbitrium sepultura mensurabitur. Filii autem Archembaldi, cum quibus hæc concordia facta est, ii sunt: Stephanus, Araudus, Aimericus, Atelinus.

Testes hujus rei: Zacharias; Guillelmus; Goscelinus; Rannulfus de Alba Terra; Vivianus Milleros; et Guillelmus, frater ejus; Johannes Chillos; et Giraudus, frater ejus; Alardus, presbyter; Vivianus de Marinniaco; Rainelmus, filius Burchardi; Arnulfus Chillos; Goffredus de Cosme; Achardus de Busseriis; Landricus; Constantinus.

Cart. orig., folio 195, recto; copie, p. 589.

CCCLXXVII.

De Buxeriis et de Dangiaco.

(C. AN. 1111.)

Notum sit omnibus Ecclesiæ sanctæ filiis, quod Acharias de Mirmanda dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nucharïis medietatem totius alodi de Busseriis, tam de terra, quam de aqua, pro anima fratris sui Burchardi, sicut in aliis scriptum est. Postea vero aliam medietatem, quam sibi retinuerat, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis supradictæ Nuchariensis ecclesiæ, venitque in eorum ca-

pitulum in die festivitatis sanctæ Mariæ de Martio, ipse et filius ejus Burchardus, dixitque coram omnibus : « Ego Acharias do Deo et Sanctæ Mariæ, et huic Nucha-riensi ecclesiæ, ac monachis istius loci, medietatem alodi de Busseriis quam mihi retinueram, et omnem ri-pam, et omnem aquam quæ pertinet ad alodum, et omnem insulam, et portum aquæ, et cenagium, et tria frusta terræ ad Dangiacum, et omnia quæcumque per-tinent ad alodium de Busseriis, tam in terra, quam in aqua, do Deo et Sanctæ Mariæ et monachis in hac Nu-chariensi ecclesia Deo sanctæque ejus Genitrici servien-tibus, post obitum meum, tali convenientia, ut si mona-chus in vita mea esse voluero, habeant istius Nucharienses ecclesiæ omnia quæ denominata sunt, nec me in alia ecclesia monachum fieri posse annuo, nisi in hac Nucha-riensi ecclesia; et si in sæculari habitu obiero, in istius monasterii cimiterio sepeliendum me præcipio, nec alibi corpus meum tumulandum præcipio, nisi in hoc Nu-chariensi monasterio, et monachi istius ecclesiæ faciant pro me, sicut pro suorum monachorum professis, et nomen meum scribatur in martyrologium, et anniver-sarium meum agatur sicut pro professo, etiamsi trium dierum iter a Nucheriis, aut plus longe, obiero, exinde me Nucharienses monachi efferant, et in suo cimiterio tumulent, et habeant omnia quæcumque habuit pater meus ad Busserias, excepta terra de Coldrei, quæ non est de alodo Busseriense. Do eis adhuc in præsens locum trans Vigennam ad domum construendam, ubi hospi-tentur homines et asini qui venerint ad molendina, et terram ante domum, juxta ripam aquæ, cum nucheriis, sicut coram me metata est, et aqua quæ contra eamdem terram est. »

Post hæc verba Acariæ, filius ejus Burchardus, qui

præsens aderat, ait : « Ego Burcardus, omnia quæcumque pater meus Acarias dedit prius et quomodo dat, tam pro avunculo meo, quam pro matre mea, et pro se, omnia sicut ipse pater meus denominavit, ita do et annuo Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis istius Nucharіensis ecclesiæ. » De his omnibus, sicut scripta sunt, fecerunt donum Acarias, et filius ejus Burchardus, Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis de Nucheriis, et donum in manu abbatis Stephani coram cuncta congregatione miserunt deinde super altare.

Testes ex hoc : Salatiel; Petrus de Maximiaco; Rainaldus Trahe prædam; Ademarus de Bornei; Arnulfus Chillos; Rainaldus, carpentarius; Guitons, filius Arnaldi calvi.

Annuit hoc postea Goffridus Medla, filius Achariæ, videntibus his infra scriptis; Gimone, qui ideo dedit ei tunicam de VII solidis, et Galterio et Sivaldo, monachis; Petro de Maximiaco; Stephano de Moncels; Hugone de Rivulo; Petro de Fraisnis; Aimerico de Molendinis; Radulfo Albespin; Holrico, presbytero.

Cart. orig., folio 189, recto; copie, p. 429.

CCCLXXVIII.

Acharias de Mirmanda dat ecclesiam de Nancré et ecclesiam quæ vocatur Antoniacus.

(C. AN. 1111.)

Notum sit omnibus christianæ fidei cultoribus, quod Acharias de Mirmanda dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et ecclesiæ de Nucharіis, pro anima et sepultura uxoris suæ Helisabeth, ecclesiam quamdam quæ dicitur Nancret, id est, junioratum ejusdem ecclesiæ, et omnes offeren-

tias altaris, et proferentiam annonæ, et omnem sepulturam, et omne cimiterium, et terram, et burgum circa ecclesiam, et omnem vicariam, et omnes consuetudines de illis hominibus qui ibi habitant, vel quoscumque aliunde ibi monachi ad habitandum adduxerint.

Testes Ulricus, presbyter; Petrus de Maximiaco; Giroardus de Faia; Rainaldus Freslons; Bernardus de Fraxinis; Galterius Pontii.

Visum est autem Achariæ postea quod parum esset pro beneficio uxoris suæ, et auxit eleemosynam suam, deditque Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et monachis ejusdem loci, medietatem sclusæ de Busseriis, quam sibi retinuerat. Nam aliam medietatem prius ante reddiderat et dederat jam dictæ ecclesiæ monachis pro anima fratris sui Burchardi, et sua, suorumque parentum, et illam quam sibi retinuerat, sicut jam diximus supradictæ Nucharіensi ecclesiæ dedit, et aquam, et molendina, et quæcumque in sclusa habebat, et cenagium omnium piscatorum qui in villa Busseriarum habitaverint. Hæc omnia ut scripta sunt dedit Acarias, pro uxore sua, Nucharіensi ecclesiæ, quatenus ipse et illa totius beneficii illius loci participes sint.

Testes sunt Galterius Poteruns; Ademarus de Cursai; Fulbertus de Luiens; Petrus de Maximiaco.

Postea vero venit Acharias, et Burchardus filius ejus, ad Nucharios, et ibi hæc omnia Nucharіensi ecclesiæ annuerunt, id est locum Nancreth, sicut supra scriptum est, et omnem sclusam de Busseriis, et molendina, et omnem aquam, et cenagium de aqua monachorum, et sazimentum quod habebat Acarias in ecclesia quæ vocatur Antoniacus, et in sclusa, et in aqua, et in tota parrochia, omnia annuerunt monachis Acharias et filius ejus.

Testes: Petrus de Maximiaco; Gaufridus de Sancto Savino; Rainaldus de Tavento; Arnulfus Chillos, et frater ejus Stephanus; Andreas de Moncellis; Odo Guituns.

Cart. orig., folio 199, verso; copie, p. 431.

CCCLXXIX.

Acharias de Mirmanda reddit monachis medietatem sclusæ de Busseriis.

(C. AN. 1111.)

Notum sit omnibus quod Acharias de Mirmanda reddidit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, medietatem sclusæ de Busseria quam dederat eis Burchardus, frater ejus, quando eis medietatem alodi de Busseriis dederat. Dedit autem eis postea Acarias omnem medietatem aquæ ab una ripa usque ad aliam ripam, ita ut in commune monachi et Acarias sclusam faciant, et per medium piscationem dividant. Molendinum autem habebunt in ea proprium, et Acarias proprium. Pro hac donatione facient monachi anniversarium Acariæ omnibus annis, sicut pro monacho professo. Dedit autem ei abbas Stephanus in caritate unam loricam, et uxori ejus, quæ hoc annuit, x solidos.

Testes ex hoc Aucherius de la Rajacia; Radulfus de Milmanda; Girardus de Milmanda; Goffredus de Marinniaco; Rainaldus *Tira prædam*; Adraldus Aldebertus.

Isdem autem Acarias postea annuit eis calumniam quam in portu de Busseriis immiserat, expetendo naulum ab unoquoque transeunte a ripa in ripam; annuit-

que monachis ut quicumque vel quæcumque ad Busserias transire voluerit, cum mercato, sive cum aliqua alia re, transeat de ripa in ripam, absque ullo pretio quod ab eo exquiratur. Testes Oggerius de Mota; Simon, nepos Achariæ; Herveus de Mota; Radulfus de Milmanda; Rainaldus de Lainiaco.

Cart. orig., folio 197, verso; copie, p. 219.

CCCLXXX.

Goffridus de Podio concedit terram quæ fuerat Petri Riching.

(C. AN. 1111.)

Goffridus de Podio et Matheus, filius ejus, concesserunt Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis Nuchariensibus, terram quæ fuerat Petri Riching et erat de censu ipsorum; concesserunt et duo frusta terræ Saponelli.

Testes Matheus, serviens ejus; Gosbertus, armiger ejus; Morinus Rube; Urricus, presbyter; Christoforus de Nuchariis.

Cart. orig., folio 41, verso; copie, p. 267.

CCCLXXXI.

Augerius Brisahasta confirmat omnia quæ prius fecerat dona.

(C. AN. 1111.)

Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, sanctæ Ecclesiæ fidelibus, quod Augerius, cognomento Brisa hasta, et duo filii Gaufridus et Petrus, tempore Ste-

phani abbatis, venerunt Nuchariis, et in capitulo monachorum accipientes beneficium ejusdem loci, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis, medietatem totius terræ quam habebant trans Vigennam, tam de silvis, quam de terris cultis et incultis, et de censu qui ejus debebatur, medietatem, et de omnibus redditibus quos habebant sive in aqua, sive in petraria. Dederunt autem et de omnibus hominibus, sive colibertis, sive servis, vel ancillis, quos habebant apud Nucharios, vel ad Nugastrum, vel ad Marcilliacum, vel in omni patria illa, medietatem. Pro hoc dono monachi concesserunt eos fieri in eodem loco monachos si vellent, et si in infirmitatem inciderent, apud Nucharios de rebus monachorum procurabuntur, et si monachi esse ibi voluerint, fient. Sin autem redditi sanitati, revertentur. Si autem mater eorum viva venerit ad Nucharios, competenter eam procurabunt. Mortuam vero sepelient; quæ mater omnia concessit. Si vero in supradictis ab aliquo calumnia illata fuerit, prout causa et ordo eorum exegerit, monachi competenter agent, et si apud Nucharios placitum fuerit, placitatores monachi procurabunt. Alia lucra si promissa fuerint, pari consilio per medium reddent. Si autem in aliis locis res acta fuerit, pro sua quisque parte expendet. Monachi dederunt eis centum solidos et matri x.

Testes ex hoc: Ulricus, presbyter; Goffridus, presbyter; Christoforus; Laurentius Crassus; Laurentius Sebaldi; Bernardus, sutor; Corbellus; Parator; Girardus; Goscelinus; nepotes Goscelini.

Hæc omnia confirmavit Goffridus Brisa hasta tempore Gaudini, abbatis, videntibus et audientibus Hebe de Sancto Michaele; Johanne Anguilla; Petro de Monte Basonis.

Annuit autem hæc omnia Odo, cognomento Lepus, acceptis ab abbate et monachis XXX solidis in caritate. Testes Alexander de Coane; Radulfus Engenaldi; Rainaldus Roallus; Paganus, filius; Girardus, filius Arnulfi; Johannes Giroardi.

Cart. orig., folio 26, recto; copie, p. 273.

CCCLXXXII.

Simon, Hugo et Odo, fratres, annuunt molendinum de Gernaico.

(C. AN. 1112.)

In omnibus actionum nostrarum utilitatibus, manifesta certitudinis assignatione indigemus, quia in dubietatem et oblivionem nostræ intentionis effectus labitur, si non manu memoriæ per litterarum subscriptionem teneatur. Cujus rei negotio nos monachi Nucharienses providentes, litteris assignamus quod Symon et Hugo fratres, Ulrici filii, annuerunt nobis usque in sæculum molendinum de Gernaico, ad dimidium modium modiationis, tres videlicet sextarios frumenti, et tres moldurengiæ.

Hoc donum annuit nobis Effredus Goscelini, et Ermengardis uxor ejus, de quorum feudo erat. Annuit hoc etiam Aimericus Fagiensis, de cujus feudo ipsi hoc tenebant; et alius Aimericus, filius ejus; et Ganilo, frater ejus. Hujus doni testes fuerunt Peloquinus de Insula; Aimericus, filius Salconis; Burrellus de Insula; Goffridus Folii; Petrus Folii; Rainaldus Farcim; Adelelmus do Chillo; Lemosinus de Poent; Gaudinus de Volort.

Hoc supradictum donum annuit Odo, frater supra

scriptorum fratrum, filius Hulrici. Testes : Petrus ; Fulco ; Guido ; Alexander. Factum est autem hoc tempore Gaudini abbatis.

Cart. orig., folio 90, verso ; copie, p. 275.

CCCLXXXIII.

De molendino in Vosda ad Carriciacum.

(C. AN. 1112.)

Radulfus de Bosnaico dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis de Nuchariis molendinum quod habebat in Vosda ad Karriciacum. Testes : Raginaldus de Grandi Campo ; Albuinus, vicarius ; Gosbertus *Deo gratias* ; Bernardus *Tua bovem* ; Richardus, frater ejus ; Goslenus, vicarius ; Galterius *Plica rusticum* ; Gauzlenus, presbyter ; Odo, vicarius ; Hubertus de Karriciacum ; Guillelmus de Monte-Cugul ; Girardus Buxellus ; Araldus ; Vitalis, filius Gauzlini, piscatoris.

Postea autem Atelinus, filius Radulfi, adeptus honorem patris sui, consilio amicorum suorum concessit molendinum monachis, sicut pater dederat eis, et viam ad molendinum, et cursum aquæ, pastumque asinorum ad molendinum venientium, et se ipsum Nuchariensi ecclesiæ, ubi vita discesserit, sive monachus, sive in sæculari habitu, dedit adjacendum.

Testes ex hoc : Aimericus, dominus Fagiæ ; Gauterius Girorii ; Hugo Goscelini ; Acharias de Mirmanda ; Amalvinus *Cauda vaccæ* ; Urias, frater ejus ; Fulcherius de Maximiaco ; Petrus de Maximiaco ; Drogo de Maximiaco ; Radulfus de Furniolis ; Aimericus de Luens ; Araldus, filius Linæ ; Landricus de Nuchariis ; Vitalis de Nuchariis.

Cart. orig., fol. 200, recto ; copie, p. 455.

CCCLXXXIV.

Concordant canonici Malleonenses et monachi Nucharienses de ecclesia S. Martini de Sabulo.

(C. AN. 1112.)

Quotiens aliquid ad futurorum memoriam pervenire disponimus, nulla melius id fieri mentione credimus, quam ut litteris ea quæ geruntur commendemus. Noscant igitur præsentes, noverint atque futuri, quod quidam miles nobilis, nomine Auscherius de la Rajat, pro remedio animæ suæ dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus, ecclesiam Sancti Martini de Sabulo, et terram apud Canventum ad faciendam capellam. Quod monachi grate accipientes, et tamen sine assensu Pictaviensis episcopi parum sibi aut nihil proficere credentes, rogatus ab abbate Stephano et suis monachis idem episcopus, assensum præbuit; et donum militis sua concessione indissolubiliter firmavit. His igitur assentatoribus absque alicujus calumnia monachi utrobique innixi, ecclesiam in suam susceperunt, ecclesiæ redditus reddiderunt, capellam apud Chanventum juxta votum domini fecerunt. Et sic longo tempore omni remota calumnia tenuerunt.

Post multum vero temporis, canonici Malleonenses hæc supradicta calumniati sunt monachis, quasi data sibi primum vindicantes; quorum calumniæ illi quasi rei inauditæ contradicentes, tandem taliter post multam conflictionem utrique adquieverunt. Ob pacis quippe caritatisque custodiam, monachi Nucharienses contentionis malum vitare volentes, supradictis canonicis tre-

centos solidos dederunt. Illi vero ab omni in æternum calumnia adquiescentes, tenorem sui juris, si quem in supradictis habebant, monachis reliquerunt.

Hujus rei testis et confirmator fuit Aimericus Fagiensis, in cujus auditione et manu factum est in capitulo Cels; Radulfus, abbas Sanctæ Angliæ; et Hugo de Poent; et Effredus de Poent; et Gaudinus.

Confirmatum est etiam in capitulo Mauleonensi, audientibus canonicis, abbate videlicet Andrea; Guillelmo, priori; Aldeberto, præposito; Gaufrido Clausi Locelli; Gaufrido Martello; Willelmo Vigeriis; Gaufrido Beraudo; Pagatno Petro; Johanne Puero; Adelelmo; Symone Raginaldo.

Hinc vero abbas Gaudinus; Radulfus, abbas; Gauterius, monachus; Nicholaus, monachus.

Cart. orig., folio 140, recto; copie, p. 277.

CCCLXXXV.

Rotundellus et ejus uxor Humberga vendunt vineas monachis.

(C. AN. 1112.)

Sit notum cunctis præsentibus atque futuris, Rotundellum et ejus uxorem, nomine Humbergam, vendidisse priori Sanctæ Mariæ de Nuchariis, nomine Raginaldo Turcatin, et cæteris monachis, dimidium arpennum vinearum xxx solidis. Hanc autem venditionem concesserunt Joscia, uxor Petri Convent, et filius eorum, et filius Rotondelli. Iterum concesserunt Borillia; Maurillia, et nepos ejus Simon, et soror ejus Eustachia. Huic autem conventioni interfuerunt testes Martinus Robels; et

Andreas; et Rotbertus Grissons; et Gaufridus Bodins, ex parte Borillæ. Ex parte vero monachorum affuerunt Odo, presbyter Marcilliaci; Tirellus; Laidellus, frater ejus.

Cart. orig., folio 140, recto; copie, p. 279.

CCCLXXXVI.

Goslenus, vicarius de Fagia, dat medietatem terræ quæ dicitur Cantat gallus.

(C. AN. 1112.)

Quædam matrona nobilis de Insula, Odila nomine, mater Aimerici et Girardi, filiorum Ivonis, habebat quamdam medietatem terræ prope castro Fagiæ, quæ dicitur *Cantat Gallus*, quam dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis pro anima sua, tempore abbatis Stephani; aliam autem medietatem supradictæ terræ, quæ dicitur *Cantat Gallus*, habebat Goslenus vicarius de Fagia, qui multoties rogatus ab abbate Stephano et monachis supradicti loci, ut eis ipsam suam medietatem aut daret aut venderet, tandem eorum adquiescens precibus, dedit eis omnia quæ habebat in terra quæ dicitur *Cantat Gallus*, terram cultam et incultam, et prata et silvas, et rupim, et omnes consuetudines, omnia dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et abbati Stephano ac monachis supradicti loci, acceptis ab abbate ac monachis centum quinque solidis.

Annuit autem hoc Atelinus de Bosnai, de cujus fedio habebat eamdem terram isdem Goslenus. Testes qui viderunt quando Goslenus dedit et Atelinus annuit fuerunt ii: Stephanus Hordet; Boso de Forniolos; Amalvi-

nus; Eleazar, frater ejus; Boso dol Chillo; Adraldus, filius Linæ; Fulcherius de Maximiaco; Aimericus, filius Gosleni; Galterius de Bornei; Adelelmus *Pugna vicarium*; Hubertus de Carreca.

Annuit autem hoc uxor supradicti Gosleni, vicarii, Milesendis nomine, et filii ejus, Adraldus, clericus; Paulinus; Normandellus qui et David vocatur. Testes : Adelelmus *Pugna vicarium*; Galterius de Burnei; Hubertus de Carriciaco; Giraldus Manent.

Iterum tempore Gaudini abbatis annuit hoc Araudus, canonicus, et frater Paulinus. Testes Petrus; Girardus; Gervasius; Lancelinus, et Alexander, monachi.

Cart. orig., folio 214, recto; copie, p. 281.

CCCLXXXVII.

Borillia et ejus filii annuunt burgum de Antoniaco quem antea calumniabantur.

(C. AN. 1112.)

Ego Borillia et filii mei, Petrosilus videlicet, Petrus et Matheus, concedimus Deo, et sanctæ Dei Genitrici Mariæ, et monachis Nucharii, burgum quod est apud Antoniacum, et vineam, et piscaturam de sabbato in sclusa, quæ omnia Simon, maritus meus, et nos calumniati fueramus supradictis monachis. Nec non concedimus eisdem monachis medietatem domus Theobaldi, sacerdotis, si solute et sine calumnia potuerimus habere ipsam domus medietatem quam quidam calumniabantur. Si non, damus iterum monachis pro domo illa XIIII denarios et unum obolum, quos denarios monachi debebant nobis de censu apud Genevellas. Si autem monachi per se, sine

nostro adjutorio, domum potuerint adquirere, partem congruam expensarum persolvemus. Pro hac autem donatione dederunt nobis monachi Nucharienses in parrochia Abilliacensi, in terra quæ Ripas dicitur, inter Crosam et Clasiam, medietatem decimæ culturæ octo boum. Nos autem ipsam decimam sanctimonialibus Fontis Ebraldi dedimus ad filiam nostram monachandam, ipsis monachis præsentibus et concedentibus; istis videntibus et audientibus : Raginaudo Barbato; Facins; Gauterio de Situla ; Aleelmo Robello; Achardo *Fascina vetulam.*

Cart. orig., folio 170, recto; copie, p. 283.

CCCLXXXVIII.

Petrosilus et ejus uxor Albus-flos annuunt omnem terram quam monachi de eis tenebant.

(C. AN. 1113.)

Memoriæ posterorum transmittimus quia Petrosilus, Simonis filius, annuit Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis Nuchariensibus, omnem terram quam monachi tenebant de eo et uxore sua in obedientia de Dossiaco, annuente ipsa uxore sua Albo-flore. Concessit hoc etiam Galterius de Anzai, qui cum eo partiebatur. Testes hujus rei Rainaldus Chatet; Guillelmus Tortus; Fulcodius ; Goffridus, filius ejus; Petrus, Simonis filius; Thomas, filius Sophiziæ ; Petrus Engelgerii; Girardus Gunterius ; Chaluellus.

Cart. orig., folio 144. recto; copie, p. 285.

CCCLXXXIX.

Petrosilus et uxor ejus Albus-flos concedunt monachis terram Araldi clerici.

(C. AN. 1113.)

Ad notitiam posterorum transmittere curamus quod Petrosilus et uxor ejus Albus-flos concesserunt Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus terram Araldi clerici, quam Roscelinus in vita sua tenuerat, et monachis post mortem suam reliquerat. Inde pro concessione ista idem Petrosilus habuit in caritate marcum argenti. Et hæc concessio facta est tempore Gaudini abbatis.

Testes: Lancelinus, monachus; Rotbertus, presbyter; Adelelmus Bobellus; Achardus Fascina vetulam; Petrus, famulus abbatis; Christoforus Salvagranum.

Cart. orig., folio 19, recto; copie, p. 393.

CCCXC.

Bernus monachus pacem constituit cum suis fratribus de quodam molendino.

(C. AN. 1113.)

Notum sit tam præsentibus quam futuris, Bernum monachum cum Thies et cum fratre suo Rotberto, de pacto cujusdam molendini pacem constituisse in domo Archembaudi sui famuli, hoc modo. Quadraginta solidos dedit Berno monachus Thies, et fratri suo Roberto, v. Testes: Algerius, presbyter; Giraldus, clericus; Petrus

Simon de Nucastro; Vitalis, filius Malvini; Guillelmus Rudiens; Hugo *Faciens malum*; Gastinellus.

Cart. orig., folio 77, verso; copie, p. 289.

CCCXCI.

Tres sextarii frumenti dantur, accipiendi de molendino quod est apud Rengneium.

(C. AN. 1113.)

Notum fratribus volumus esse, tam præsentibus quam futuris, quæ Nuchariis degit concioni monasticæ in capitulo Nuchariensi, abbate Gaudino præsente, Goffridus Peloquini de Sancta Maura: tres sextarios frumenti dedit, qui, segetis tempore, de molendino quod apud Rengneium est, sunt accipiendi. Hujus rei concessores fuerunt filii ejus, Petrus, Albericus, Radulfus, Galafreius. Testes: Arnulfus, presbyter; Roscelinus; Goffredus Ernaudi.

Cart. orig., folio 48, recto; copie, p. 291.

CCCXCII.

Vicaria burgi novi apud Insulam conceditur monachis Nuchariensibus.

(C. AN. 1113.)

Notum sit universis omnibus Christi fidelibus, quod Goffridus Chotardus dedit Deo et monachis Sanctæ Mariæ Nuchariensis, vicariam burgi novi, qui est in osca Bernardi *Boni servientis*, nec non et vicariam

totius burgi Sancti Egidii super Esmantiam, concedentibus filiis ejus, Goffrido et Reginaldo, annuente etiam Rainalmo, filio Burcardi, de cujus fedio erat, et Petro Thoma.

Testes hujus rei fuerunt Savaricus Oggisii; Goffredus, filius Alelmi; Huelinus de Boslantelt; Simon de Nugastro; Goscelinus de la Boceia; Fulco Buccarius; Raimundus, filius Natalis; Acardus et Girorius de Niul.

Cart. orig., folio 109, verso; copie, p. 293.

CCCXCIII.

Petrus de Sanziaco, recuperato honore Erwisi Cabronis, annuit omnia quæ antecessores sui dederant.

(C. AN. 1113.)

Quotiens facta præsentia posterorum memoriæ tradenda esse censemus, eadem memorialibus litteris utili ratione commendare studemus, ne incuria oblivionem, oblivio errorem generet; et fiat causa litis et discordiæ, quod pacis et concordiæ remedium esse debuisset. Idcirco noscant præsentes et futuri quod Petrus de Samziaco, Goffridi de Sanziaco filius, recuperato honore Erwisi Cabronis, qui ad eum melius attinebat, venit in capitulum nostrum hortatu Gaudini abbatis cum pluribus de suis et cæteris multis, et ibi omnia quæcumque antecessores sui donaverant et concesserant, ipse quoque donavit et concessit, quæcumque et ubicumque essent de feudis aut casamentis, sive quæ data erant, vel adhuc darentur. Omnia annuit, retento sibi capite casamenti.

Testes hujus rei sunt: Petrus Goscelini; Rainaldus Barbatus; Symon de Nugastro; Biriccio de Chello; Boso

de Maximiaco ; Urricus, presbyter ; Achardus *Fascina vetulam ;* Johannes ; Rainaldus ; Othgisius.

Cart. orig., folio 49, recto ; copie, p. 295.

CCCXCIV.

Concordant monachi et Hugo Goscelini de terra Bomet et de terra Guitburgis.

(C. AN. 1113.)

Notum sit omnibus quod Oggisius, cantor Sancti Hylarii Pictavensis, dedit Sanctæ Mariæ de Nuchariis quartam partem terræ de Bomet, quam habebat in dominium, et rectum quod habebat in medietate illius terræ quam habebat Guitburgis, mater Radulfi de Fontanellis, quæ eveniebat jam dicto Oggisio post mortem Guitburgis. Mortuo autem Oggisio, abstulerunt monachis de Nuchariis illam quartam partem quam eis Oggisius dederat, Paganus de Brisai et Hugo Goscelini ; sed Paganus injuste se recognoscens hoc facere, reddidit monachis quantum exinde habebat. Hugo autem Goscelini hanc concordiam fecit cum monachis. De omni illa quarta parte quam Oggisius dedit monachis, habebunt monachi duas partes, et Hugo Goscelini tertiam in vita sua, et unus de filiis ejus, cui illam partem dederit, tantum in vita sua, et quamdiu vixerit ille filius Hugonis, qui illam partem habebit, habebit in homanagium de abbate Nuchariensi, et hoc solummodo in vita sua. Quod si filius Hugonis Goscelini ille cui illam partem tertiam dederit, ante patrem suum Hugonem obierit, habebit Hugo pater illam tertiam partem in homanagium de abbate Nuchariensi, in vita sua tantum, et ita, post mortem Hugonis Goscelini et filii ejus, omnis

quarta pars terræ Bomet quam Oggisius dedit, monachis Nuchariensis ecclesiæ remanebit. De autem illa medietate quam Guitburgis, mater Radulfi de Fontanellis, tenuit, si monachi Nuchariensis ecclesiæ totam aut partem aliquam adquirere potuerint, aut potestate judicii, aut pretio, aut aliqua causa de illis hominibus qui eam tenebant, dabunt Hugoni medietatem, et habebit Hugo et filii ejus heredesque eorum in perpetuum in homanagium de monachis medietatem de hoc quod monachi adquirere poterint de parte Radulfi de Fontanellis. Et si monachi ex hoc tacuerint, aut non potuerint exinde nil adquirere, et Hugo et filii ejus, aut per vim, aut per aliquam causam, illam medietatem terræ Bomet, quam tenuit jam dicta Guitburgis, aut partem aliquam quoquomodo adquirere potuerint, de hoc quod exinde adquisiverint, habebunt monachi medietatem, et aliam medietatem habebit Hugo et filii ejus in fedium de monachis et abbate. Quod si monachi de illa parte Radulfi de Fontanellis placitare voluerint, et Hugo et filii ejus a monachis admoniti eis adjuvare noluerint aut non potuerint, et monachi aliquid aut totum adquirere poterint de illa parte Radulfi, Hugo et filii ejus nil exinde habebunt.

Testes ex hoc : Aimericus, proconsul Castri Araldi; Bartholomæus, dominus Insulæ; Aimericus, dominus Fagiæ; Paganus, dominus Montis-Basonis; Hugo, dominus Sanctæ Mauræ; Galterius Girorii et filius ejus Girorius; Ervisus Cabruns; Ademarus de Cursai; Gaufridus Folium; Gaufridus Peloquini; Girardus Chocta; Galterius Johannes; Arnulfus *Rubeum beccum*; Simon de Nugastro; Gaufridus de Sancto Savino; Ingelgerius de Sancta Maura.

Cart. orig., folio 106, verso; copie, p. 297.

CCCXCV.

Radulphus Athelini semel atque iterum concordiam facit cum monachis de dono matris suæ.

(C. AN. 1113.)

Notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus, quod Athelinus de Bosnaico, sicut scriptum habetur in alio scripto, die quo annuit molendinum de Carriciaco Sanctæ Mariæ ac monachis de Nuchariis, sicut dederat pater ejus Radulfus, concessit semetipsum jam dictæ ecclesiæ Nuchariensi tali modo, ut si monachus esse vellet, in nulla alia ecclesia monachus esset, nisi in jam dicta Nuchariensi ecclesia; et si in sæculari habitu vitam finisset, ubicumque audissent eum monachi obisse, exinde eum portarent, et in suo cimiterio sepelirent. Accidit autem postea ut apud Pictavis subita præventus infirmitate, sicut ei decuisset, non potuit ordinare res suas, et eleemosynam commendare, et ita vita functus est. Monachi autem audientes eum esse mortuum, perrexerunt propter eum Pictavis; abbas Stephanus et monachi ejus cum eo, et de ecclesia Sanctæ Mariæ Magnæ abstractum Nucharius portaverunt, et honorifice eum sepelierunt. Ibi astantibus multis optimatibus, qui ad sepulturam tam optimi viri convenerant, uxor Atelini, Raisendis nomine, consilio virorum familiarium domini sui, dedit supradictæ ecclesiæ pro anima viri sui Athelini, quoddam molendinum quod dicitur molendinum de Claustro. Testes: Hirvisus Cabruns, et duo filii ejus, Gosbertus et Poslardus; Goscelinus de Sancta Maura;

Guido de Rupibus; Effredus David; Hugo, frater ejus; Aimericus, filius Gandaniart.

Postea vero calumniatus est hoc donum Radulfus, filius Athelini, qui, mortuo patre, puer remanserat, dicens se non annuisse hoc quod mater ejus dederat. Ob hoc abbas Stephanus cum monachis suis pergens apud Fagiam, congregatis amicis et parentibus pueri, rogabant eum ut eleemosynam pro patre datam annueret. Qui victus ratione vel precibus, accepto consilio cum matre, et Aimerico matris suæ (patre), et cæteris amicis suis, et parentibus, annuit Deo et Sanctæ Mariæ, et ecclesiæ Nuchariensi, molendinum illud de Claustro, quod dederat mater ejus, et non solum illud molendinum, sed et omnia quæcumque dederant pater ejus et avus Nuchariensi ecclesiæ, omnia eis annuit. Abbas autem Stephanus pro hac annuatione dedit ei unum pullum.

Testes: abbas Stephanus; Gauterius, bajulus; Aimericus Rabasteth; Effredus, capitherius; Araldus, canonicus; Kadilo de Furniolis; Amalvinus Robelinus; Effredus David; Boso de Monte-Agrio; Boso de Silva Lantildis; et multi alii de Fagia.

His omnibus olim peractis, Radulfus juvenis, jam miles effectus, tempore Gaudini abbatis, supradictum donum calumniatus est. Tandem post multas querelas et contentiones utriusque partis, ad unum pervenerunt, ubi supradictus Radulfus donum molendini concessit, et tali pactione firmavit, ut ad omnia necessaria molendini de bosco suo quantum opus fuerit, accipiatur. Annuit etiam terram quæ est juxta molendinum et vineas Aimerici Potini. Pro hac re dedit ei abbas G. decem libras, et palefredum in caritate.

Testes qui viderunt: Effredus David; Effredus, ca-

nonicus; Kalo; Boso de Boslando; Aimericus de Sancto Savino; Aimericus de Claustro; Robertus de Turre; Alo *Crassa labia*; Araudus, canonicus; Hubertus de Crulliaco; Boso Marius.

Cart. orig., folio 81, recto; copie, p. 299.

CCCXCVI.

Galterius, Sancti Martini thesaurarius, concedit ecclesiam et curiam de Paizai.

(Anno 1113.)

Omni nostræ posteritati per hoc memoriale hujus rei veritas patefiat quod ego Galterius, Sancti Martini thesaurarius, ecclesiæ Sanctæ Mariæ Nuchariensis abbati, videlicet Gaudino, et monachis ibi Deo et Sanctæ Mariæ famulantibus, tam futuris quam præsentibus, bona voluntate concessi, et, eodem abbate Gaudino præsente cum suorum pluribus monachorum, concessionem meam in perpetuum confirmavi, ecclesiam scilicet et curiam de Paizai, cum casamentis et omnibus illis quæcumque ibi de feudo meo Ganilo de Castellione habebat; sed tali pacto ut ecclesia Nuchariensis mihi dum viveram et deinceps omnibus thesaurariis domni nostri sancti Martini x solidos censuales monetæ talis qualis tunc temporis in civitate Turonica mittetur, quotannis in beati Briccii festivitate persolveret. Hanc concessionem et concessionis affirmationem feci ego Galterius archiclavis Sancti Martini, rogatu et admonitione ipsius Ganilonis, de quo supra fit mentio, et illo et eodem præsente, videntibus et audientibus istis ex mea parte, quorum nomina subscribuntur: Gosberto Cenomanicæ civitatis archidiacono;

Goffredo de Valeia, fratre meo; Benedicto, sartario; Benedicto, dapifero meo; Goffredo, vigerio; Gunterio, milite; Herberto, filio Asthonis; Hilgodo de Vindocino; Martino de Azai; Fulciodio, serviente; Rainaldo, camerario; Rainaldo Bodhusa.

Videntibus iterum et audientibus istis ex parte ecclesiæ et monachorum, Fulcherio, cantore Sancti Martini; Giraldo Choeta; Petro de Monte-Basonis; et Goffredo, fratre ejus; Huberto Jhesu; Pagano Jhesu; Goriardo de Castellione; Corbello de Laaia; Jaquelino de Lausduno; Giraldo Boveria; Tetbaldo, presbytero; Saturnino, presbytero.

Huic rei, sicut superius scribitur, peragendæ, isti de monachis Nuchariensis ecclesiæ cum Gaudino, abbate suo, interfuere: Galterius, bajulus; Rainaldus de Monte Agrio; Rainaldus Aculeus; Symeon.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo decimo tertio, indictione VI, epacta I, Ludovico juniori rege Francorum (1), Fuconello juniori comite Andegavorum; Radulfo Aurelianensi, archiepiscopo Turonorum.

Cart. orig., folio 34, verso; copie, p. 379.

CCCXCVII.

Odo, Sancti Martini decanus, concedit ecclesiam et curiam de Paizai.

(Anno 1114.)

Omni nostræ posteritati per hoc memoriale hujus rei veritas patefiat, quod ego Odo, Sancti Martini decanus,

(1) Ludovicus VI, dictus Crassus.

ecclesiæ Sanctæ Mariæ Nuchariensis abbati, videlicet Gaudino, et monachis ibi Deo et Sanctæ Mariæ famulantibus, tam futuris, quam præsentibus, bona voluntate concessi, et, eodem abbate Gaudino præsente cum suorum pluribus monachorum, concessionem meam in perpetuum confirmavi, ecclesiam scilicet et curiam de Paizai cum casamentis et omnibus illis quæcumque ibi de feodo thesaurarii Sancti Martini Ganilo de Castellione habebat, videntibus et audientibus istis ex parte mea, quorum subscribuntur nomina : Eblone, canonico, qui et ipse concessit ; Rainerdo ; Crueo de Ligul ; Goffrido Adelardi ; Baillolo, fratre Guicherii, presbyteri.

De parte vero monachorum, Goffrido Peloquini ; Guillelmo de Blo ; Engilgerio, vigerio ; Giraldo de Podio ; Guillelmo de Riveria ; Johanne de burgo novo ; Bernardo, famulo ; Alexandro, filio Guillelmi ; Rainardo, archipresbytero ; Guicherio, presbytero.

De monachis autem cum Gaudino abbate suo isti interfuerunt : Rainaldus de Monte Agrio ; Rainaldus Aculeus ; Radulfus ; Adelelmus ; Moises ; Arnulfus.

Data anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo decimo quarto, indictione septima, epacta XII ; Ludovico juniori rege Francorum, Fulconello juniori comite Andegavorum, Radulfo Aurelianensi archiepiscopo Turonorum.

Cart. orig., folio 35, recto : copie, p. 381.

CCCXCVIII.

De ecclesia quæ vocatur Sabulum, et de capella S. Nicholai ad Campum venti.

(C. AN. 1114.)

Catholicæ Ecclesiæ fidelibus cunctis, tam in clericali quam in laicali conditione constitutis, notum fieri volumus quod Algerius de la Rajacia, et uxor ejus Sarrazina, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis ac monachis ejusdem loci, ecclesiam quamdam, quam habebant, quæ vocatur Sabulum, id est, junioratum presbyteri et omnes offerentias altaris, et proferentiam, et omnem sepulturam, et omne cimiterium, et omnia quæ ad ecclesiam pertinent, excepta decima annonæ et vini. Dederunt autem adhuc jam dictis monachis in eadem parrochia ecclesiæ Sabuli, in loco qui vocatur Campus venti, capellam in honore sancti Nicholai, tali convenientia, ut monachi eam bene ædificent, et sit monachis sicut mater ecclesia, et illo loco, id est, ad Campum venti, dederunt monachis III junctos terræ ad burgum faciendum, et de illis hominibus quos ibi adduxerint ad habitandum, dederunt monachis omnes consuetudines, et omnem vicariam, et omnes decimas illorum, excepta annona et vino. Dederunt eis adhuc quatuor junctos terræ ad vineas plantandas, et decimam illarum vinearum, si eas monachi plantaverint, vel per se, vel per suos homines. Item dederunt eis tantum terræ quantum possunt excolere quatuor boves omnibus temporibus, et de ipsa carruca III boum dederunt monachis omnem decimam, et tres junctos pratorum.

Hujus rei testes Effredus et Gaudinus, canonici; Emurus, frater Rainaldi Galli; Bernardus Frotgerii; Rainaldus Faber; Archembaldus Salzinus.

Hæc omnia annuit Petrus, Pictavensis episcopus, audientibus Petro, archidiacono; Rainaldo Britone; Gaudino, canonico; Aucherio de la Rajacia, Eleazaro, militibus apud Fagiam; et Rainaldo Besenchum.

Cart. orig., folio 90, verso; copie, p. 337.

CCCXCIX.

Rainaldus et Aimericus, nepotes abbatis Gaudini, dant decimam quam habebant in parochia quæ dicitur Clerimalis.

(C. AN. 1114.)

Sanctæ Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus, notum sit quod Rainaldus, cognomento Paganus, et Aimericus, cognomento Lemozinus, filii Aimerici de Poent, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariis, ibique Deo servientibus monachis, decimam quam habebant in parrochia quæ dicitur Clerimalis, pro animarum suarum parentumque suorum salvatione. Hujus rei testes sunt: abbas Gaudinus, eorum avunculus; Gauterius, bajulus; Buchardus, presbyter; Gauterius de Poent, et frater ejus Bartholomæus; et Rainaldus Jaquelinus, famulus.

Hanc eleemosynam deinde annuit Araudus, filius Linæ, de cujus fedio illi decimam habebant; cujus concessus testes sunt: Aimericus Fagiensis, et Aimericus filius ejus; Hugo de Luens; Fulco Vecerius; Boso, capicerius; Guillelmus, doctor; Amalvinus Barbote.

Hoc idem iterum concessit uxor Araudi, nomine Ma-

billa, et eorum filii, Radulfus et Araudus, et Odona. Unde etiam testes sunt, Boso de Boslantot; Avignuns; Salathiel; Hugo de Luens.

Cart. orig., folio 94, recto; copie, p. 301.

CD.

Eleazar annuit monachis omnes colibertos quos illis dederat Falco de Liziniaco.

(C. AN. 1114.)

Notum sit omnibus quod Eleazar, filius Richardi de Moncellis, annuit Deo et Sanctæ Mariæ, ac monachis de Nuchariis, omnes colibertos quos illis dederat Falco de Liziniaco, et quos eis annuerat frater ejus, Stephanus de Moncellis, scilicet uxorem Aimerici Pastuns, et fratrem ejus Gaufridum de Curva rota, et uxorem ejus, et filios, et Giroardum, piscatorem, cum uxore et filiis, et Rainaldum crinutum, cum uxore et filiis, et filias presbyteri Huelini, et Gaufridum Mala garda. Hos omnes annuit Eleazar de Moncellis, sicut annuerat frater ejus Stephanus, et propter hoc dederunt ei monachi VII solidos in caritate et beneficium loci.

Testes : Urias de Nugastro; Salatiel, frater ejus; Simon de Nugastro; Boso, filius Longi; Radulfus et Longus, famuli monachorum.

Cart. orig., folio 66, recto; copie, p. 303.

CDI.

Effredus Buphferret vendit monachis quidquid de illis tenebat.

(C. AN. 1114.)

Posteritati futurorum litteris mandare curavimus quia Effredus Buphferret, quodcumque de abbate Nucha-riensi et de monachis ejusdem loci habebat, scilicet fe-dium, censum et casamentum, in præsentia domni Gau-dini abbatis, eisdem monachis vendidit, et septem denariorum libras inde accepit, pro qua re quamdiu te-nuit, homo abbatis et monachorum extitit. Hoc uxor ejus concessit, et pro concessu sex denarios habuit. Hoc etiam duo filii ejus et filia concesserunt et singuli duos denarios habuerunt.

Hujus rei testes sunt Aimericus Faiæ; Aimericus Ja-phet; Boso de Boslantot; Petrus de Maximen; Effredus David; Effredus, capicerius; Robertus, presbyter; Guil-lelmus Corbellus.

Cart. orig., folio 86, verso; copie, p. 305.

CDII.

Tria sextaria frumenti annuatim reddenda dantur mo-nasterio a Goffredo Peloquini pro anima uxoris suæ.

(C. AN. 1114.)

Ne beneficia præsentium valeat detrahere calumnia futurorum, scripto commendare et ad posteros transmit-tere nos monachi Nucharienses studiose curavimus,

quod vir quidam de Sancta Maura, nomine Goffredus Peloquini, cum haberet uxorem Matheam nomine, et ipsa universæ carnis viam ingrediens defuncta fuisset, fecit eam defferri ad Nuchariense monasterium sepeliendam. Quam cum abbas Gaudinus et conventus fratrum devote et honorifice sepulturæ mandassent, prædictus Goffredus vir ipsius, veniens in capitulum, præsente abbate Gaudino et fratribus, dedit Deo et ecclesiæ Nuchariensi in eleemosynam pro anima uxoris suæ Matheæ tria sextaria frumenti annuatim reddenda, hoc pacto quod nomen illius Matheæ scilicet scriberetur in libro deffunctorum, et anniversarium ejus quarto decimo kalendas novembris in ecclesia Nuchariensi per singulos annos usque in perpetuum fieret. Statuit autem idem Goffredus illa tria sextaria frumenti de molendino suo quod est apud Regneium semper esse sumenda, ut quicumque molendini illius dominus et possessor extiterit, ad prædictum anniversarium tria sextaria frumenti cellario Nuchariensi annuatim persolvat, ut de uno sextario panis et duo pisces fratribus anniversarium celebrantibus provideantur. Hoc concesserunt filii ipsius Gaufridi Albericus, Petrus, Radulfus, Galafretus.

Testes Arnulfus, presbyter; Roscelinus; Goffredus Arnaudi.

Cart. orig., folio 8, verso; copie, p. 307.

CDIII.

Simon de Nugastro annuit monachis quidquid de ipso habebant.

(C. AN. 1114.)

Ego Simon de Nugastro, de misericordia Dei non diffidens, pro anima mea, et pro anima filii mei Hugonis, seu omnium parentum meorum, dedi in eleemosyna Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi quinque denarios de censu apud Busserias, et duos et obolum apud Salvaticum, et annui eisdem monachis terram Hugonis Garnaldi. Annui etiam quæcumque habebant et possidebant idem monachi de me aut de omni genere meo, seu in feudis, aut in casamentis, aut quocumque alio modo aut ubicumque sunt, dono et concedo ut cum pace et tranquillitate possideant. Annuit hoc Borilla, uxor mea, et filii mei, Hubertus Petrosilus, et Uries.

Testes hujus rei Petrus Goscelini; Rainaldus Barbatus; Rainmundus de Pussinniaco; Guillelmus Frotgerius.

Cart. orig., folio 196, recto; copie, p. 309.

CDIV.

Hilaria et filii ejus concedunt abbati Gaudino decimam de Portu.

(C. AN. 1115.)

Ego Hylaria et ambo filii mei Silvester et Nicolaus, concedimus Deo et Sanctæ Mariæ, et domno abbati Gau-

dino et monachis Nuchariensibus, decimam de Portu, tam de vineis, quam de frugibus, illam partem videlicet totam quæ est in illa parte fluvii Vigennæ qua Nucharius situs est, et quicquid possessionis in eadem parte fluvii habemus, quam decimam et cætera quæ diximus Gosbertus, filius Eltodis, dederat supradictis monachis. Hoc vidit et audivit Huricus, presbyter; Achardus *Fascina vetulam;* Petrus, famulus abbatis; Petrus, presbyter de Lezigniaco.

Cart. orig., folio 13, verso; copie, p. 313.

CDV.

Frogerius Barba dimittit calumniam quam immiserat in partem Portus Pilarum.

(C. AN. 1115.)

Notum sit omnibus fidelibus quod Frogerius, cognomento Barba, calumniatus est monachis de Nuchariis partem Porti Pilarum, quam dederant jam dictis monachis pater et mater uxoris ejus. Sed postea se recognoscens hoc injuste egisse, dimisit eamdem calumniam, et illam partem Porti Pilarum, quam prius calumniatus fuerat, annuerunt jam dictis monachis de Nuchariis ipse et uxor ejus Petronilla; et monachi dederunt illis pullum unum pretio XL solidorum, tali convenientia, ut si illam partem Porti de fratribus uxoris suæ adquitare non possent, XL solidos monachis redderet, aut uxor ejus, si ipse mortuus esset.

Testes ex hoc : Aimericus, proconsul; Johannes de Tuscha; Mauricius de Nova villa, et frater ejus Gaute-

rius; Effredus de Garialissa; Galterius, monachus; Guillelmus, monachus.

Cart. orig., folio 179, recto; copie, p. 315.

CDVI.

Simon de Nugastro dimittit omne sazimentum quod habebat in Niva, sorore Cadilonis et Garini.

(C. AN. 1115.)

Simon de Noiastro habebat sazimentum in terra quæ dicitur Grizaicus, et in colibertis ejusdem ecclesiæ terræ. De ipsa autem terra erat quædam femina, Niva nomine, soror Cadilonis et Garini, in qua habebat similiter Simon sazimentum, sicut in aliis. Rogatus autem Symon ab Auberto monacho, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nucheriis eamdem feminam Nivam, et omne sazimentum quod in ea habebat, dedit et dimisit Deo et Sanctæ Mariæ de Nucheriis. Dedit autem eidem Simoni Aubertus monachus, propter hoc III solidos, et uxori ejus pro annuatione unam ovem, et filio ejus unum agnum.

Testes ex hoc Guillelmus Frogerii; Salco *Torna leporem;* Archembaldus Rufus; Cadilo, frater Nivæ; Gosbertus de Vallecana.

Cart. orig., folio 164, verso; copie, p. 317.

CDVII.

Hugo de Sancta Maura dat David de Portu, cum filiis et filiabus.

(C. AN. 1115.)

Hugo de Sancta Maura dedit David de Portu Deo et Sanctæ Mariæ, pro anima filii sui Guillelmi junioris, cum filiis suis et filiabus, et cum omnibus quæ possidebat, ut quicquid reddebat ei, reddat monachis de omnibus possessionibus ejus; de libertis filiis et filiabus dedit libertatem, quod vulgo dicimus *li jantiam*. Testes Gaudinus, abbas; Goffridus Peloquini; Guillelmus de Bro; Gimo Viger, cui in thalamo abbatis prohibuit ne aliquid ab eo consuetudinis quæreret; Giraldus, pistor; Johannes, cocus; Petrus, famulus; Rogerius Viger; Moyses.

Dedit et quicquid habebat in Guittet de Portu isdem, supradictis testibus audientibus. Concessit hoc Hugo, nepos ejus, juvenis. Testes in aliis cartulis ejus concessionis habemus scriptos.

Cart. orig., folio 12, recto; copiè, p. 319.

CDVIII.

Rainelmus, factus monachus apud Nucharios, dat quædam bona in Cainone castro.

(C. AN. 1115.)

Rainelmus, factus monachus apud Nucharios, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis medietatem domus suæ quæ est in Cainoni castro, et vineæ medietatem et

rupis quæ est in ipsa vinea. Concessit hoc Maingodus, de cujus censu erat. Testes Vivianus, presbyter; Radulfus Jajeth; Garbonellus; Fulcodius *fac malum*; David, cellerarius; Johannes Bautearius; Johannes, nepos Aimerici monachi.

Robertus Piperellus, et uxor ejus Dometa, dederunt quamdam vineam ad Parilliacum Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis Nuchariensibus. Concesserunt hoc filii eorum, Seraphim, Gervasius, et tres filiæ; fecerunt hoc donum in manu Gaudini abbatis. Testes Petrus Fulberti; Bernardus, clericus.

Cart. orig., folio 95, recto; copie, p. 323.

CDIX.

Simon de Nugastro, et uxor ejus, et filii ejus, dimittunt monachis omnem terram de Copeit.

(C. AN. 1115)

Notum sit omnibus Ecclesiæ sanctæ filiis, quod Oggerius de Mota et frater ejus Herbertus dederunt Deo et ecclesiæ Nuchariensi multoties de terris suis, sed ad postremum quando facti sunt monachi in eadem Nuchariensi ecclesia dederunt eidem Nuchariensi ecclesiæ, exceptis aliis quas ante dederant, omnem terram quæ dicitur Copeit, cultam et incultam, cum pratis et ripariis et aqua. Post mortem autem eorum calumniati sunt terram illam posteri eorum Aimericus et Girardus, filii Yvonis, et Symon de Noviastro qui habebat neptem eorum Borillam : sed cum Aimerico et Girardo postea monachi fecerunt concordiam de terra illa, sicut in aliis

cartis scriptum est. Cum Simone autem hoc placitum fecerunt. In eorum venit capitulum, et ibi coram multis astantibus, omnem supradictam terram absque ullo retinaculo eidem ecclesiæ Nuchariensi annuit, et per fidem se promisit omnibus diebus vitæ suæ illam terram monachis de Nuchariis in quantum potuerit adquitaturum, et monachi dederunt ei unum equum quem ille vendidit trecentos sexaginta solidos, et scyphum argenteum.

Postea vero surrexerunt filii Arnulfi de Pulsinniaco in calumniam jam dictæ terræ, dicentes hereditatem fuisse patris sui; sed Simon admonitus a monachis de promissione fidei suæ, hoc modo calumniam illam compescuit. Primum donum factum est tempore abbatis Stephani. Hæc autem aquittatio facta est tempore abbatis Gaudini; venit enim ante ejus præsentiam Simon et uxor ejus et duo filii ejus, Hubertus et Urias, et ibi coram jam dicto abbate annuerunt omnia dona quæcumque dederant Simon, et pater ejus, et omnes alii ejus parentes, et quæcumque dederant Borilla et parentes ejus, et istam terram de Copei filios Arnulfi dimittere fecerunt, exceptis tribus sextariatis, et præposituram fecerunt illis similiter dimittere. Monachi autem dederunt Symoni propter hoc unum equum qui fuerat eleemosynarii.

Testes : Petrus Goscelini; Brictio de Chillo, et Boso frater ejus; Goffredus, filius Eleazari; Ulricus, presbyter; Aimericus de Esculio; Galterius de Situla; Achardus, præpositus; Achardus *fascina vetulam;* Odo Guittuns; Odo Arotellus; Odo de Albigniaco; Goffredus Martini.

Hi sunt testes qui viderunt quando Rammundus et frater ejus Cadilo, dimiserunt monachis terram de Copei et præposituram : Aimericus de Esculio; Galterius de Situla; Hugo de Sivraico; Achardus *fascina vetulam;*

Arnulfus, presbyter; Corbellus de Haia; Bernardus, famulus.

Hæc eadem omnia annuerunt duo fratres Rammundi, Benedictus et Stephanus. Testes domnus abbas Gaudinus; Galterius, bajulus; Symon de Noviastro; Ulricus, presbyter; Corbellus; Bernardus, famulus.

Cart. orig., folio 192, recto; copie, p. 325.

CDX.

Hilaria cum filiis suis annuit omnia beneficia prius facta monachis; insuper et addit tres obolos de censu.

(C. AN. 1116.)

Ego Hylaria, et filii mei Petrus et Aimericus, et filia mea Vinchea, concedimus Deo et abbati Gaudino et monachis Nucharii eleemosynam et omnia beneficia quæ parentes nostri dederunt et dabunt eisdem monachis. Hoc vidit et audivit Achardus magnus; Araudus, præpositus; Petrus, famulus abbatis; Guillelmus Fichuns; Dous, faber; Drogo, filius Christofori.

Donamus insuper eisdem monachis tres obolos in obedientia de Campenniaco, qui reddebantur nobis de censu a monachis. Item ego Hylaria et filii mei Petrus et Aimericus et Vinchea filia mea, et Goffredus Gauterii, maritus Vincheæ, concedimus Deo et domno abbati Gaudino et monachis Nucharii, qualemcumque partem de terra sua Amelina, soror mea, voluerit in eleemosynam dare monachis Nucharii.

Testes sunt Achardus magnus; Petrus; Drogo Christofori; Dous, faber; Gaufredus Gauterii; Guillelmus Fichuns; Araudus, præpositus; Johannes.

Hæc omnia acta sunt in capitulo Nucharіensi, in die quo sepultus est apud Nucharium Aimericus Salconis, pro cujus amore hæc supra dicta data sunt et concessa, videntibus et audientibus enumeratis testibus.

Rainaldus juvenis, pro redemptione animæ suæ et uxoris, ac filiorum suorum, dedit Sanctæ Mariæ ac monachis partem suam de terra quæ est ad Vitreum, excepta ea parte quam habet in silva, et censu decem denariorum quem retinet in vita sua, eo tenore ut post finem ejus monachi totum ex integro possideant. Pro hoc autem dono accipit a monachis pretium XL et eo amplius solidorum in caritate. Hanc ergo convenientiam multis videntibus firmans filius suus coram stantibus, jussit ut post finem ejus ab omnibus eam calumniis defendant Rainaldus, juvenis; Helisabeth, uxor ejus; filii ejus Archembaldus et Richardus.

Testes qui hæc viderunt et audierunt sunt ii : Gosmarus, presbyter; Hubertus, presbyter; Benedictus; Arnulfus, servus; Stephanus, servus; Roscelinus, cementarius; Goslenus Palestinus.

Ista vero quæ sibi, ut supra diximus, retinuerat in vita sua, post aliquot annos isdem rursum Rainaldus eisdem monachis reliquit, accepto rerum pretio quod ab eis postulavit, videntibus et consentientibus uxore et filiis suis.

Cart. orig., folio 90, recto; copie, p. 327.

CDXI.

Duo fratres, Aimericus et Mainardus, concedunt terram quæ vocatur Debusferré.

(C. AN. 1116.)

Ne in oblivionem posteris veniat, litteris assignamus quoniam duo fratres Aimericus et Mainardus, terram quæ vocatur Debusferré, quæ erat intra nostram, quam etiam habebant in censu et in fedio de monachis, et aliam terram quam calumniabant, concesserunt in capitulo, et pro hac re dedit eis abbas Gaudinus beneficium ecclesiæ nostræ, et Fulcaudus monachus xxv solidos in caritate. Testes Johannes Giruardus ; Guillelmus, Guitonis filius , et Petrus , frater ejus ; Frasnellus; Guinardus.

Cart. orig., folio 85, recto; copie, p. 329.

CDXII.

Hugo Goscelinus dat monachis Nuchariensibus omne fedium sacerdotale ecclesiarum de Drachiaco et de Ussello.

(C. AN. 1116.)

Quia præsentibus alii succedunt, ne futuri se de præteritorum ignorantia excusent, placuit nobis ea quæ gessimus litteris annotare. Sciant itaque hodierni et crastini quod Hugo Goscelinus, in morte uxoris suæ Freesendis, pro anima sua et pro remedio animæ ejusdem uxoris suæ dedit nobis monachis Nuchariensibus,

in capitulo nostro, ecclesiam de Drachiaco, quicquid presbyter habebat in ea, videlicet offerendam, et sepulturam, et omne fedium sacerdotale, excepta decima sua. Annuit hoc Petrus, filius ejus, et Effredus, et Aimericus de Aia, filii ejus. Pro hac eleemosyna et pro petitione ejus, fecimus ei in monasterio nostro de puero quodam monachum nomine Rainaldum. Testes hujus rei fuerunt Johannes de Tusca; Rainaldus *Tira præda;* Effredus, canonicus; Hugo de Montiniaco; Boso de Monte Agriaco.

Postea vero in mortem ejusdem Hugonis patris sui, annuerunt nobis supradicti filii ejus, Petrus, scilicet, Effredus et Aimericus, omnia dona ejus in capitulo nostro. Testes inde fuerunt Effredus, canonicus; Chalo de Furnos; Tetbaudus de Maximiaco, et Galterius, frater ejus; et Amalvinus Robelinus; et Hugo de Montiniaco; Araldus, filius Linæ; et Raynaldus *Tira præda.*

Ipse vero Hugo dedit nobis in finem vitæ suæ apud Fagiam tria jugera vinearum, et apud Ussellum, terram quantum possent arare duo boves. Annuit nobis etiam ecclesiam Usselli, quam nobis prius in vita sua dederat. Hæc etiam annuerunt nobis supradicti filii ejus, videntibus supradictis testibus.

Cart. orig., folio 102, verso; copie, p. 331.

CDXIII.

David de Monteilo dat decimam Sarinniacensis ecclesiæ pro filio suo nutriendo.

(C. AN. 1116)

Notum sit omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus, quod quidam vir nobilis, nomine David de Monteilo, parro-

chianus ecclesiæ quæ dicitur Sarinniacus, in infirmitate positus, cernens se esse propinquum mortis, vocavit ad se abbatem Nuchariensem, Gaudinum nomine, rogavitque eum ut eum faceret monachum ad succurrendum, et totius beneficii ecclesiæ Nuchariensis participem faceret. Dedit autem isdem David omnem decimam quam habebat, ubicumque esset, in parrochia tota Sariniacensis ecclesiæ, Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis de Nuchariis, tali convenientia, ut filium ejus, qui tunc parvus erat, monachi nutrirent et eum cum ad ætatem venerit, a presbytero capellæ de Gentiaco litteras discere facerent; haberetque isdem presbyter de Gentiaco pro insinuatione pueri medietatem illius decimæ quam David dabat, et aliam medietatem haberent monachi de Sarinniaco, et si monachi de Sarinniaco aut monachus qui ad Gentiacum manserit, puerum voluerint insinuare, habeant illam partem decimæ quam dabat presbytero; et si puer monachus voluerit esse, apud Nucharios pro hac decima recipiatur; et si noluerit monachus esse, monachi tamen in perpetuum omnem decimam David possideant.

Testes ex hoc : Benedictus Galterii, qui hoc annuit; Effredus David testis, et Guido, frater ejus; Achardus Flocellus; Robertus, presbyter; Jaquilinus, nepos abbatis.

Annuerunt hoc Aimericus de Fagia, et filius ejus Aimericus, de quorum fedio erat. Testes Effredus, canonicus; Jaquilinus, nepos abbatis; et Achardus Flocellus. Annuit et hoc uxor Aimerici juvenis, cognomento Eustachia. Testes : Aimericus, senior, dominus Phagiæ; Thebaudus de Maximiaco; Hugo Senescaus; Amalvinus Robelini; Goffredus de Orchis; Natalis et Gulferius, cubicularii.

Cart. orig., folio 84, verso; copie, p. 335.

CDXIV.

Petrus de Monte Basonis dimittit quidquid habebat in ecclesia Sanctæ Mauræ.

(C. AN. 1116.)

Notum sit omnibus quod Petrus de Monte Basonis habebat in ecclesia Sanctæ Mauræ, in die Natalis Domini, omnem offerentiam quæ offerebatur illa die; quam postea se recognoscens injuste habere, venit Nuchariis, et ibi in capitulum monachorum dedit ecclesiæ Nuchariensi quicquid in ecclesia Sanctæ Mauræ habebat, scilicet offerentiam in die Natalis Domini, pro anima sua suorumque omnium parentum. Abbas autem Gaudinus dedit ei quinque solidos census in fedium, quos debebat ei annuatim Algerius Ursieth, de terra quam dederat monachis Galterius Poteruns, et alodum quod habebant prope ecclesiam quæ dicitur Evvra, quam dederat eis mater Galterii Poteruns. Pro his omnibus fuit Petrus homo manibus suis abbatis Gaudini; et si eum supervixerit Petrus, successori ejus similiter erit homo. Filius autem Petri habebit hoc fedium in amicitiam de abbate de Nuchariis, sine hominatione, tali convenientia, ut serviat pro amicitia quasi si haberet in hominationem; et si servire noluerit, perdat fedium. Si vero homo voluerit esse abbatis, libenter ei annuetur.

Testes : Gaufridus Peloquini; Rainaldus Barbatus; Guillelmus Frogerii; Frumentinus; Odo Arotellus; Johannes Giroardi; Tethbaldus Crothuns; Guituns Messerius; Johannes Macio.

Annuit autem hoc uxor Petri, Margarita nomine, et

duo filii ejus, et filia ejus. Testes : Paganus Agardi ; Hubertus, presbyter ; Jaquelinus de Lausduno.

Cart. orig., folio 109, recto ; copie, p. 339.

CDXV.

De decima Anziaci apud Sanctam Mauram.

(C. AN. 1116.)

Sacræ Scripturæ admonitionibus et bonorum virorum non spernendis sermonibus, ego Hugo de Sancta Maura multotiens admonitus, pro remedio animæ meæ, et parentum meorum, seu filiorum meorum, aliqua de possessionibus meis in eleemosyna ecclesiæ Nuchariensi et monachis ibi Deo et Sanctæ Mariæ servientibus donare disposui. Post donum igitur ecclesiæ Sanctæ Mauræ, quam sicut in aliis scriptis habetur, prædictæ ecclesiæ Nuchariensi dedi, quamdam decimam, quæ de Anziaco dicitur, quæ etiam ad ipsam ecclesiam Sanctæ Mauræ pertinebat, monachis Nuchariensibus donavi, ut perpetuo cum ipsa ecclesia possidendam teneant. Annuit hoc donum et quicquid unquam donavi ecclesiæ Nuchariensi, Hugo, filius Goscelini filii mei, audientibus et videntibus istis subscriptis testibus : Ganilo de Castellum ; Goffrido Peloquino ; Guillelmo de Blo ; Roscelino ; Rainaldo Anseher ; Gaufrido Boeth ; Bartholomæo de Mota ; Fulcodio ; Rotberto Girbart ; Calvino ; Guinnardo.

Cart. orig., folio 128, verso ; copie, p. 411.

CDXVI.

Hugo de Sancta Maura confirmat omnia quæ prius cœnobio Nucharіensi dederat.

(C. AN. 1116.)

Utiliter quidem animabus suis hujus sæculi potentes aut divites prospiciunt, qui Christi pauperibus temporalia sua dispertientes æterna pro illis adquirunt. Quicumque enim, ut ait Dominus, calicem aquæ frigidæ in nomine suo dederit, mercedem justi accipiet. Idcirco ego Hugo de Sancta Maura, vitæ meæ terminum jam instare prospiciens, æternæ hereditatis cum servis Christi heres esse exoptans, rerum mearum seu possessionum aliquam portionem eisdem Christi servis largiri disposui. Donavi itaque ecclesiæ Sanctæ Mariæ Nucharіensis et monachis ibi degentibus ecclesiam de Parilliaco et decimam pro anima Guillelmi prioris filii mei, et apud Sanctam Mauram vineas et terram in qua ecclesia Sancti Michaelis constructa est. Donavi etiam in morte filiorum meorum Guillelmi et Hugonis ecclesiam Sanctæ Mauræ, et quædam alia eidem ecclesiæ donavi, quæ in aliis eorum scriptis et notitiis annotata sunt. Postremo, pro anima filii mei Guillelmi, qui ultimus omnium defunctus est, disposui dare decimam de Anzaico, quæ ad ipsam ecclesiam Sanctæ Mauræ pertinebat. Quodam autem milite Goscelino Pipet pro ea faciente calumniam, monachi illam sub ipsa calumnia retinere noluerunt. Nolens itaque incœptam eleemosynam imperfectam relinquere, meo et amicorum consilio, meam partem quam habebam in molendino quod vocatur Bonavoa monachis dedi, ita

videlicet, ut si prædictam decimam eis aquitare absque ulla calumnia et eorum placitatione potero, ipsi iterum relicto molendino decimam in pace securi possideant. Pro hac re dedit mihi abbas centum solidos dono; centum accommodavit, tali pacto, ut quando decimam habuerint, illi centum solidi monachis reddantur. Hæc omnia quæcumque ab initio ecclesiæ Nuchariensi a me ubicumque seu ab aliis de feudo meo donata sunt, vel adhuc donanda sunt, annuit Hugo, nepos meus, filius filii mei, mihi heres successurus, et donum inde super altare Sanctæ Mariæ posuit, excepto quod caput servitii non perdat.

Testes multi fuerunt, ex quibus quosdam subscripsimus: Guillelmus de Bro; Aimericus Rugebec; Racherius; Frumentinus; Christoforus; Barre; Raimundus de Possiniaco; Benedictus, frater ejus; Bigotus, presbyter; Girardus de Boel; Adelelmus, carpentarius; Rainaldus Chanet; Arnulfus Bellatarius; Arnulfus, filius Radulfi; Guillelmus, cementarius; Andreas, filius Christofori; Tethbaldus, cocus; Johannes Giruardi; Andreas Rigaudus; Saturninus, Giraldi pistoris filius.

Concessit hoc Conterius, de cujus censu erat, et censum de manu Gaudini abbatis in præsentiarum accepit. Viderunt hoc testes subscripti: Guicherius, presbyter; Goscelinus de Perenai; Guillelmus de Bro; Alexander, filius ejus; Aimericus Rugebec; Petrus Tosellus; Rainaldus Anseenr; Rufinus; Ballols; Erveus, cliens Hugonis; Philippus, filius Guillelmi Marran.

Annuit hoc etiam Gaufridus filius ejus, videntibus istis: Guicherio, presbytero; Petrus, famulus; Rainaldus; Girardos Arruies; Guimbertus; Archembaudo; Ainardo; Berta; Bochero.

Cart. orig., folio 130, recto; copie, p. 341.

CDXVII.

Hugo juvenis de Sancta Maura concedit omnia dona patrui sui Hugonis.

(C. AN. 1116.)

Sciant posteri et futuri quod Hugo juvenis de Sancta Maura in tempore Hugonis patrui sui, eo jubente, concessit quicquid unquam dederat ecclesiæ Nuchariensi; sed quia adhuc sub bajulo erat, non ita fuit firma concessio. Accedente itaque tempore, miles jam effectus, concessit abbati Gaudino Nuchariensi quicquid prius concesserat.

Testes hujus rei: Rainaldus Barbatus; Fulcodius; Gaufridus Aranie; Hulricus, presbyter; Balduinus, famulus.

Cart. orig., folio 139, verso; copie, p. 345.

CDXVIII.

Petrus de Sunziaco et Petronilla, mater ejus, dant stagnum et molendinum Dozil.

(C. AN. 1117.)

Præsentibus et futuris Ecclesiæ fidelibus mandare curavimus litteris, quia Petrus de Sunziaco, et Petronilla, mater ejus, pro remissione peccatorum suorum dederunt Deo et Nuchariensis ecclesiæ monachis, præsente Gaudino abbate, stagnum et molendinum quod dicitur Dozil, et terram quantum tribus carrugis coli poterit; de suo

vero bosco, quantum habitantibus ibi monachis opus fuerit, et in bosco pastum centum porcis. Hoc concesserunt fratres ejus, Egidius scilicet et Paganus Brunel. Hujus rei testes sunt Petrus; Jaquelinus; Savinus; Matheus Borrel; Gailerius Belins; Hubertus, presbyter; Gauterius, monachus; Lancelinus.

Hæc omnia supradicta annuit in ecclesia Sancti Martini Turonis, Johannes de Aloia, rogantibus monachis, et audientibus Alexandro et Lancelino, et cæteris multis, Rufino; Tewino Richerio; Teuvino de Mella; Broimundo; Guillelmo de Discai.

Cart. orig., folio 151, recto; copie, p. 347.

CDXIX.

Paganus Brunel dimittit quæcumque calumniabatur ad molendinum Dozil.

(C. AN. 1117.)

Paganus Brunel calumniabatur nobis hoc quod mater sua et fratres sui dederant ad molendinum Dozil, dicens sibi abbatem Gaudinum promisisse pro concessione palefredum. Postea, facta concordia cum Guidone monacho, et quem quærebat palefredum dimisit, et omnia quæ mater sua Petronilla, et fratres sui, Petrus et Egidius, monachis Nuchariensibus ad supradictum molendinum dederant, ex integro in perpetuum concessit, acceptis a monachis decem solidis in caritate. Hæc autem concessio facta est in claustro monachorum de Sunzaico, istis audientibus quorum subscribuntur nomina. Testes Rainaldus, prior de Sunziaco; Ruilfus, præpositus; Johan-

nes, parvulus; Lambertus; Ermenulfus; Arduinus de Brachesac; Stephanus, nepos ejus.

Cart. orig., folio 125, recto; copie, p. 343.

CDXX.

De sclusa apud Marcilliacum.

(C. AN. 1117.)

Notum sit omnibus quod Urias de Nugastro dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nucharienſibus medietatem medietatis sclusæ suæ quam habebat ad Marcilliacum, et aliam medietatem reliquit heredibus suis. Postea vero habuit filiam Uriæ, Petrus Goscelini, filius Hugonis, qui venit ad abbatem Gaudinum et ad monachos, petiitque ab eis ut præstarent ei de ornamentis suis; qui præstaverunt ei duas capas pollu super decem libras, quas ipse Petrus misit apud Judæos ad usuram. Postea vero non valens habere ipsas capas præ magnitudine usuræ quæ excreverat, timens peccatum incurrere propter amissionem ornamentorum ecclesiæ, venit in capitulum monachorum ipse et uxor ejus Margarita, dederuntque ambo ecclesiæ Nucharienſi totum quod habebant in tota sclusa de Marciliaco, et in molendinis utriusque partis aquæ, et totam aquam, et totam ripariam a vineis usque in aquam, et usque subtus insulam, et omnem piscationem aquæ. Hæc omnia dederunt Petrus et Margarita uxor ejus Deo et monachis pro animabus suis et pro animabus omnium parentum suorum, et promisit Petrus se per fidem hæc omnia aquitaturum monachis ab omnibus hominibus.

Abbas autem Gaudinus et monachi dederunt eis x li-

bras de capis, et L solidos quos debebat secretario condonaverunt, et quatuor libras in denariis ei dederunt insuper.

Testes qui hoc audierunt Rotbertus, presbyter; Gaufridus Jarnigo, qui accepit fidem ejus; Achardus de Nugastro; Rainaldus Barbotus; Guillelmus Frotgerii; Aimericus de Esculio; Galterius de Situla; Achardus de Mose; Frumentinus; Odo Arotellus; Rainaldus Barbota; Jaquilinus; Johannes Giruardus; Tethbaldus, cocus.

Hæc omnia quæ scripta sunt annuerunt Goscelinus, frater Petri, et Sophiza, uxor ejus, filia Gosberti et Margaritæ. Testes Gauterius et Moyses, monachi; Effredus Goscelini, et uxor ejus Lombarda; Galterius de Poent; Jaquilinus; Johannes, de burgo novo; Tethbaldus, cocus; Rainaldus Barbota; Guito Messorius.

Post aliquantum temporis, idem Petrus Goscelini calumniatus est servientisiam molendinorum, ut absque serviente suo annona de molendinis non reciperetur. De qua re in concordiam cum monachis veniens, concessit illud in capitulo, et quicquid donaverit unquam.

Testes : Goffredus, Turonensis archidiaconus; Fulcredus; Turpinus de Sancto Spano; Hugo de Sancta Maura; Assalis; Rainaldus Barbe; Adelelmus Bobel; Frumentinus; Arnulfus, filiaster ejus; Goffridus Barbota, qui recognitionis causa tabulam percussit; Amalvinus, frater ejus; Andreas, sutor; Arnulfus, frater ejus; Tethbaldus, cocus.

Hæc eadem omnia annuit uxor illius Margarita, et filii ejus, Hugo; Petrus; Uries; Ademarus; Johannes; Aimericus; et filia ejus Rocheria.

Cart. orig., folio 146, verso; copie, p. 349.

CDXXI.

Algerius de Chezellis et uxor ejus Sarrazina dant ecclesiam quæ vocatur Vernolium.

(C. AN. 1117.)

Catholicæ Ecclesiæ fidelibus cunctis, tam in clericali, quam in laicali conditione constitutis, notum fieri volumus quod ego Algerius de Chezellis, et uxor mea Sarrazina, dedimus Deo et Sanctæ Mariæ de Nucariis ac monachis ejusdem loci ecclesiam quamdam quam habebamus, quæ vocatur Vernolium, id est junioratum presbyteri, et omnes offerentias altaris, et proferentias, et omnem sepulturam, et omne et omnia quæ ad ecclesiam pertinent, excepta decima annonæ et vini. Hujus rei testes Gaudinus, abbas; Gaufridus Peloquin; Guillelmus de Brou; Geraldus, pistor; Petrus Mareschal; Rogerius Vigier; Guillelmus de Courcoué; Odo de Rillé; Gaufridus Savaricus.

Cart. orig., folio 105, verso; copie, p. 351.

CDXXII.

Egidius, filius Gaufridi de Sanzaico, annuit quidquid prius dederat Hervisus Cabruns.

(C. AN. 1117.)

Innotescere volumus posteris nostris quod Egidius, filius Gaufridi de Sanzaico, venit in capitulum nostrum, et ibi, præsente domno abbate Gaudino, et aliis mona-

chis, annuit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis quicquid Hervisus Cabruns et Agathes, uxor ejus, et filii eorum, dederant ecclesiæ Nuchariensi.

Annuit iterum idem Egidius, post obitum fratris sui Petri, quicquid habebamus de sua progenie, sive in feudis, seu in casamentis. Hoc viderunt et audierunt Hugo de Sancta Maura; Gaufridus Peloquini; Petrus Goscelini; Symon de Nugastro; Teevinus de Disthaico; Guillelmus Frogerii; Achardus, magnus; Giraldus Tisuns.

Cart. orig., folio 123, recto; copie, p. 353.

CDXXIII.

Aimericus, vice-comes Castri Araldi, dat Gaudino abbati quidquid de ipso tenet.

(C. AN. 1117.)

Omnium fidelium, præsentium et futurorum, memoriæ decrevimus perpetuo tradere quod Aimericus vicecomes Castri Araldi, dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et Gaudino abbati et monachis ibidem semper habitantibus, quicquid de casamentis aut de fedio donabitur, præter caput casamenti, et omnes querelas de quibus conquerebatur.

Testes : Petrus Helias; Gosbertus de Podio; Burchardus Lovellus; Lancelinus et Araldus, monachi.

Cart. orig., folio 20, recto; copie, p. 355.

CDXXIV.

Gunterius moriens quædam cœnobio Nuchariensi confert.

(C. AN. 1117.)

Notum sit quod Gunterius Macxima, infirmitate detentus, deprecatus est abbatem Gaudinum et monachos Sanctæ Mariæ Nuchariensis quatinus eum susciperent, et habitu religionis eum induerent, qui et obtinuit. Ipse autem supradictus Gunterius dedit Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis ibidem Deo servientibus, terram quam habebat sub Rupe Giroardi, et aliam terram quæ est ante molendinum de Bonavoia, in perpetuum possidendam. Hoc concesserunt filius suus Goffredus, et filia sua Aldeardis. Hujus rei sunt testes Paganus, monachus; Hernulfus, monachus; et presbyter Guicherius; et Ballolus; Tethbaudus de Boa; Geraudus Ailma; Hainardus Bertha; Tardis; Frasnellus. Hoc quoque audivit domnus Hugo de Sancta Maura; et Radulfus Villanus; et Johannes Giroardus.

Cart. orig., folio 132, recto; copie, p. 357.

CDXXV.

Iterum agitur de molendino Dozil.

(C. AN. 1117.)

Præsentibus et futuris Ecclesiæ filiis litteris mandare curavimus quod Petrus de Sumzaico, et Egidius, et Paganus Brunel, fratres ejus, cum Petronilla matre sua dederunt Deo et Sanctæ Mariæ monachisque Nucharien-

sis ecclesiæ, pro remissione peccatorum suorum, locum quemdam qui dicitur Molin Dozil, ad habitandum et construendum ipsum locum. Dederunt autem in eodem loco stagnum et molendinum ædificandum, et tres mansuras terræ, quas ita, multis videntibus, diviserunt. Primam masuram ostenderunt a Vado Fulcredi per viam qua itur a Turonis ad Motam, usque ad torrentem Tuschiæ Aufredi, et descendit usque ad rivulum qui dicitur Crisinciacus, et pervenit usque ad stagnum. Alias autem duas masuras dederunt ex alia parte fluvii qui dicitur Brenna, a supradicto Vado Fulcredi per torrentem Bellifagi, usque ad callem Caroli, et sicut per eumdem callem pervenitur usque ad supradictum fluvium Brennæ. Dederunt etiam nobis Nuchariensibus monachis omnem cursum aquæ Brennæ a supradicto calle Caroli usque ad Vadum Fulcredi, et omnia prata quæ infra tres mansuras ædificare poterimus. Consuetudines etiam omnium hominum quos ibi ad manendum undecumque adduxerimus, nobis integre dederunt, et de boscis suis, qui juxta sunt, scilicet de bosco Goini et de bosco Guntho, quantum nobis ad proprios usus et omnibus hominibus nostris qui in eodem loco per nos manserint opus fuerit, concesserunt. Præterea in bosco suo qui dicitur Brachilsachus, pasnagium ad centum porcos nobis dederunt, et ligna mortua quæ in eodem bosco invenerimus ad calefaciendum domum nostram donaverunt. Hæc in manu domni abbatis Gaudini posuerunt, et se perfecturos tres mansuras, si inter supradictas metas, postquam culta fuerit terra, quæ tunc temporis inculta erat inventæ non fuerint, promiserunt.

Hujus rei testes sunt, Hubertus, presbyter; Savinus; Lambertus; Malus, miles; Galterius Belins; Giraldus, serviens de Brachisaco; Matheus Borrel; Petrus Mares-

callus; Jaquelinus de Lausduno; Guillelmus Corbellus; Gauterius, monachus, et Lancelinus, monachus.

Hæc omnia supradicta annuit monachis, Turonis, in ecclesia Sancti Martini de Castro novo, Johannes de Aloia, dominus de Castellis, de cujus feudo erat, rogantibus monachis Alexandro et Lancelino; insuper quicquid sui juris in eodem loco erat, tam in consuetudinibus, quam in aliquibus reditibus, omnia monachis dedit, et se perpetuo defensurum promisit, his videntibus et audientibus, scilicet Rufino; Theovino, clerico; Richerio; Teovino de Mealna; Guillelmo de Disciaco; Boamundo de Riis.

Cart. orig., folio 122, verso; copie, p. 359.

CDXXVI.

De quadam terra ad Pilas, quam calumniabatur Guillelmus de Pelle.

(C. AN. 1148.)

Quoniam decedentibus et succedentibus sæculis, ea quæ a præsentibus geruntur, nisi litterarum monimento teneantur, a successorum memoria auferuntur, ideo adscribere curavimus quod Araudus Achardi, pro anima sua et pro animabus parentum suorum, dedit terram quæ erat ad Pilas, Deo et Sanctæ Mariæ, faciens etiam ibi quemdam monachum. Quam postea, aliquo interveniente tempore, Guillelmus de Pelle calumnians, hereditario jure sibi adquirere multotiens pertentavit. Tandem, persuasione abbatis Gaudini, qui tunc ecclesiæ præerat, et cæterorum amicorum suorum, ab hujus-

modi calumnia requievit, pollicentes ei monachi ipsum Guillelmum vel fratrem suum se facturos monachum.

Testes : Hugo de Sancto Adjutore; Gauterius Jesu ; Rotbertus, presbyter ; Guillelmus Frotgerii ; Rainaldus Barbe ; Assalit; Rainaldus Mestiver ; Stephanus, vicarius ; Achardus Lamberti.

Cart. orig., folio 180, verso ; copie, p. 361.

CDXXVII.

Concordia inter Gaudinum abbatem et Aimericum de Braia.

(C. AN. 1118.)

Aimericus de Braia auferebat nobis monachis Nuchariensibus ad Braiam quamdam partem terræ quæ fuerat Guillelmi Rufi. Quam ob rem ab episcopo Pictavensi aliquandiu interdictus, tandem ad hanc nobiscum venit concordiam. Ipse reliquit nobis omnem terram in manu Gaudini abbatis, recognoscens se injuste eam abstulisse. Postea vero Gaudinus abbas, rogatus ab ipso Aimerico et ab Araudo canonico Sancti Georgii, concessit ei terram ad terragium tantum in vita sua, et uxori suæ, et post decessum eorum, monachi habebunt omnem terram. Frustum autem unum, ubi plantaverunt salices, et pratum ædificabat, simili modo concessit, ita ut quando abbas et monachi voluerint, uno anno salices plantabunt, pro investitura fenum, si fuerit, habebunt. Et ipse Aimericus dedit nobis novem denarios census, quos debebat ei monachus de Razina. Testes : Moyses, Alexander, monachi ; Araudus, canonicus ; Petrus, famulus abbatis ; Johannes de Poletis.

Cart. orig., folio 85, verso ; copie, p. 363.

CDXXVIII.

Concordia inter monachos Nucharienses et Tiasium.

(C. AN. 1118.)

Noscant præsentes et futuri quod Tiasius calumniatus est monachis Nuchariensibus terras et vineas quas habebant de Gaufrido Anguilla et genere suo, dicens eas esse de feudo suo. Idcirco monachi pacem volentes constituere cum eo, dederunt ei tantum de caritate Sanctæ Mariæ quod ipse (Gaufridus dederat), et ea quæ prius calumniabatur, et quæcumque habebant monachi de genere suo concessit in præsentia domni Gaudini abbatis. Testes hujus rei fuerunt Petrus Goscelini; Simon de Nugastro, et Petrosillus, filius ejus; Achardus Fascina Vetulam.

Interea, mortua matre sua, venerunt in capitulo Nuchariensi, ipse Tiasius et fratres sui, Sulio et Rotbertus, et sorores suæ Lumbarda et Foresteria cum maritis suis Rainaldo de Mallai et Ardeo Pelle lupi, et iterum concesserunt omnes utriusque sexus quicquid antecessores sui dederant ecclesiæ Nuchariensi. Testes hujus rei sunt Ridellus de Haia; Achardus Fascina Vetulam; Johannes Giroardi; Tethbaldus, carpentarius.

De terra Richin. — Goffredus de Podio et Matheus filius ejus, concesserunt Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus terram quæ fuerat Petri Richin et erat de censu ipsorum. Concesserunt et duo frusta terræ Saponelli. Testes Matheus, serviens ejus; Gosbertus, armiger ejus; Morinus Rube; Christoforus de Nuchariis.

Cart. orig., folio 34, recto; copie, p. 365.

CDXXIX.

Concordia inter fratres Nuchariensis cœnobii et Rainaldum Canutum.

(C. AN. 1118.)

Wlfrannus, filius Ursi de Lucis, et Petrus Achardi, habebant terram inter Crosam et Vigennam, quam dederunt Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis ac monachis. De ipsa autem terra habebat quidam vir Rainaldus, cognomine Canutus, quamdam partem quam dicebat sibi hereditario jure competere, et monachi illam dicebant dono Wlfranni et Petri suam esse. Postea vero facta concordia inter abbatem Gaudinum et Rainaldum Canutum, isdem Rainaldus omnem illam terram quam sibi dicebat jure competere, dimisit ac dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis de Nuchariis; et abbas et monachi dederunt illi in mutuationem quamdam particulam terræ prope Nuchariis, quæ est inter vineam Ulrici presbyteri, et terram Arvini Arotelli. Hanc autem terram dederunt ei monachi tali convenientia, ut quamdiu ipse vixerit, habeat terram illam, et post mortem unus solummodo ex filiis ejus, qui ejus hereditatem habuerit; et post mortem illius filii qui heres ejusdem Rainaldi fuerit, revertatur terra illa ad monachos. Quod si ante mortem suam eam monachis dare voluerit, in ipsius sit potestate.

Testes : Ulricus, presbyter; Vivianus Bibe securim; Rainaldus Oggisii.

Cart. orig., folio 33, recto; copie, p. 367.

CDXXX.

Archembaldus, filius Ulgerii, dat vigeriam clausuræ apud Azaicum.

(C. AN. 1119.)

Noscant tam præsentes quam futuri, quod Archembaldus, filius Ulgerii, et uxor ejus Egidia, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus vigeriam totius clausuræ domus quæ est apud Azaicum et omnis familiæ monachi ibidem habitantis, excepto furnerio et bergerio. Cujus donationis testes sunt isti : Petrus de Pella Grola ; Paganus de Camarlico ; et plures alii.

Hoc etiam donavit Johannes de Monte Basonis, et uxor ejus Quassimota. Testes Ribotellus de Haia ; Rainaldus Calvellus ; Guido et plures alii.

Postea autem venit in capitulum post mortem Carnerii Biselli, et concessit supradictis monachis quicquid eis antea donaverat, tam ipse, quam ejus antecessores, et quicquid de ejus fedio habebant. Cujus concessionis testes sunt isti : Ribotellus, et Andreas, et Hubertus, fratres ejus ; Garnerius de Vireleio ; Petrus Bisos ; Guido Cato ; Rainaldus, calvus.

Cart. orig., folio 77, verso ; copie, p. 369.

CDXXXI.

Census molendini quod fuerat Aimerici Amalvini datur monachis Nuchariensibus.

(C. AN. 1119.)

Araldus de Ponte dedit Deo et Sanctæ Mariæ censum de molendino quod fuerat Aimerici Amalvini, nomine Cocherel, vidente et annuente uxore sua, et Fulcherio cliente suo. Hoc donum fecit in manu Gaudini abbatis. Concessit hoc Paganus, filius ipsius Araudi, apud Rupem de Pozaico, videntibus Gauterio, bajulo abbatis; Petro, famulo ipsius Gauterii; Gauterio de Monte Sorello; Argembaldo de Bleis; Goffrido Folio.

Postea denegans se hoc concessisse, congregato placito in curia Aimerici, domini Fagiæ, fecit iterum donum de eodem censu, in manu ipsius Gaudini abbatis, videntibus et audientibus Gauterio bajulo, Moyse, Alexandro, monachis Nuchariensibus. Testes : Aimericus, dominus Fagiæ senex; Barchomeus Tarazon; Boso de Boscolentot; Guillelmus Fauco; Petrus, famulus abbatis.

Cart. orig., folio 208, recto; copie, p. 371.

CDXXXII.

Hubertus et Urias annuunt quæcumque dederant Simon et Borilla ecclesiæ Nuchariensi.

(C. AN. 1119.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod filii Symonis de Noviastro, Hubertus et Urias, ha-

bebant contentionem adversus monachos de Nuchariis de aliquantis rebus quas dederant illis pater eorum Symon et mater Borilla. Postea vero, facta concordia, venerunt in capitulum monachorum Simon et filii ejus, Hubertus et Urias, et ibi, præsente abbate Gaudino et omni congregatione, annuerunt omnia quæcumque monachi illo die habebant de hereditate parentum eorum, id est terras cultas et incultas, silvas et prata, et sclusas, et piscationes, et molendina, et servos et ancillas, et ecclesias, et decimas, et offerentias, et sepulturas, omnia ex integro annuerunt ecclesiæ Nuchariensi quæcumque dederant vel annuerant jam dictæ ecclesiæ, pater eorum Simon et mater Borilla, et patrui eorum Herbertus et Oggerius, et Burcardus, et Acharias, et avus eorum Hubertus Petrosilus, et alii de eorum progenie.

Testes sunt Ulricus, presbyter; Tetbaldus, presbyter; Rainaldus, presbyter; Guillelmus Frogerii; Ingilgerius de Mota; Durandus de Esmantia; Hugo de Sivraico; Raimundus de Pulsigniaco; Robertus Girbaldus; Rainaldus Oggisii; Rainaldus Barbota; Frumentinus; Guituns, messor; Johannes Giroardi; Tetbaldus, famulus; Tetbaldus de Choisnas; Acardus *Fascina vetulam*; Goscelmus, filius Maingui; Galterius, filius Haimo; Guillelmus Gaufer; Odo Arotellus; Parator.

Hæc omnia, ut scripta sunt, annuerunt uxor Simonis, Aldeburgis, cognomento Borilla, et filii et filiæ eorum, Hugo, Petrus, Matheus, Milesendis, Adelaida, Aldeburgis. Testes: Guillelmus de Sancta Maura; Rainaldus de Bornei; Ulricus, presbyter; Tetbaldus, presbyter; Rainaldus de Cosnel; Acardus *Fascina Vetulam*; Rainaldus Barbota; Jaquelinus de Lausduno.

Cart. orig., folio 174, recto; copie, p. 375.

CDXXXIII.

Ganilo se defensorem et vindicatorem promittit ecclesiæ Nuchariensi.

(C. AN. 1119.)

Ganilo de Chastellono vohetariam suam de omnibus rebus quas concesserat monachis Nuchariensibus dedit abbati Gaudino et monachis. Si quis autem adversarius contra donum istud insurrexerit, ipse Ganilo parabit se defensorem et vindicatorem omnibus rebus. Cujus rei sunt isti testes : Nicolaus, monachus ; Alexander, monachus ; Astho de Rupe ; Odo Pazer ; Hubertus, filius Mangri ; Robertus Girbaudus ; Aimericus de Gatnaico ; Augerius Cloire ; Baudoinus.

Cart. orig., folio 184, recto ; copie, p. 377.

CDXXXIV.

Zacharias dat decimam de Nancriaco, præsente Gisleberto, Turonorum archiepiscopo.

(C. AN. 1120.)

Quia quotidiano humani generis excursu generatio præterit, et generatio advenit, nec omnino aliquid quod præsens agitur inter jam præterita et futura aliqua stabilitate figitur, dignum esse decrevimus ut quod docta virorum prudentia de rerum temporalium adquisitione pertractat, doctior scriptorum manus per litterarum monimenta in æternitatis memoria figat. Noverint igitur

quicumque nobiscum vel post nos futuri sunt, quod Zacharias, vir ecclesiæ nostræ amicissimus, cum Buchardo, filio suo, in capitulum nostrum venit, præsente abbate nostro Gaudino et monachis, advocato etiam ad hujusmodi audientiam Gisleberto Turonorum archiepiscopo, qui tunc Nuchariis gratia cujusdam benedictionis advenerat, ibi Deo et Sanctæ Mariæ, decimam de Nancriaco, quam injuste tenere se per magistrorum ecclesiasticorum exhortationem noverat, donavit, donumque super altare uterque ponendo firmavit. Factum istud in manu Gisleberti archiepiscopi, astantibus istis, Hugone de Sancta Maura; Goffrido Peloquino et filiis ejus; Bodone, clerico; Alberico, milite; Roscelino; Ridello de Aziaco; Petro Goscelini; Petro de Maximiaco; Bartholomæo de Sarinniaco; Pontio de Ponte; Aimerico Ivonis filio; Guillelmo de Bro; Urrico, presbytero; Arnulfo, presbytero; Achardo de Boisé.

Annuit hoc Aimericus senex de Fagia, de cujus erat feudo, et filius ejus Aimericus juvenis, cum uxore sua Lisabeth, cognomento Rumpestachia. Testes Mauricius de Situla; Hugo de Luens; Aligannus; Goffridus de Gans; Johannes Goet, presbyter; Bodardus; et monachi Lancilinus; Alexander; Goffridus; Araldus, canonicus; Bartholomæus Trazii.

Cart. orig., folio 83, verso; copie, p. 385.

CDXXXV.

Concordia inter Gaudinum abbatem et Salatiel, fratrem Uriæ.

(C. AN. 1120.)

Eorum quæ temporaliter agimus parva in posteris memoria transmittitur, si, transeunte rerum statu temporalium, nihil horum sub litteris assignetur. Quapropter notum fieri volumus præsentibus et futuris, quod quidam, Salatiel nomine, frater Uries, calumniatus est abbati Gaudino et monachis Nuchariensibus ea omnia quæ parentes ejus antecessores dederant, vendiderant, et annuerant ecclesiæ Nuchariensi. Hac de causa inierunt consilium cum eo abbas videlicet et monachi, rem omnem et calumniam per concordiam diffinientes, ita scilicet ut omnia quæcumque et ubicumque seu quocumque modo ecclesia Nuchariensis ab antecessoribus suis possidebat, annueret et deinceps ab omni calumnia in perpetuum conquiesceret. Quæ vero sunt ea quæ parentes sui dederint, vel ipse annuerit, paucis describendo subnotavimus : exclusam scilicet de Marciliaco ex utraque parte ripæ ; terram vel alodia de Nuchariis ; et quod habebant monachi in Portu de Pilis, ecclesiamque de Razina, et decimam et molendinum, et terram ubi incepta fuit grangia, et terram et prata de Rivo Marino, multaque circa illa existentia ; pratum etiam quod Goffredus Iterius ei cum filia sua dederat, quod Rainaldus monachus, cognomento Aculeus, emerat. Omnia ista prædicta, seu propter prolixitatem omissa, quæcumque a parentibus suis monachi tenuerant, vel die illa tene-

bant, annuit idem Salatiel ecclesiæ Nuchariensi et monachis ibidem manentibus, istis coram testibus audientibus : Zacharia de Mirmanda, et Buchardo et Goffrido, filiis suis; Petro de Maximiaco, et Goffrido Iterio, cujus filiam ipse habebat; Stephano de Moncels, et Eliagar, fratre ejus; Aimerico de Tribus Molendinis; Tethbaldo, presbytero; Ulrico, presbytero; Achardo de Boisé; et Achardo Flocello.

Propter hanc annuitionem dedit ei abbas Gaudinus in caritate XL solidos, triginta scilicet ei, et uxori suæ decem, quæ etiam ei omnia prædicta concessit; pratum quoque supradictum quod in conjugio ipsius datum fuerat, istis audientibus : Goffrido Mealla; Viviano de Fraxina, Galterio, monacho, et Lancelino, monacho; Jaquelino et Petro, famulis.

Cart. orig., folio 23, verso; copie, p. 383.

CDXXXVI.

Urias, apud Uxellum in infirmitate positus, concedit omne fedium suum apud Antoniacum.

(C. AN. 1120.)

Notum sit omnibus quod Urias, frater Rainaldi Barbati, apud Uxellum in infirmitate positus, rogavit abbatem Gaudinum de Nuchariis venire ad se ; cui ad se venienti eleemosynam suam commendavit, dans ecclesiæ Nuchariis et monachis ejusdem loci omne fedium quod habebat de Simone de Noviastro apud Antoniacum, hoc est omne fedium Moretum, et quinque solidos census, et terram quam habebat ad Grizaicum, quæ erat de fedio Montis Sorelli. Hujus doni testes fuerunt abbas Gaudinus;

et Galterius, bajulus; Effredus Goscelini; Tethbaldus, presbyter; Thomas Ratuns.

Annuit hoc Simon de Noviastro, et filius Petrosilus apud Antoniacum, audiente Acaria de Mirmanda, et duobus filiis ejus, Burcardo et Gaufrido. Audivit et vidit hoc Petrus de Maximiaco; Stephanus de Moncels, et frater ejus Eleazar; Hugo de Faia; Vivianus de Fraxinis; Stephanus, filius Radulfi; Bartholomæus de Sarinniaco; Athelinus, filius Tetberti; Ulricus, presbyter; Tetbaldus, presbyter; Rainaldus de Pulsigniaco; Jaquelinus de Lausduno.

Postea vero Petrus Simon venit in capitulum ejusdem ecclesiæ, et omne supradictum fedium in aquis et ripariis concessit, et suam defensionem contra omnes calumniantes promisit, et se servaturum asseruit. Annuit hoc frater ejus Matheus, et habuerunt in caritate viginti solidos. Concessit hoc Helisabeth, uxor Petri, et Aimericus, filius eorum, et Gignosa, et Laurentia, et Aldeburgis.

Testes : Rainaldus de Faia; Bartholomæus, filius ejus; Brunus Beringerii; Rispaldus; David de Maigrebos.

Rabaldus, filius Rainaldi Barbe, concessit supradictum fedium monachis Sanctæ Mariæ de Nuchariis, et suam partem sclusæ de Pugsigné; et monachi dederunt ei in caritate viginti solidos. Concessit hoc Guillelmus, frater ejus. Concessit hoc Gignosa, mater eorum, quæ habuit in caritate viginti solidos.

Testes: Tetbaldus Garin; Odo, frater ejus; Amalvinus; Guillelmus, cocus; Hubertus, coquinarius; Stephanus, miles; Millet.

Cart. orig., folio 161, verso; copie, p. 387.

CDXXXVII.

Petrus Teberti dat monachis omnia quæ apud Antoniacum habebat pro professione monacali filii sui Aimerici.

(C AN. 1120.)

Notum sit omnibus quod Petrus Teberti dedit Deo et Sanctæ Mariæ, et abbati Gaudino et monachis Nucharien-sibus, filium suum Aimericum ad monachum faciendum, et in eodem capitulo dedit supradictis monachis omnia quæ apud Antoniacum habebat in hominibus, in terra culta et inculta, in riparia, in salicibus et in aliis arboribus, in aqua, in molendino et in sclusa. Hæc omnia faciet Petrus habere pacifice et quiete monachis quamdiu vixerit, serviens fedum domini cujus est. Similiter filii Petri servient semper fedum domini, cujuscumque fuerit. Testes : Ulricus, Archembaldus, presbyteri; Hugo de Sancta Maura; Petrus Goscelini; Joduinus; Boquenellus; Achardus, magnus.

Post aliquantum temporis, uxor ejusdem Petri, Petronilla nomine, volens ire apud Sanctum Jacobum, concessit omnia hæc. Concesserunt etiam Petrus et Guillelmus, filii ejus, et Petronilla, filia. Testes : Odo Turbatus; Paganus de Montet; Effredus de Sivrai; Fulcoius; Vasletus Girbaut.

Cart. orig., folio 170, verso; copie, p. 389.

CDXXXVIII.

Petrus Tiberti et Petronilla offerunt filium suum Aimericum cœnobio Nuchariensi.

(C. AN. 1120.)

Cognoscant omnes præsentes et futuri, quod Petrus Tiberti et Petronilla uxor ejus obtulerunt Deo et Sanctæ Mariæ filium suum, Aimericum nomine, ut ibi monachus fieret, et cum eo dederunt apud Antoniacum terram et silvam et aquam, et homines, et omnia quæ ibi habebant, videntibus Hugone de Sancta Maura; Petro Goscelino; Gelduino de Perroniaco; Guillelmo Turbati; Stephano Draperio.

Hugo etiam Tira præda, in infirmitate positus, priorem Sanctæ Mariæ Rainaldum ad se venire præcipiens, dedit se Deo et ecclesiæ Nuchariensi ad monachum faciendum, et aliam partem terræ supradictæ, quæ sui juris erat, concessit eidem ecclesiæ, vidente Roscelino nepote suo; et Gauterio filiastro suo, et Gauterio de Ussello, et Vaslino cliente suo.

Hæc omnia, sicut prædicta sunt, concessit Roscelinus, et inde fiduciam fecit, ut hoc donum omni tempore vitæ suæ defendat et tueatur ad utilitatem ecclesiæ Nuchariensis, ipse et heredes aut proheredes sui; et pro hac re habuit in caritate sex libras et duodecim solidos; et Gauterius de Ussello prolocutor hujus rei, habuit XII solidos. Hac de causa annuerunt monachi Nucharienses Roscelino quartam partem prædictæ terræ, ut tres alias partes defendat et tueatur, quandiu vixerit. Ipse vero post obitum suum, illam partem ecclesiæ Nuchariensi

dedit et concessit, et omnem familiam et generationem Temperii, et quod habebat ecclesia Nuchariensis de genere suo apud Raziniam. Hujus rei testes fuerunt Goffridus de Mirmandia; Gaufridus de Ussello; Gauterius de Ussello; Lambertus Cati, qui accepit ab eo ostagium; Airinus de la Planta; Ugo Boscellus; Tyrellus; Rigonellus.

Cart. orig., folio 168, verso; copie, p. 477.

CDXXXIX.

Fulco, comes Andegavensis, beneficium ecclesiæ Nuchariensis accipit.

(C. AN. 1121.)

Notum sit omnibus quod Fulco, comes Andegavensis, in capitulum nostrum veniens, beneficium nostrum, præsente abbate Gaudino, accepit, et quicquid de feudo et casamentis ejus alicubi habebamus, concessit.

Ibique, eo præsente, Ganilo de Castellone eumdem comitem rogavit ut decimam de Paiziaco omni tempore nobis tutaretur, quod se facturum concessit.

Testes : Rotbertus de Blo; Arnulfus de Monte Gomerio; Bauzhannus de Vieriis; Rotbertus de Buzanzaio; Burellus de Insula; Sanson de Laméré; Jeronius de Losduno; Goscelinus Roenardus; Achardus de Boisé; Paganus de Romenol; Simon de Bernezai; Archalois; Rainaldus de Villa Nova; Paganus de Claris Vallibus; Goffredus Peloquini; Petrus Goscelini; Rainaldus Barbatus; Christoforus de Bosseria.

Cart. orig., folio 184, verso; copie, p. 395.

CDXL.

Andeburgis quidquid in offerenda et in sepultura ecclesiæ Rupis Clerismaldi habebat, præter panes Rogationum, concedit.

(C. AN. 1122.)

Omnibus tam præsentibus quam subsequentibus nostris notum sit quod Andeburgis, uxor scilicet Bonelli de Cainone, quod in offerenda et in sepultura de patrimonio suo in ecclesia Rupis Clerismaldi habebat, præter panes Rogationum, pro anima sua et filii Barbotini, Deo et monachis Sanctæ Mariæ Nuchariensis ecclesiæ dedit, hocque filii ejus, Paganus scilicet et Normandus concesserunt. Ii autem sunt testes : Goffredus de Marcillé ; Martinus de Plancha ; Gulferius Maingodi.

Cart. orig., folio 96, verso ; copie, p. 397.

CDXLI.

Bernerius miles dat decimam totius terræ suæ apud Campiniacum, in feudo Rotberti de Bloio.

(C. AN. 1122.)

Quoniam incertus est generationis humanæ discursus, et quotidie memoriæ sigillum rerum defectus evacuat, necessarium duximus ea quæ gesta sunt litteris tradere, ut quod fidelium confirmavit præsentia, hoc et posteris firma memoria representet. Agnoscat igitur fidelis Ecclesiæ filiorum successio, quod miles quidam de Campi-

gniaco, Bernerius nomine, dedit et concessit Deo et Sanctæ Mariæ et ecclesiæ Nuchariensi, et Gaudino abbati, cæterisque monachis ibidem Deo servientibus, decimam totius terræ suæ, quam habebat de fedio Rothberti de Bloio, quod concessit uxor ejus Margarita, et tres ejus filii, Philippus, Mauricius, Aimericus, duæ etiam filiæ, Maria et Ascelina.

De dono Bernerii sunt ii testes de decima : Lancelinus, Alexamder, Hugo, monachi ; Rothbertus de Bloio ; Peloquinus de Insula ; Goferius ; Paganus de Brizai ; Hugo Vaslins ; Michael, presbyter ; Buchardus, presbyter ; Aimericus, vigerius. De concessione uxoris Bernerii, et filiorum, et filiarum suarum, sunt ii testes : Anseis ; Jaquelinus ; Petrus, monachus.

Hoc concessit Rothbertus de Bloio, de cujus fedio erat. Sunt isti testes : Peloquinus de Insula ; Guferius de Brisaico ; Hugo Vaslinus ; Paganus Joscelinus ; Aimericus, vigerius.

De concessione uxoris ejus Marquisiæ et filiorum ejus Gosleni, Rothberti : Goffridus de Longo Vado ; Paganus Pictaviensis ; Aimericus, vigerius ; Ribotellus ; Bigotei ; Rotbertus Baelon.

Cart. orig., folio 92, recto ; copie, p. 399.

CDXLII.

Abbas Gaudinus, sine assensu capituli, concordiam init cum Leticia, filia Guillelmi Rufi.

(C. AN. 1123.)

Noscat successorum posteritas quod domnus abbas Gaudinus hujuscemodi concordiam iniit cum Leticia filĩa Guillelmi Rufi, sine assensu conventus suĩ. Cẽnsum

illum, quem idem Guillelmus pro redemptione animæ suæ nobis devote contulerat, quem scilicet apud Braiham possederat, et eodem pluribus annis sub monastico habitu in ecclesia Nuchariensi vivente quiete possederamus, post mortem ejus eadem Leticia præsumptuose calumniata est; cujus discordiæ domnus abbas Gaudinus pacem cupiens reformare, quartam partem ejusdem census sine consilio capituli, ut diximus, ei dimisit. Post multum vero temporis eadem Leticia petiit ut Aimericus, filius ejus, monachus Nuchariensis fieret, tali pacto ut illam partem quam taliter subtraxerat, liberam nobis dimitteret, et partem terræ illius quæ eam contingebat, quæ ei scilicet cum Bardone Mirebellensi communis erat, insuper nobis daret. Est autem terra illa subtus limitem qui dicitur de vinetis. Quæ cum hæc omnia nobis dedisset, ejus petitioni assensum præbuimus, et Aimericum in congregatione nostra suscepimus.

Testes sunt Effredus, monachus; Rainaldus Torquatinus, monachus; Guillelmus de Sancto Jovino, monachus; Effredus David; Effredus Menuns; Goffredus Cocha.

Cart. orig., folio 210, recto; copie, p. 403.

CDXLIII.

Fulqueius et Guillelmus Frogerii annuunt monachis quædam bona ad Pulsinniacum.

(C. AN. 1123.)

Ego Fulqueius et Guillelmus Frogerii et monachi Nucharienses, ad Pulsinniacum terram habebamus quam de nobis tenebat Ademarus clericus. De ipsa terra ter-

tiam partem ego et Guillelmus Frogerii, monachi duas partes habebant. Cum autem Ademarus infirmaretur, factus apud Nucharios monachus, unam partem fere XII sextariorum seminationis monachis in eleemosynam dedit, quam ego et Guillelmus Frogerii concessimus; sed et filius Ademari clerici, Paganus nomine, dum infirmaretur, aliam partem monachis dedit, terram scilicet quæ est ad Placitum Amagnagio desuper ecclesiam Pulsigniaci usque ad supercilium montis, necnon et terram de Varenna, quæ est juxta Vigennam, quod et nos concessimus, retinentes partem nostram tertiam de Varenna; et pro hac dedimus eis terram de Vignal, quæ est prope Pulsinniacum juxta viam quæ ducit ad Salvagium. Concessi et ego quicquid monachi habebant ad Sanctam Mauram de genere meo, sive in vineis, sive in terris. Concessit et hoc uxor mea Annetha et filius meus Goffredus, et Petronilla filia mea, et Villana uxor Guillelmi Frogerii, et Stephanus, filius ejus, et Masthia, filia ejus.

Testes : Rainaldus, prior; Galterius, bajulus; Moyses, monachi; Petrus Goscelini; Rainaldus Oggisii; Rogerius, vicarius; Vivianus Bibe-Securim; Achardus Flocels; Petrus de Castello Araudi; Hugo, filius Habelini; Giraldus David; Capusel; Goslenus, filius Petri Vitalis.

Cart. orig., folio 164, recto; copie, p. 401.

CDXLIV.

Fulcodius annuit iterum eadem bona ad Pulsinniacum.

(C. AN. 1124.)

Notum sit omnibus quod Fulcodius venit in capitulum Nuchariensium monachorum, ibique consensit Deo et

Sanctæ Mariæ et eisdem monachis quicquid habebat in terra Haimari clerici et Pagani filii ejus, apud Pussigniacum, exceptis tribus frustis censualibus, quæ nobis ostendit Bella femina, quæ ejusdem Haimari filia dicta est, et aliis tribus censualibus quæ Rainelmus possidebat, et excepta tertia parte terræ Varennæ. Hujus concessionis donum posuerunt super altare Fulcodius et uxor ejus Placentia, cognomento Amica, et filius ejus Gaufridus. Ii sunt testes : Egidius de Sumzaico ; Christoforus Frumentinus ; Adelelmus carpentarius ; Aimericus Bascher; Andreas Rigaudus ; Johannes, cocus ; Frasnellus.

Concesserunt hoc apud Nucastrum filius ejus Michael, et duæ filiæ Petronilla et Emma. Testes Moyses, monachus ; Egidius de Sumzaico ; Petrosilus, filius Symonis ; Durandus, forestarius ; Gimo, vigerius ; Durdualdus ; Aimericus Bascher ; Petrus, frater ejus ; Andreas Rigaudus ; Frasnellus ; Garnerius. Pro hoc dono habuit Fulcodius xxxv solidos et uxor ejus v, et unusquisque infantum unum denarium.

Postea venit Fulcodius in capitulum Nuchariensium monachorum, et filius ejus Gaufridus, ibique dederunt non solum supradicta, sed etiam quicquid habebant apud Pussigniacum, sive in hominibus, sive in censu, excepta decima sua. Hujus concessionis testes sunt ii : Frumentinus ; Adelelmus Bobel ; Adelelmus, carpentarius ; Johannes Fresnellus ; Aimericus Bascher, et Ivo, frater ejus ; Andreas Rigaut ; Petrus, famulus ; Helias.

Hoc ipsum concesserunt uxor ejus Anneta, et alter filius ejus Michael ; et duæ filiæ, Petronilla et Emma. Testes : Alexander, monachus ; et Moyses ; Gaiarinus de Burgo novo ; Corbellus ; Laurentius ; Arotel ; Gaido Burel ; Girardus, presbyter ; Petrosilus Asallit ; Odo Rotundellus ; Vivianus Bibe-Securim, et Isembertus, frater

ejus ; Laidellus de Marciaco, et Tirel, frater ejus. Pro hac iterum donatione dedit Berno, monachus, Fulcodio sexaginta solidos, et filio ejus XII denarios, ante altare, et uxori ejus decem solidos, et unusquisque infantum I denarium, præter Petronillam, quæ II denarios habuit.

Cart. orig., folio 47, recto; copie, p. 405.

CDXLV.

De pratis Bonosse, inter Salvaticum et Pontiacum.

(C. AN. 1124.)

Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, quod Heleazardus de Moncellis, monachus Sanctæ Mariæ Nuchariensis, præsente Hugone, filio ejus, dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis ibi servientibus, prata Bonosse quæ sunt inter Salvagiacum et Pontiacum, concedentibus omnibus filiis ejus, et filiabus, Hugone videlicet ejus primogenito, qui cum ipso simul donum fecit, et Guillelmo, et Radulfo, et Petro, et Bochardo, et Stephano. Ii sunt filii qui omnes concesserunt. Concesserunt quoque et filiæ, scilicet Hersendis et Hermengardis, et Milesendis, et Juliana, et Lisabellis. Hujus vero rei testes sunt Stephanus de Carraciaco ; Tebaudus, sacerdos ; et Rainaldus, prior ; et Alexander et Berno, monachi ; et Arnulfus de Laigniaco ; Jaquelinus de Marigniaco ; Giroardus Restet ; Balduinus, famulus ; et Botellus ; et Guidut, frater ejus de Marigniaco.

Cart. orig., folio 47, recto; copie, p. 407.

CDXLVI.

Machael de Haia dat cœnobio Nuchariensi Albertum et Richardum fratres.

(C. AN. 1124.)

Notum esse volumus omnibus fidelibus, tam præsentibus quam futuris, quod Machael de Haia, Albertum et Richardum, quos prius calumniatus fuerat, Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi, sine contradictione annuit; et pro hac re dedit ei Bernardus Babiliardus, monachus noster, in cujus servitio erant prædicti fratres, x solidos, et uxori ejus duos solidos, et tali pacto annuerunt, tam Machael, quam uxor ejus, et omnes liberi ejus, ut si vellent et requirerent, participes essent societatis et orationum nostrarum. Hujus rei testes fuerunt: Ademarus, clericus; et Morinus, miles; et Piruns.

Cart. orig., folio 163, recto; copie, p. 409.

CDXLVII.

Gaufridus de Mirmanda annuit omnia dona patris sui Zachariæ.

(C. AN. 1124.)

Ad notitiam posterorum transfundimus quod præsentes agimus, ne successores in errorem ducamus, quod Gaufridus de Mirmanda monachis Nuchariensibus calumniatus est quædam, quæ pater suus Zacharias eis dederat, terram videlicet cymiterii, ubi etiam vinea est,

et terram Frotgerii Barbe, et portum, et domos quasdam, quæ erant in burgo, et ut breviter cuncta comprehendamus, omnia quæ calumniabatur, et homines, et cætera, quicquid pater suus dederat ecclesiæ Nuchariensi, concessit abbati Gaudino et monachis; et xx solidos quos quærebat apud Salvaticum, Antoniacum et Pilas reliquit, ut amplius eos non quærat. Hæc omnia definita sunt in capitulo Nucharieusi, ipso Gaufrido præsente, et monachis et aliis multis, Hurrico, presbytero; Mauricio de Situla; Achardo de Boisé; Christoforus et Andreas et Goslenus, filii ejus; Rainaldo et Gumardo, fratre ejus; Tetbaudo, coquo; et Rainaldo Guidone; et Pagano, filio Bertini; Hugo de Langas; Esimberto; Araudo de Barro.

Cart. orig., folio 197, verso; copie, p. 413.

CDXLVIII.

Rabaldus, Rainaldi Barbati filius, dat partem sclusæ apud Pulsinniacum.

(C. AN. 1125.)

Rabaldus, filius Rainaldi Barbati, dedit Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi ac monachis ibidem Deo servientibus, partem suæ sclusæ quam possidebat ad Pulsigné, et monachi dederunt ei in caritate sexaginta solidos. Annuit hoc Petrus, Simonis filius, de cujus fedio erat, et Helisabeth, uxor ejus, et Aimericus, filius eorum, et tres filiæ eorum, videlicet Gignosa, et Laurentia, et Aldeburgis. Testes: Radulfus de Faeta; Andreas Peterel, et David, frater ejus; et Brunus Beringerii; Radulfus

Beoscart; Ribaudus; David de Macrebos; Aimericus Biquet.

Cart. orig., folio 54, recto; copie, p. 415.

CDXLIX.

Aimericus Tira præda dat quædam bona et jura ecclesiæ Nuchariensi.

(C. AN. 1125.)

Sciant præsentes et futuri quod Aimericus Tira præda dedit ecclesiæ Nucharii quicquid habebat apud Antoniacum, in servis et ancillis, in riparia et aquis, in terra. Dedit etiam quarterium vineæ, et dimidium jugum prati, et duodecim denarios census ad Sanctam Mauram, et duos capones, et quatuor denarios, et duos sextarios annonæ apud Uxellum. Hujus rei donum Roscelinus, ejus frater, super altare Sanctæ Mariæ confirmavit, his testibus : Bernardus, presbyter Ingrandiæ; Aimericus, presbyter de Vael; Archembaldus, presbyter de Portu; Bartholomæus Bertini; Goffredus et Johannes, coqui.

Cart. orig., folio 169, verso; copie, p. 417.

CDL.

De molendino de Tueth, et de capella Sancti Egidii.

(C. AN. 1125.)

Noscat tam præsentium multitudo quam futurorum successio fidelium, quod Gerorius, filius Gauterii, calumniabatur molendinum de Tueth, et capellam Sancti Egi-

dii de Collis, affirmans quod de fedio suo esset. Facta autem concordia cum abbate Gaudino, præsentibus ejus monachis Lancelino et Alexandro, concessit Deo et Sanctæ Mariæ quicquid prius in supradictis rebus, sive juste, sive injuste calumniatus fuerat. Hujus autem concessionis testes sunt isti: Robertus de Bloio ; Peloquinus, dominus Insulæ ; Goferius ; Bernerius de Campigniaco.

Cart. orig., folio 90, recto ; copie, p. 419.

CDLI.

Alaelmus Robillus tres operas terræ concedit.

(C. AN. 1126.)

Quoniam sancti patres pro suorum peccatorum remissione ditare ecclesias de rebus propriis constituerunt, hac de causa ego Alaelmus Robillus compulsus, honorare ecclesiam Beatæ Dei Genitricis Mariæ de Nuchariis de rebus propriis decrevi, scilicet III operas terræ, concedente Fulco comite. Testes hujus rei : Petro de Campo Caprario, et frater ejus Gaufridus de Claro Vallo ; Petro Raonnardo ; Roberto, præposito ; Gosberto de Mortono ; Gosberto de Lochis ; Gano.

Cart. orig., folio 94, verso ; copie, p. 421.

CDLII.

De terra quæ dicitur Cantat gallus.

(C. AN. 1126.)

Radulfus, filius Athelini, concessit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus terram *Canta galli*, cultam et incultam, boscum et prata, et molendinum de

Charriciaco, et pastum asinorum, et molendinum de Claustro, et aliquantum terræ juxta molendinum de parte Bosnaici; et ex alia parte calciatam sufficientem ad viam molendini, et quicquid in ea fecerint, concessit, et omnia quæ de progenie ejus, sive de proprio, sive de fedio ejus, monachi tenebant, in perpetuum possidenda. Testes : Aimericus, senior; et Aimericus, filius ejus; Aimericus de Tuschia; Brictius de Chillo; Petrus de Maximé; Bartholomæus Tharazum; Boso de Bosco; Lentellis; Araudus, canonicus; Petrus de Villereia.

Cart. orig., folio 200, verso; copie, p. 425.

CDLIII.

Terra et boscus dantur apud Campaniacum.

(C. AN. 1126.)

Ne per culpam negligentiæ nostræ de his quæ ad præsens aguntur post nostram memoriam, oblivione interveniente, jurgia et lites generentur, placuit nobis litteris assignare quod quidam vir Jherorius dedit Nuchariensi ecclesiæ et monachis ibidem commorantibus, terram et boscum quam habebat apud Campaniacum ante pontem. Annuerunt hoc uxor ejus Sibilla, et filii, Aimericus, Bartholomæus, Jerorius. Annuit hoc etiam Lemovicinus, et uxor ejus, filia ipsius Jerorii. Testes fuerunt inde Aimericus de Chanzhalea; Aicheverdus; Lancelinus et Alexander, monachi.

Cart. orig., fol. 93, recto; copie, p. 427.

CDLIV.

De terra de Mazolia.

(C. AN. 1126.)

Permanentium patrum filii et filiorum filii noscant usque in æternum futuri, quod ego Hubertus, presbyter, antequam monachus essem, emi terram de Mazolia de Burchardo Ganilone, quam dedi Sanctæ Mariæ Nuchariensi. Annuit hoc uxor ejus Aiha et filius ejus Galterius, et soror ejus, et Boso, nepos ipsius Burchardi. Testes : Paganus de Gablis ; et Jaquilinus et Petrus, famuli abbatis. Aliam quoque partem emi ab Effredo de Apulia, et operam terræ in alio loco. Testes : Petrus Folio ; Goffredus de Brisai ; Petrus et Jaquilinus, famuli Gaudini, abbatis.

Cart. orig., folio 144, recto ; copie, p. 431.

CDLV.

Galfridus Iterii dat omnes consuetudines quæ ipsi eveniebant in alodis de Polinniaco.

(C. AN. 1127.)

Notum sit omnibus fidelibus christianis Ecclesiæ filiis quod Galfridus Iterii, vir nobilis de Castro Araldi, omnes consuetudines quæ illi eveniebant de terra Radulfi Gabent et de terra Longi de Nuchariis, annuentibus hoc uxore et filio, dedit Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis de Nuchariis, quatinus ipsius sanctæ Dei

Genitricis Mariæ interventu, peccatorum suorum absolutionem assequi mererentur, et ut totius beneficii monachorum supradicti loci participes efficerentur, et ut monachi eos in suo cimiterio tumulent, si ipsi expetiverint. Dederunt autem supradicti monachi Gaufrido Iterii propter hoc decem et octo solidos, et ipse Gaufridus dedit dominæ suæ Rainfredi tres solidos pro annuatione, quia de illa habebat illas consuetudines, et Durandus monachus dedit illi II solidos, et fuerunt ita quinque et unum sextarium fabarum; quæ hoc annuit, ita dicens : « Ego Rainfredis, filia Petri Achardi, do et annuo omnes consuetudines quas habet Gaufridus, Iterii filius, de me in alodis de Polinniaco, quas ipse dat, me præsente, Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis de Nuchariis, pro anima patris mei, et pro caritate quam mihi dant, sicut Gaufridus et uxor ejus et filius dant, ita ego annuo monachis in perpetuum possidenda. »

Testes : Durandus, monachus, et famulus ejus Girbertus; Aimericus Fulco de Pictavis; Fulco, venderius; Gaufridus de Uxello, et frater ejus Araldus; Stephanus de Targiaco; Stephanus Garluppa; Stephanus Granolla; Ademarus Challo; Ademarus Chosmabith; Galterius de Villa Nova.

† S. Gaufridi.
† S. uxoris ejus.
† S. filii eorum.
† S. Rainfredis.

Cart. orig., folio 19, verso; copie, p. 433.

CDLVI.

Aimericus de Mota dat quidquid in area de Bonossa habebat.

(C. AN. 1127.)

Noverint omnes quod Aimericus de Mota, quicquid habebat in area de Bonossa et in procursu aquæ, dedit nobis monachis Nuchariensibus. Testes Goffredus Rugebec; Aimericus de Gatnai; Rainaldus Chinnet; Rainaldus de Pilis; Bruchardus de la Grailla; Rusellus, serviens noster.

Cart. orig., folio 164, verso; copie, p. 435.

CDLVII.

Effredus de Pullia, monachus factus, dat quædam bona pro sua professione.

(C. AN. 1127.)

Notum sit omnibus præsentibus et futuris, quod Effredus de Pullia, quando fuit monachus, dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus illud totum quod habebat Chavengniis, videlicet XX et II denarios et obolum de censu; qui census de Chavengniis debent reddi mense martio, festivitate Sanctæ Mariæ; et dimidium arpentum prati, et terram, et sex denarios de censu molendini castri de Insula; X et VIII denarios de censu qui est sub Cruzilias. Hujus rei testes sunt ii

quorum infra sunt nomina : Girardus Brochardus ; Paganus Martinus ; Brochardus Gano ; Gauterius, filius ejus ; Emiogerius, monachus ; Ubertus, monachus ; Paganus de Bro, monachus ; Aimericus de Chavengniis, qui erat prætor hujus rei de Chavengniis.

Cart. orig., folio 123, verso ; copie, p. 437.

CDLVIII.

De decima apud Parilliacum.

(C. AN. 1127.)

Johannes Campaniæ moriens concessit Deo et Sanctæ Mariæ in manu Johannis qui tunc erat prior de Parillé, decimam quam injuste tenuerat, et concessit hæc uxor sua Maria, et filius ejus Archembaldus, et Stephanus, et filia Piata. Testes : Aimericus, presbyter de Cravent ; Isembertus, clericus de Parillé.

Non post multum temporis, Aremburgis, nepta supradicti Johannis Campaniæ, moriens, Ebroinus, filius Andreæ Gosleni, maritus ejus, concessit quartam partem decimæ quam supra memoravimus. Concesserunt hoc filii ejus, Galterius et Euvardus. Testes : Giraldus, presbyter ; Andreas Laganus ; Ubelot ; Hubertus, frater majoris ; Brunel.

Postea concessit Assalit, frater uxoris Ebroini, qui habuit III solidos. Testes : Petrus, presbyter ; Ebroinus ; Peloquinus Truncus ; Albertus, armiger præpositi ; Michael, patruus Assalit ; Paganus Puta mater ; Guillelmus Gigot.

Robertus de Villa Branosa moriens concessit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis de Nuchariis, partem suam

quam habebat in supradicta decima. Post mortem vero ejus, Mabilla, uxor Roberti, et filii sui Aimericus, Petrus, Hugo et Aremburgis, calumniaverunt donum quod fecerat pater eorum. Quod audiens Rainaldus de Cor, prior de Parillé, dedit Aimerico duos solidos, Petro IIII denarios, Hugoni IIII denarios, et Arenburgi III denarios. Qui omnes fratres unanimiter Deo et Sanctæ Mariæ, et monachis concesserunt sicut dederat pater eorum. Testes : Giraldus, presbyter; Radulfus Roci; Fulco, major de Parillé; Odo Michum; Arnaldus Boster; Bartholomæus Doplaseit; Pallum de Sancto Stephano.

Cart. orig., folio 94, verso; copie, p. 439.

CDLIX.

Concordant monachi Nucharienses et Thies de Rupibus de feodo Johannis Anguille.

(C. AN. 1127.)

Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, quod Thies de Rupibus concessit Deo et Sanctæ Mariæ monachisque Nuchariensibus feodum Johannis Anguille, et molendinum de fonte Marcilliaci, et omnem ripariam ejusdem vici, et terram quamdam pertinentem ad domum Doxiaci. Hæc omnia enim calumniabatur, licet injuste; sed acceptis a monachis septem libris in caritate, universam calumniam illam dimisit quiete. Hoc idem concessit mater ejus, nomine Petronilla, accepta a supradictis monachis vacca una. Fratres etiam ipsius Tyasii hoc concesserunt, Simon videlicet et Rotbertus, quorum unusquisque quinque solidos exinde habuit.

Testes qui hæc viderunt et audierunt sunt : Petrus Goscelini; Symon de Nugastro, et Petrosilus, filius ejus; Andreas de Balneolis; Assalitus; Rainaldus Barbatus; Achardus Fascinans vetulam; Adelelmus Bobellus; Adelelmus de Turre; Goffredus de Bornem. Facta est hæc concordia in via quæ ducit Nugastrum, tempore abbatis Gaudini, ante crucem buxatam monachorum, videntibus his quos supra memoravimus et multis aliis.

Cart. orig., folio 143, recto; copie, p. 411.

CDLX.

Contentio de obolo quem monachi habebant in Portu de Pilis.

(C. AN. 1128.)

Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus Guidonem de Calvinniaco olim calumniatum fuisse monachis Nuchariensibus obolum quemdam quem ipsi habebant in Portu de Pilis. Dicebat enim obolum illum fuisse parentum suorum, et sine consensu et assensu suo monachos ipsum tenere. Tandem facta est concordia inter Gaudinum tunc temporis abbatem et prædictum Guidonem. Dederunt ei monachi sexcentos solidos in caritate. Ipse autem obolum illum Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi et abbati Gaudino ac monachis concessit. Hæc concesserunt uxor ejus Helisabeth, et neptis sua Maria, uxor Philippi de Bellomonte, et nepos suus Guido.

Testes hujus rei fuerunt : Philippus de Bellomonte; Hugo de Chabanees; Aamers Panet; Goffredus Greneis;

Boso Ganilonis; Petrus, famulus; Achardus Fascina vetula; Rainaldus de Pilis.

Cart. orig., folio 60, verso; copie, p. 443.

CDLXI.

Guido de Calvinniaco annuit alodia de Dracheaco.

(C. AN. 1128.)

Notum sit quod Guido de Calvinniaco concessit monachis Nuchariensibus quicquid donaverat pater suus in Portu de Pilis, et alodia de Dracheaco, et quicquid dederant antecessores sui monachis in eleemosynam. Monachi vero dederunt ei in caritate quingentos solidos. Fecit autem hanc concessionem antequam uxorem duxisset. Concessit hoc Gosbertus avunculus suus, decanus Sancti Petri, qui habuit in caritate II marca argenti. Testes: Radulfus Barba torta; Guillelmus Turbatus; Gaufridus Choeta; Aimericus Boquenellus; Goscelinus de Cheneché; Achardus Fascina vetula; Andreas, sutor; Rainaldus de Pilis.

Concesserunt hoc Juliana et Maria. Testes: Gauvens de Cheneché; Paganus de Mille; Merchinotus, miles.

Cart. orig., folio 35, verso; copie, p. 445.

CDLXII.

Guido de Calvinniaco dat partem quam habebat in Portu de Pilis.

(C. AN. 1128.)

Quoniam præcedentium patrum eleemosynæ et præordinata facta scripturæ memoriæ non traduntur, multo-

tiens oblivioni dantur. Ideo in hac carta ne contentio et calumnia oriatur, et ne oblivioni tradatur, tam futuris, quam præsentibus hominibus notificamus quod Guido de Chalvinniaco, dominus de Chenechiaco, illam quam in Portu de Pilis partem, quam multotiens calumniatus fuerat, pro remedio animæ suæ et parentum suorum, in eleemosynam Deo et Beatæ Mariæ et monachis Nucha-riensibus dedit et concessit. Et insuper aliam partem ejusdem portus, quam ipsi monachi possidebant, et alodia de Drachiaco, et quæcumque ipsi monachi tenent in eleemosynam ab antecessoribus supradicti Guidonis eisdem monachis concessit. Hujus rei testes sunt ii quorum infra scripta sunt nomina : Guanelo, decanus ; Boso, capitherius; Radulfus Barba torta; Goslenus, archipresbyter; Ulricus, presbyter; Guillelmus Turbatus; Goffredus Joeta; Aimericus Boquenellus; Goscelinus de Chenecheaco; Boso Adelardus de Rupe; Achardus Magnus; Andreas, sutor, et frater ejus Garinus; Laurentius Arotellus. Testes Julianæ et Mariæ sunt ii : Bernardus , monachus ; Aimericus, clericus ; Gauvens de Chenichiaco; Meschinotus, miles; Paganus Milleiaco; Petrus; Aimericus.

Iterum alia assertio et concessio, quam fecit Guido de Calvinniaco, dominus de Chenechiaco, et nepta sua domina Maria, uxor Philippi Bellimontis, et nepos suus Guido, monachis Sanctæ Mariæ Nuchariensis. Hujus rei testes sunt : Guido, dominus Canuti Capitis, qui fuit dator et concessor ; et Philippus domini Bellimontis; et Hugo de Chabannes ; et domnus Adhemarus Panetus ; et Helisabeth, conjux Guidonis domini Canuti Capitis; et Gaufredus Greneirs; et Boso Ganilonis.

Cart. orig., folio 180, recto ; copie, p. 471.

CDLXIII.

De molendino Gosleni et de vinea apud Parilliacum.

(C. AN. 1128.)

Ad notitiam tam præsentium quam posterorum mandare curavimus quod Aimericus, cognomento Boslardus, in infirmitate positus, dedit Sanctæ Mariæ Nucariis ibique ad serviendum Deo congregatis monachis omnia quæcumque habebat in molendino quod dicitur Gosleni, dimidiam scilicet partem ipsius molendini, et potestatem ponendi molendinarium vel deponendi, et farnagium ejusdem molendini, quod est in aqua quæ vocatur Clens, fluens juxta Rupem quæ dicitur Clerimalis. Hoc beneficium concesserunt filii ejus Goffridus, Johannes et Garnerius, inque concessionis signum, baculum quemdam super altare Sanctæ Mariæ Nuchariis miserunt; pro cujus rei concessione, illi tres fratres monastici beneficii hujus cœnobii facti sunt participes, videntibus Frumentino et Arnulfo; Fulcone Bucherio; et Thebaudo, coquo; Viviano Bursado; Orrico, presbytero; Rispaudo Rispallum; Christoforo; Petro, famulo; Johanne Chillo.

Notum esse volumus cunctis fidelibus quod Raginaldus de Aiona dedit Deo et monachis Sanctæ Mariæ Nuchariensis vineam quam habebat in villa quæ vocatur Parilliacus, ante ecclesiam, concedente domino Pagano, filio Johannis de Chainone, de cujus casamento erat, et uxore ejus Biluza, et filio ejus Johanne. Testes sunt : Garnerius de Viriliaco; et Tezelinus de Druio.

Cart. orig., folio 94, recto; copie, p. 447.

CDLXIV.

Monachi accipiunt terram juxta ecclesiam Sancti Egidii, et aliam terram post domum leprosorum.

(C. AN. 1129.)

Filiis parentibus in pejus quotidie succedentibus, quia quod illi ecclesiis pro animabus suis dederunt, isti calumniantur, rectum esse judicamus ut, quod præsentes agimus, futuris notificemus. Ego igitur Mathæus, Savarici filius, annuo Deo et Sanctæ Mariæ ecclesiæ Nuchariensis, pro anima patris mei et parentum meorum terram quamdam quæ est post ecclesiam Sancti Egidii intra terram monachorum, quam dedit Mainardus factus monachus cum alia terra quæ est post domum leprosorum, et illam et istam dono et concedo monachis perpetuo possidendam, ita ut censum monachi ex utraque reddant quinque denarios.

Testes hujus rei : Nicholaus monachus, qui dedit ei VII solidos in caritate; Rainaldus Farcismus, qui habuit inde sextarium avenæ; Goscelmus de Monte Basonis; Alo, præpositus; Arenbertus, cliens ipsius Mathei.

Cart. orig., folio 119, verso; copie, p. 449.

CDLXV.

Rotbertus Boninus de Sancto Spano dat cœnobio Nucha-riensi asinatam vini.

(C. AN. 1129.)

Notum sit quadripartiti orbis fidelibus quod quidam industrius vir, incola burgi Sancti Spani, nomine Rotbertus Boninus, dedit Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi, pro salute animæ suæ et pro intercessione sanctæ Dei Genitricis in æternum promerenda, singulis annis asinatam vini, concedente uxore sua Mainsende, et filiis suis Arnaldo, Raginaldo, Guillelmo.

Audientibus his testibus : Goffrido, clerico; Picardo Pellifico ; Bernardo Vaslino ; et aliis quampluribus.

Cart. orig., folio 34, recto ; copie, p. 431.

CDLXVI.

Concordia inter Gaudinum abbatem et Aimericum vice-comitem de hominibus Busseriarum.

(C. AN. 1129.)

Non parum profuturum esse posteris credimus cum ea quæ præsentes agimus, ne per dierum evolutionem transeant, in litterarum memoria fixa retinemus. Memoriæ igitur præsentium et futurorum tradimus, quod Aimericus vicecomes, quosdam homines qui Busseriis manebant calumniabat, volens habere in eis consuetu-

dines, sicut in aliis consuetudinariis suis. Facto autem placito et concordia cum eo, Lamcelinus monachus, qui tunc erat prior Busseriarum, dedit ei octo libras ut ab hac calumnia ipse et heres ejus in æternum conquiesceret. Itaque Aimericus vicecomes dedit et concessit in perpetuum Deo et Beatæ Mariæ et ecclesiæ Nuchariensi, et monachis ibi manentibus, omnes homines qui erant et manebant eo tempore Busseriis, vel qui in futurum manebunt, et fructum eorum, de quacumque terra vel quacumque parte venissent, absolutos eos relinquens ab omni querela et consuetudine, et res eorum et possessiones, ubicumque eas haberent. Firmatum est hoc et factum in manu abbatis Gaudini, Lancelini et Moysi monachorum ejus; Goffrido Amassart, præposito; Rotberto Cortaudo; Peloquino de Chasnes; Gauterio de Nantriaco; Angevino et Becumea, fratre ejus; Cadio.

Annuerunt hæc omnia Radulfus de Monteforti, et Hugo, frater ejus, et Aavis, soror eorum, filii vicecomitis. Testes : Goffridus Amassardus, præpositus; Aimericus Arbaudus; Mainardus Massellus; Goffredus de Mirmanda; Guillelmus Chauchet.

Cart. orig., fol. 195, verso; copie, p. 453.

CDLXVII.

Dantur monachis quatuordecim denarii censuales ad Bosnaicum.

(C. AN. 1130.)

Noverint præsentes et futuri quod Gauterius *Plica villanum* dedit Deo et ecclesiæ Nuchariensi post obitum suum quatuordecim denarios censuales quos habebat

ad Bosnaicum, et quamdam partem terræ quam ibidem habebat juxta nostram. Hoc donum viderunt et audierunt Aimericus, avunculus ejus, de Sancto Savino, et Burchardus de Mirmandia; Aimericus de Tuscia. Annuit hoc etiam et vidit Araudus de Tuscia, sororius ejus. Testis Aldebertus de Valle Rotrudis; Lamcelinus, monachus; Alexander, monachus.

Cart. orig., folio 201, verso; copie, p. 457.

CDLXVIII.

De donis Joannis Alexandri.

(C. AN. 1130.)

Noscant præsentes et futuri, quod Johannes Alexandri et soror ejus Galiena dederunt et concesserunt Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus, quicquid habebant apud Moncellis de feodo Ribotelli, et ad Poligné de feodo Gervasii de Jarria, et apud Busserias, et quicquid habebant a Barra Vilenne usque ad nos. Concesserunt hoc Rabant, qui habuit xx solidos in caritate; Guillelmus, frater ejus, qui et XII denarios; Guinosa, mater eorum, xx solidos; Josbertus, maritus ejus, III solidos; Petronilla, uxor Johannis, xx solidos; et Amelina, soror Petronillæ, et Gano, maritus ejus, et Bartholomæus, filius eorum, qui et XL solidos habuerunt. Concesserunt filii Galienæ, Guillelmus, Matheus, Juliana, Maria, Pelosa, et Rainaldus Bigris, et Fulcherius. Ii omnes concesserunt et super altare Sanctæ Mariæ cum baculo donum fecerunt. Galiena habuit sexaginta solidos et unum caput fusteniæ. Testes: Petrus Raimbaldi; Barbot; Bernegaut de Moncellis; Pa-

ganus Pinum ; Aligannus ; Aimericus Draper; Guituns Liquus Liper; Bocellus, clericus ; Goffredus Anxerii; Goffredus Pinum. Ex parte nostra : Mauricius de Situla ; Johannes Dede ; Yrvisus ; Burcardus de Grailla ; Araldus Acardi ; Guillelmus Guttreddi, et Tethbertus, frater ejus ; Gorrant et Ridellus de Villenne.

Cart. orig., folio 35, verso; copie, p. 159.

CDLXIX.

Pipinus concedit alodum et molendinum de Gatnaico.

(C. AN. 1130.)

Memoriæ et scripto commendamus quod Pipinus concessit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus in Nuchariensi capitulo alodum et molendinum de Gatnaico, quæ ipse Pipinus multis modis calumniatus fuerat ; et monachi dederunt Pipino septem libras denariorum, et beneficium ecclesiæ, et insuper concesserunt Pipino eumdem recepturum, vel unum de filiis ejus ad monachum.

Testes hujus rei sunt : Barret ; Andreas Christofori ; Rainaldus Chinnet ; Odo de Albinniaco ; Amelinus ; Andreas, sutor ; et frater ejus Guarinus.

Hoc concessit Maria, uxor Pipini, et filii eorumdem, Gaufridus, Lucas, Bertrannus, et filia eorum Cecilia. Testes hujus rei sunt : Drogo Plenelli ; Matheus, monachus ; Rainaldus Bernoinus ; Thebaudus Bernoinus ; Petrus Bochardus Fetardi ; Effredus Rabastet ; Gaiarnerius, et Rollandus, frater ejus ; Aimericus de Volort ; Ursellus.

Cart. orig., folio 208, verso ; copie, p. 468.

CDLXX.

Guido de Septimis et Barbota concedunt decimam in feudo Guillelmi Radulfi.

(C. AN. 1130.)

Notum sit omnibus præsentibus et futuris quod Guido de Septimis et Barbota mater ejus dederunt Deo et Sanctæ Mariæ Nuchariensi et monachis Nuchariensibus decimam quam habebant in feudo Guillelmi Radulfi, tali pacto ut abbas et monachi concedant eam Goscelino, fratri Guidonis, quamdiu vixerit, et ubicumque fuerit. Testes hujus rei : Guicherius, presbyter; Rainaldus Mestiverius; Arnaldus de Septimis; Sivaldus, monachus; Nicholaus de Valentia; Simon de Sancto Spano.

Cart. orig, folio 59, verso; copie, p. 465.

CDLXXI.

Concordant Hugo, filius Aimerici, et monachi Nucharienses, de terra de Crulliaco.

(C. AN. 1130.)

Ego Hugo, filius Aimerici filii Stephani, et monachi Nucharienses, diu habuimus discordiam de terra de Crulliaco. Tandem concordantes invicem ego et uxor mea dedimus et concessimus eis plurima, quæ, quia in alia cartula, cujus ipsi medietatem, et nos aliam sub chirographo habuimus, habentur scripta, huic inscribere prætermisimus. In ipsa nostra concordia, dederam me Nucha-

riensi ecclesiæ post decessum meum ad sepeliendum; sed quia hoc idem prius feceram monachis Sancti Jovini in infirmitate positus, consilio cum amicis accepto, ut mihi monachi Nucharienses culpam istius doni quod illis feceram condonarent, dedimus eis ego et uxor mea omnem decimam de omni terra quam præsentialiter habent, sive adquirere poterunt, et de illa omni terra quam excoluerint propriis aratris in parrochia Sancti Stephani de Sarinniaco. Dedimus eis et terram de Salicula, id est Salzleth, cujus Huldeius habet partem ad consuetudinem, et ipsam consuetudinem dedimus, insuper et centum solidos.

Testes: Robertus, presbyter de Sarinniaco; Hugo Folmeschins; Boso de Boscolentoldis; Avignon, filius Ainardi de Luens.

Cart. orig., folio 86, recto; copie, p. 167.

CDLXXII.

Goffredus de Ferreriis dat vineam apud Baleelma, et quatuor solidos census apud Haiam.

(C. AN. 1131.)

Noscant præsentes et futuri quod quidam vir, Goffredus de Ferreriis nomine, dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus decimam quamdam vineæ suæ quæ est apud Baleelma. Ipsa vinea est de feudo Guidonis de Spinis, et sunt sex arpenni et dimidius. Testes: Petrus Goscelini; Rainaldus Chinnet; Goffredus, parator; Tetbaudus, carpentarius; Andreas, sutor; Rusellus.

Notum sit præsentibus et futuris quod Gaufredus de Ferreriis, volens esse in beneficio ecclesiæ nostræ, quæsivit a Barbota et filiis ejus, Guidone scilicet et Geval Chesul, quatuor solidos census de vineis quos debebat ipsæ Barbotæ apud Haiam, dari Sanctæ Mariæ et ecclesiæ Nuchariensi ; ita scilicet ut nulli amplius de censu illo respondeat, nisi abbati et monachis Nuchariensibus, et ipsi pro hac causa, si quis eum de hac re molestare voluerit, in omnibus secundum consuetudinem aliarum eleemosynarum nostrarum defendere insistant. Ipse vero Gaufridus, ut res ista in æternum firma teneatur, dedit in caritate Barbotæ sex libras ; Cheval Chesul, xx solidos ; Arnaldo viro suo, x solidos ; et Guidoni similiter x solidos. Testes : Petrus Goscelini ; Goffredus, parator ; Tetbaudus, carpentarius ; Andreas, sutor ; Rusellus.

Cart. orig., folio 78, verso ; copie, p. 469.

CDLXXIII.

Monachi Nucharienses nullam consuetudinem reddent in pedagio de Campaniaco.

(C. AN. 1131.)

Notum sit omnibus quod Rotbertus de Blo dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus, tempore abbatis Gaudini, ut nullam consuetudinem reddant monachi supradicti de omnibus rebus suis in pedagio de Campaniaco, testibus et audientibus istis : Effredo Goscelini ; Bernerio de Campaniaco ; Gauterio de Forgis ; Aucherio ; et Guiterno, clientibus suis.

Cart. orig., folio 88, verso ; copie, p. 473.

CDLXXIV.

Frotgerius Barba, incola Castri Araudi, dat silvam de Molri pro sepultura sua.

(C. AN. 1131.)

Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Ecclesiæ, quod quidam vir nobilis, incola Castri Araudi, Frotgerius, cognomento Barba, in infirmitate positus, convocavit amicos et proximos suos, inter quos Gaudinum abbatem de Nuchariis ad se venire fecit, et eodem abbate præsente cum proconsule Castri Araudi, et multis aliis, ordinavit isdem Frotgerius de rebus suis, quid vellet dare pro anima sua. Voluit autem esse monachus, sed uxor noluit ei dare licentiam; sed quia monachus esse non potuit, tunc quantum potuit, fecit. Semetipsum dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis, ut si monachus unquam esset, in nulla alia ecclesia monachus esset, nisi in Nuchariensi ecclesia; et si in sæculari habitu obiisset, apud Nucharios corpus ejus tumularetur. Dedit autem ecclesiæ Nuchariensi quicquid habebat in silva de Molri, et duos solidos Pictavensium quos debebant ei monachi de Busseriis censualiter. Annuit autem hoc uxor ejus Petronilla, et filius ejus Galterius.

De illa autem infirmitate convaluit postea, et non post multum tempus mortuus est sine alia commendatione eleemosynæ. Voluit autem corpus ejus portare abbas de Nuchariis ad monasterium suum, sicut conventum erat, et ipse multoties jusserat, sed quia omnis Pictavorum regio excommunicata erat, non est ausus eum movere abbas de loco in quo erat. Tamen eleemosynam

ejus, sicut ipse prius ordinaverat, ita annuerunt jam dicto abbati et ecclesiæ Nuchariensi uxor ejus et parentes, scilicet silvam de Molri, et duos solidos census de Buxeriis. Dedit autem eis supradicta uxor Frogerii quicquid datum fuerit eis de suis casamentis, ita tamen ut ex toto caput casamenti non perdat.

Testes : Aimericus, proconsul Castri Araudi ; Belotus de Claris Vallibus ; Vivianus de Mallai, et filius ejus Thomas ; Paganus Barba et frater ejus Rainaldus ; Araldus ; Acardus ; Radulfus, peregrinus ; Gualterius, filius Gosceranni.

Cart. orig., folio 191, verso ; copie, p. 391.

CDLXXV.

Alcherius clericus, factus monachus, dat olcam et domum.

(C. AN. 1131.)

Idcirco quæ agimus litterarum memoriæ commendamus, ne successores possint destruere quod præcessores conati sunt statuere. Sciendum est igitur quod Alcherius clericus dedit Deo et Sanctæ Mariæ olscham quæ est juxta fontem, et domum suam, quæ est juxta ecclesiam, et pro hac re factus est monachus. Annuerunt hoc filii ejus, Laidels et Tirels, et Maledoctus, et Robertus Chorils, et filiæ ejus. Inde testes fuerunt : Petrus Wlerna ; Roaldus Brito ; Christoforus ; Mischinus ; Goffridus Piraus ; Adelardus.

Cart. orig., fol. 146, recto ; copie, p. 181.

CDLXXVI.

Isorezus dimittit calumniam quam inferebat monachis.

(C. AN. 1131.)

Ad successorum notitiam per litterarum monimenta transfundimus, quod Isorezus calumniam nobis inferebat pro quibusdam beneficiis quæ in nobis antecessorum uxoris suæ Orisæ devotione collata fuerant; sed postea annuit nobis omnia quæ de progenie uxoris suæ habebamus. Unde in caritate decem solidos habuit. Quos Radulfus monachus, ipso jubente, Heliæ clerico fratri ejus tradidit, videnle Roberto; sed et decimam de quadriga nostra quam minuere calumniando voluerat, ex integro annuit. Testes: Petrus de Monte Basonis; Gaufredus Brisa hastam; Gaufredus Busonus; Augerius Veziatus; Hugo Burgonius.

Cart. orig., folio 75, verso; copie, p. 487.

CDLXXVII.

Bernardus, presbyter de Antoniaco, concedit domum quam emerat a servo Gaufridi.

(C. AN. 1132.)

Noscant præsentes et futuri quod Bernardus, presbyter de Antoniaco, venit in capitulum præsente Bernerio abbate et monachis, et ibi coram omnibus dedit et concessit domum quam emerat de Tetberto servo Gaufridi de Mirmandia, et monachi dederunt ei terram quæ erat

inter domum et ecclesiam ; et quicquid in ea ædificaverit, totum monachis post obitum suum concessit. Testes : Hugo de Antoniaco ; Pigno Radulfus de Faita ; Odo de Albigné.

Cart. orig., folio 59, recto ; copie, p. 507.

CDLXXVIII.

Rainaldus de Cor, prior de Parilliaco, compositionem facit cum filiis Lanfredi de Plaseit.

(C. AN. 1133.)

Notum sit præsentibus et futuris quod Lanfredus de Plaseit dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nuchariis duos denarios de censu de terra quæ est apud Parilliacum ante ecclesiam. Non post multum temporis, calumniaverunt hoc filii et filiæ ejus : Homo Dei ; et Achardus ; Constancia et Margarita. Quod videns Rainaldus de Cor, qui tunc erat (prior) de Parilliaco, ivit ad eos, et dedit Homini-Dei duodecim denarios, Achardo caligas pretio decem denariorum, Constanciæ III denarios, Margaritæ III denarios. Qui omnes supradicti fratres et sorores Deo et Sanctæ Mariæ et monachis supradictum censum concesserunt, sicut dederat pater eorum. Testes : Giraldus, presbyter ; Castinellus ; Gosbertus Rabi ; Giraldus do Plaseit ; Hubertus de Parilliaco.

Cart. orig., folio 94, verso ; copie, p. 509.

CDLXXIX.

Matheus et Drogo de Monte Aureo dant Majori Monasterio alodum de Chassannia. — Nucharienses monachi commutant cum Majoretanis alodum de Monediaco pro Chassannia.

(C. AN. 1050.)

Notum sit posteritati nostræ donationem alodi Chassaniæ a duobus fratribus hoc ordine factam fuisse. Quidam igitur miles, nomine Hugo, Burgundio prænominatus, apud castellum Sanctæ Mauræ cum a rege teneretur, et a Gaufrido comite (1) obsideretur, interfectus est; cujus corpus cum Majus Monasterium humandum esset delatum, ibique ab ejusdem loci monachis sepulturæ traditum, Matheus et Drogo de Monte Aureo, quorum frater fuerat, valde illius casui condolentes, pro ipsius animæ ereptione alodum de Chassannia, quod isdem eorum defunctus frater de Hugone Genetensis castri domino in fœvum tenuerat, cum pratis et vineis et silvis et omnibus quæ ad idem pertinent alodum, præter decimam, quæ alterius juris est, ab omni calumnia omnique consuetudine, seu alicujus redditus exactione, liberum absolutumque, sicut ipse Hugo possederat, Sancto Martino perpetualiter donavere.

Hoc autem alodum intra pagum Turonicum versus Pictavis fines constitutum, tribus fere millibus a castro Noiastro disparatur. Positum vero est uno in loco totum, exceptis his terrarum ad illud pertinentium partibus,

(1) Gaufridus II, dictus Martellus, comes Andegavensis.

quæ extra terminos ejus seorsum sitæ sunt. Inter duas namque villas, id est Fraxinum et Dolam, habentur in uno loco VI fere arpenni silvæ, et in altero V sunt, et inter easdem villas VI portiones arabiles terræ, quæ non simul, sed separatim sitæ, tot mensuris seminum æstimantur posse sufficere. Prima quidem portio VIII fere sextariis sufficit: secunda IIII, tertia duobus, quarta vero continet I arpennum, quinta dimidium, sexta alterum dimidium. Habentur etiam præter has in diversis locis portiones tres. Prima portio dimidio fere modio sementis sufficit, et est apud castrum quod vulgo Gronnium appellatur; secunda alteri dimidio, et consistit in villa quam nominant Greziacum; tertia VIII sextariis, et est posita circa domum Ademari Borelli.

Hæc erga omnia ut Sanctus Martinus ad integrum absque cujusquam contradictione æterna ditione possideret, memorati fratres Matheus videlicet et Drogo, præfatum Hugonem de Genetensi castro, cui illud alodum jure hereditario competebat, cum de Sancto Salvatore Karrofensi, quo gratia orationis ierat, per Majus Monasterium rediret, adeuntes, devote illi supplicavere ut donum quod pro fratre suo et pro se fecerant, eidem sancto sua annueret auctoritate, non minus fidei ac devotionis erga ejus famulatum se exhibituros pollicentes, quam si id suis usibus retinuissent. Nec mora. Hugo qui a domno abbate Alberto (1) cæterisque fratribus pro hoc ipso similiter fuerat deprecatus, voluntati eorum humanissime paruit. Nam postera die veniens in capitulum, cum societatem loci, quam ob id petierat ipse et uxor ejus Agnes, omnesque qui cum ipsis venerant, suo precario accepissent, facto prius, sicut moris est, aucto-

(1) Albertus, abbas Majoris Monasterii, ab anno 1034 ad annum 1064.

rizamenti dono, præsentem chartam quæ de eodem facta fuerat alodo, primo uterque tangendo firmavit, dehinc unumquemque suorum tactu proprio ad ipsum firmare jussit. Post hæc cum de loco quo sederant surrexissent, ipse Hugo et jam dicta ejus conjux Agnes, ratam fore volentes quam Deo obtulerant oblationem, auctorizamenti donum ab eis sicut retulimus facti, super altare Sancti Martini ambo illud e regione tenentes posuere, multis et de suis et de familia Sancti Martini videntibus, qui tunc præsentes ibi affuere. Quorum omnium nomina et prænomina distincte subscripta deorsum est cernere, ut hujus rei veritatem scire volenti liquido pateat, qui ex hominibus Hugonis istud auctorizamentum tantummodo videre, et qui ex familia Sancti Martini, non solum idipsum, sed etiam donum antea fieri a prædictis fratribus conspexere.

Ex hominibus Hugonis :

Herbertus, filius Alberici, filii Seinfredi, episcopi Cenomanensis (1); Hideardis, mater ejus; Guillelmus Troet; Nichardus, filius Gauscelini; Constantinus, clericus; Richardus, serviens Hugonis; Ingelbertus Multonus; Rotbertus Boxellus; Gausbertus de Monte Ursini; Lambertus Niger Grunio; Girardus, frater Agnetis, uxoris Hugonis; Letardus, filius Constancii de Marciaco.

Ex familia Sancti Martini :

Anseisus, cellerarius; Rainaldus, pistor; Galterius, pistor; Giraldus, frater ejus; Hilduinus, sartor; Herbertus de Tristico; Lambertus Bruno; Giraldus de Berneciaco; Bernardus, hospitalarius; Giraldus, hos-

(1) Segenfridus, episcopus Cenomanensis (971-994), mulierem accepit Hildeburgem, episcopus licet et senex, ex qua genuit filias filiumque, nomine Albericum.

pitalarius ; Benedictus, sartor ; Ebrulfus , cellerarius ; Stephanus , caprarius; Ricardus , filius Galterii Botini ; Rotbertus , filius Adelardi; Arnulfus , sartor ; Guillelmus, filius Aszoins , vicarii de Castro novo.

(Anno 1134.)

Hujus monimento chirographi nos fratres Majoris Monasterii præsentium et futurorum nostrorum memoriæ commendamus, quod inter nos et carissimos amicos nostros in Christo , Nucharienses scilicet monachos , talis quædam commutatio facta est et in utroque capitulo , nostro videlicet et suo , confirmata. Habebant namque præfati Nucharienses monachi quamdam partem bosci et terram bosco eidem proxima prope Monediacum , et nos quamdam terram , quæ de Chassania vocatur , illis proximam habebamus. Annuentibus igitur abbatibus ambarum ecclesiarum, domino scilicet Odone, abbate nostro , et domino Bernerio Nuchariensi abbate , et utroque capitulo benigne concordante, a nobis terra nostra de Chassannia et quicquid ibi habebamus illis perpetuo habenda concessa sunt ; et ab eis quicquid apud Monediacum habebant , boscus scilicet et terra , nobis æterna possessione tenenda concessa sunt , nisi talis calumnia de bosco et terra illorum nobis insurgeret , ut eumdem boscum et terram nobis adquietare non valerent. Si enim ita contingeret , concordatum est ut et nos rem nostram de Chassania, et illi suum boscum et terram de Monediaco reciperent. Actum in utroque capitulo et confirmatum anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo tricesimo quarto.

Cart. orig., folio 29, recto ; copie, p. 495.

CDLXXX.

Rothbertus Testaudus, factus monachus, dat bona quæ habebat in libero alodo.

(C. AN. 1134.)

Sciant præsentes et futuri quod Rothbertus Testaudus factus monachus, Deo et Sanctæ Mariæ concessit et dedit terram et vineas quas habebat in libero alodo.

Annuit hoc Godinus, presbyter, frater ejus. Testes : Odo Carruca ; Hugo, cliens monachorum.

Cart. orig., fol. 96, recto ; copie, p. 493.

CDLXXXI.

Boso de Alberiis, Johannes et Rotbertus dant terram ad Pussiniacum.

(C. AN. 1134.)

Sciendum est præsentibus et futuris quod Boso de Alberiis, et fratres ejus, Johannes et Rotbertus clericus, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ terram quam habebant ad Pussiniacum, cum censu et bosco et aqua, pro anima matris suæ, Calvæ nomine. Testes hujus rei fuerunt Tetbaudus, carpentarius ; et Rosselus, Ergolus cognomine.

Cart. orig., folio 164, verso ; copie, p. 559.

CDLXXXII.

Petrus Goscelini dat ecclesiæ Nuchariensi denarium quotidie percipiendum de Portu de Pilis.

(C. AN. 1134.)

Ea quæ præsentes agimus ad posterorum memoriam litteris mandare curamus ne per fluxum præsentium in errorem mittatur posteritas futurorum. Noscant igitur præsentes et futuri quod ego Petrus Goscelini, pro remedio animæ meæ seu parentum aut filiorum meorum, et pro concordia quam feci cum Bosone de Alberiis de morte fratris sui Johannis, pro quo etiam quemdam monachum feci in monasterio quod vocatur Nucharius, dedi Deo et Sanctæ Mariæ denarium quem accipiebam quotidie de parte monachorum in Portu de Pilis, qui ad summam computatus, per annum xxx solidos et sex denarios facit.

Annuunt hoc filii mei, Uries, Aimericus, Ademarus, Johannes, Rocheria.

Testes hujus rei fuerunt : Thomas, cliens meus ; Amalvinus ; Galterius et Bernerius, cæmentarii, qui in illo tempore capellam infirmorum faciebant.

Cart. orig., folio 56, verso; copie, p. 549.

CDLXXXIII.

Boso de Alberiis concedit monachis totum feodum de Esculio, pro anima fratris sui Johannis interfecti.

(C. AN. 1134.)

Omnibus tam futuris quam præsentibus hominibus notificamus quod Boso de Alberiis, dolens de morte Johannis fratris sui de Alberiis, qui interfectus fuerat subter Motam Noestri ab Hulie et sociis suis, in capitulo Nucarius in præsentia domni Bernerii abbatis et totius capituli venit, et cum eo amici et cognati sui, Guillelmus Turbatus, Arduinus Turbatus, Helias Turbatus, Froterius Turbatus, fratres Guillelmi Turbati, venerunt, et ibi Boso de Alberiis pro remedio animæ fratris sui Johannis de Alberiis et pro se et pro animabus parentum suorum, totum feodum integrum, videlicet decimam de Esculio, vineas et prata et censum, et terram arabilem, sicut Alexander, pater suus, et Chalva, mater sua, et alii antecessores sui ab Ulie et a Petro Goscelino tenuerunt, ita feodum integre totum ubicumque sit, Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus in eleemosynam dedit, et cum baculo super altare hanc eleemosynam posuit. Hoc donum et hanc eleemosynam, Guillelmus Turbatus, Arduinus Turbatus, Helias Turbatus, Froterius Turbatus, concesserunt. Hujus rei testes sunt: Gaurinus de Burgo novo; Tebaudus, filius ejus; Guillelmus, nepos abbatis Bernerii; Bertolot, filius Bertini; Tebaudus, carpentarius; Daniel, sutor.

Postea vero, Alexander monachus, pater Bosonis et Johannis de Alberiis, pro quo fuit data eleemosyna, ad

alium filium suum Rotbertum, canonicum Sancti Georgii, ad Fagiam perrexit, et ibi Rotbertus canonicus, et Valentia, et filii ejus, hoc donum et hanc eleemosynam supradictam fratris sui Johannis de Alberiis, coram patre suo Alexandro monacho concesserunt. Hujus concessionis testes sunt: Goffredus de Vendum; Obbertus; Gislebertus Archaloes; Martinus; Aimericus; Hugo; Valentia.

Non post multum vero temporis, post multam calumniam et contradictiones, instigante Spiritu Sancto, Petrus Goscelinus, de quo movebat feodum istud supradictum et tenebat Boso de Alberiis, ipse Petrus Goscelinus et Petrus, filius suus, in capitulo in præsentia domni Bernerii abbatis et totius capituli, (donum quod Boso) pro anima fratris sui Johannis de Alberiis fecerat, totum videlicet integrum feodum, scilicet decimam de Esculliaco, vineas et prata, et censum et terram arabilem, et omne ubicumque sit, Deo et Beatæ Mariæ Nucarius et monachis Nuchariensibus ipse Petrus Goscelinus pater et Petrus filius ejus Rufus concesserunt, et cum baculo super altare Sanctæ Mariæ hanc eleemosynam posuerunt, cum caritate tamen XVII librarum nummorum et dimidiam libram. Hujus concessionis testes sunt: Almavinus; Achardus Fasnavetula; Guarinus de Burgo novo; Tebaudus, filius ejus; Guillelmus, nepos Bernerii abbatis; Daniel, sutor; Gauterius de Moncellis; Josbertus et Tebaudus, frater ejus; Arnulfus, filius Radulfi; Botillerius; Bertolot, filius Bertini; Assalit.

Eadem die vero Goscelinus apud Noestrum plagarum infirmitate infirmus jacebat, ideoque cum Petro Goscelino patre suo et Petro fratre suo Rufo in capitulo veneri non potuit ad concessionem istam; sed Petrus monachus cellararius ad Noestrum perrexit ad eum ubi

jacebat, et ibi Ugo Goscelinus, sicut pater suus Petrus Goscelinus et frater suus Petrus Rufus in capitulo concesserant, ita concessit cum caritate supradicta, coram his testibus : Benedicto *Facto caballo ;* Achardo Fasnavetula ; Tebaudo Garino ; Andrea Burrello ; et Gauterio, fratre ejus ; ex parte sua Assalit.

Postea vero alia die, Ulies et Aimericus frater ejus, filii Petri Goscelini, et Ugo filius Goscelini Pipet de Chambrun, in capitulo venerunt, et ibi, in præsentia Bernerii abbatis et totius capituli, sicut pater suus Petrus Rufus et Hugo Goscelinus frater ejus concesserant, ita concesserunt cum caritate supradicta. Hujus concessionis testes sunt Bigotus, presbyter de Nuestro ; Gauterius, presbyter de Nucharius ; Amalvinus ; Achardus Fasnavetula ; Rainaldus Cherinetus ; et Boso, filius ejus ; Vivianus Arotellus ; Goffredus Ranulfus ; Ernulfus, frater ejus ; Garinus de Burgo novo ; et Thebaudus, filius ejus.

Eadem vero die, Guillelmus Turbatus, Arduinus, Helias et Froterius, fratres sui, isti quatuor fratres iterum in capitulo venerunt, et sicuti prius concesserant concesserunt, et isti quatuor fratres videlicet Guillelmus, Arduinus, Helias, et Froterius manu ad manum tenentes baculum hanc eleemosynam super altare Sanctæ Mariæ posuerunt. Hujus rei testes sunt : Gaurinus de Burgo novo ; Tebaudus, filius ejus ; Almavinus ; Guillelmus, nepos Bernerii abbatis.

Alia die Hugo de Sancta Maura, de quo hoc fedum et hæc eleemosyna movebat, concessit, et Odo Turbatus concessit ante Saulam Sanctæ Mauræ coram his testibus : Joduino de Parenna ; Bartholomæo *Centum solidos ;* Pagano de Montet ; Guillelmi, nepotis Bernerii abbatis.

Eodem tempore Ademarus atque Johannes, filii Petri Goscelini, ab ipso Petro missi Nuchariis advenerunt, supra donum in capitulo concesserunt, ponentes super altare baculum, videntibus et audientibus his, quorum subscripta sunt nomina : Bernardo Vidle, presbytero ; atque Bartholomæo, clerico ; Guillelmo, quoque nepote abbatis ; Adelelmo Bobel ; Daniele, sutore ; Andrea Rigaudi ; Guarino Bernerii ; Rainaldo, filio Tebaudi, coqui ; Gosberto de Moncellis ; Botellerio, portario.

Cart. orig., folio 38, verso ; copie, p. 391.

CDLXXXIV.

Theovinus et Amalvinus, cogente abbate Bernerio, se servos ecclesiæ Nuchariensis recognoscunt.

(C. AN. 1135.)

Noscant præsentes et futuri quod quædam contentio fuit inter abbatem Bernerium et Theovinum et Amalvinum qui se a servitio hujus ecclesiæ separare volebant. Et inde bellum constitutum est inter eos. Infra vero terminum belli, recognoscentes quod male incœperant, ad placitum abbatis et monachorum se reddiderunt, juxta quod pater eorum et avi eorum ecclesiæ servi extiterant. Testes hujus rei fuerunt monachi : Rainaldus, prior ; Goffredus, penetarius ; Petrus, cellararius, qui hujus rei causam incœpit ; Tetbaldus et Bernerius, frater ejus, consanguinei eorum, et servi ecclesiæ ; Yrvisus ; Guttet de Podiis ; Calvinus de Scannis ; Johannes, sarcinarius et servus ecclesiæ.

Cart. orig., folio 66, verso ; copie, p. 501.

CDLXXXV.

Goscelinus de Sancta Maura concedit monachis Nucharien-sibus quidquid possidebant in casamentis Sanctæ Mauræ.

(C. AN. 1135.)

Agnoscant præsentes et futuri quod ego Goscelinus de Sancta Maura, ecclesiæ sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ est Nucharius, et monachis in eodem loco Dei servitio mancipatis, perpetua donatione concessi ut quicquid de casamentis meis eis datum fuerit, vel venditum, secure possideant, et nihil a me contradictionis sustineant, ita tamen ut ego servitium pro eisdem casamentis mihi debitum nullatenus perdam. Hujus donationis testes fuerunt : Guillelmus Frogerii ; Engilgerius de Mota ; Ódo de Albiniaco ; Frumentinus Pellifex ; Laurentius Crassus ; Rainaldus, coquus ; Goffridus de Marcilliaco.

Cart. orig., folio 131, verso ; copie, p. 503.

CDLXXXVI.

Stephanus de Basmis et Bernardus Ganens se negant esse servos Nuchariensis ecclesiæ.

(C. AN. 1135.)

Sciant præsentes et futuri quod Aimericus de Fagia dedit Deo et Sanctæ Mariæ de Nucariis, tempore abbatis Stephani, quemdam collibertum suum, Stephanum Rufum, cum filiis, scilicet Gainench et Terri, cum omni sua hereditate. Dedit et alium ad Sarciacum, Tebertum

nomine, cum omni sua hereditate. Adhuc dedit et alium, Allefredum nomine, cum omni sua hereditate. Testes : Burcardus de Tuschia ; Araldus, filius Helenæ ; Rainaldus, faber ; Tedevinus.

Postea Araldus de Nugastro venit in capitulo monachorum et concessit hoc donum quod fecerat Aimericus de Fagia de Stephano Rufo, et habuit exinde v solidos, et Symon, filius ejus x, qui similiter concessit. Testes : Salamatha ; Garnerius, præpositus; Gaufridus Malagarda ; Johannes Goels.

Post multum vero temporis, Stephanus de Basmis, filius Therri, et Bernardus Ganens, cognati germani, multotiens requisiti ab abbate Bernerio et monachis quod homines et servi essent ecclesiæ, avertebant se et deficiebant ab hac requisitione. Tandem unus eorum, Stephanus, recognoscens jus et rectum ecclesiæ, reddidit se abbati et monachis, adstantibus Petro, cellerario ; Gaufrido, penetario; Aimerico, coquinario; Rainaldo, refectorio ; et omnia sua tradidit ei ad faciendum libitum suum. Testes : Yrvisus; Amalvinus; Tetbaldus Garin.

Cart. orig., folio 66, recto; copie, p. 505.

CDLXXXVII.

Concordant monachi et Guido Catu de quibusdam censibus apud Haiam.

(C. AN. 1135.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod nobis monachis Nuchariensibus quamplures homines apud Haiam terras et vineas diversis in locis

dederunt, quæ erant de censu Choetelli. Post mortem autem Choetelli, Guido Catu duxit uxorem ejus Gasnichiam, cui reddidimus multo tempore II solidos Pictavenses censuales de supradictis vineis et terris. Postea vero idem Guido objecit nobis quod minus reddebamus, et fecit metiri terras et vineas; et inventus est unus quarterius vineæ de quo non soliti eramus reddere censum. Quam ob rem facta concordia dedimus ei quinque solidos et uxori ejus XII denarios, et Rainaldo filio suo XII denarios, et Petro fratri ejus 19 (sic) denarios, et concesserunt ut unoquoque anno, ad festivitatem Sancti Mauricii II solidos et I oblitam absque ulla contradictione redderemus. Testes sunt : Pontius Machaaus; Falco, vicarius; Alo, famulus Guidonis; Thebaudus Garins; Aligandus. Quando Rainaldus filiaster Guidonis hoc concessit, viderunt et audierunt Philippus, armiger ejus, et Superbus, famulus noster.

Cart. orig., folio 79, recto; copie, p. 311.

CDLXXXVIII.

Gaufridus de Insula monachos Nucharienses facit liberos ab omni pedagio apud Insulam.

(C. AN. 1135.)

Notum omnibus fieri volo ego Gaufridus de Insula, filius Burchardi, quod terram quamdam quam monachis apud Nucharios manentibus calumniatus fueram, pro amore Dei et Sanctæ Mariæ cui serviunt, sine aliqua contradictione amodo eis relinquo possidendam. Sed et de omnibus quæcumque apud castrum Insulæ vendere aut emere voluerint, sive alibi vendenda duxe-

rint, vel empta per terram seu per aquam adduxerint, omnem consuetudinem quæ hactenus mihi tali negotio competebat, pro æterna illis mercede concedo, ita scilicet ut nullum deinde telonium vel pedagium, neque venditionem aut minagium, sed nihil omnino de sua parte persolvant. Quod si aliqui de omni honore jam dicti castelli quolibet modo eis quippiam in alodis, sive manu firma, sive mobilibus rebus dare voluerint, consensum et voluntatem in hoc eis præbeo, et ut id firmum perenniter ac stabile maneat, auctoritate mea confirmo.

Testes autem hujus rei sunt ii : † Vivianus Brochardus; † Algerius de Cella; Goffridus Folius; Petrus, frater ejus; Ivo, filius ejus; † Ildegardus, senescallus; Thomas; Petrus Calca porritam; Anscherius de Nugastro; † Germanus, presbyter; Guitcherius, pontonarius.

Cart. orig., folio 117, recto; copie, p. 513.

CDLXXXIX.

Garinus de Burgo novo negat monachis censum cujusdam terræ.

(C. AN. 1135.)

Notum sit omnibus quod Tedevinus, filius Hugonis, fecit hanc convenientiam cum monachis Sanctæ Mariæ de Nuchariis, tempore abbatis Stephani. Quamdiu eorum voluerit esse serviens, et eorum in servitio laborare, habebit de monasterio panem et vinum et cibos, sicut unus de eorum aliis melioribus servientibus. Si autem eorum servitium facere noluerit, et suum opus

facere voluerit, de suomet se pascet. Dedit autem eis ob hoc unum equum quem emerat XL solidos, et illi annuerunt ei beneficium ecclesiæ. Adhuc autem dedit eis post suum decessum omnia quæ habuerit die quo obierit, tam in mobilibus quam in ædificiis, et illi dederunt ei vineam de Vitriaco in vita sua. Testes : Arnulfus Chillos et frater ejus Stephanus ; Gaufridus Malagarda ; Radulfus ; Rainaldus, coquus ; Gaurino de Burgo novo.

Noverint omnes quod Garinus de Burgo novo infra nostras terras quamdam vineam habebat. Hoc comperiens Drogo penetarius, tantum terræ in alio loco cambivit quantum vinea continebat, et quod in eodem tenore superaddidit, ad censum trium denariorum et unius oboli ei concessit. Postquam venit tempus quod ad redditionem census terminatum fuerat, negavit se non pepigisse tres denarios cum obolo redditurum. Quamobrem monachi quicquid ab eis acceperat ei calumniaverunt ; tandem tempore domni Bernerii abbatis pace restituta, cambitionem, sicut prius facta fuerat, ei concessimus, et aliam terram ad censum trium denariorum. Testes : Garinus ; Odo Marricus ; Amalvinus ; Petrus de Boellus ; Daniel ; Robertus.

Cart. orig., folio 46, recto ; copie, p. 315.

CDXC.

Hugo de Sancta Maura juvenis et monachi concordant de quodam colliberto.

(C. AN. 1135.)

Notum fieri volumus cunctis fidelibus a veritate non discrepantibus quod Hugo de Sancta Maura juvenis, filius Goscelini, cepit quemdam hominem de Nuchariis in itinere venientem de sua negotiatione, Berengarium nomine, filium Huberti de Podiis, dicens ipsum esse suum colibertum. Quem Berengarium cum Bernerius, abbas Nuchariensis ecclesiæ, a prædicto Hugone requireret, dicens ipsum Deo et ecclesiæ Nuchariensi fuisse datum ab Hugone de Sancta Maura seniore pro redemptione animarum filiorum suorum, Goscelini videlicet et Hugonis, ipse vero jam dictus Hugo hoc penitus contradiceret, statuerunt diem in quo apud Nucharius super hoc disceptaturi convenirent. Præfixo itaque die, affuit Hugo apud Nucharius, supradictum Berengarium colibertum suum publice reclamans, ipso tamen abbate et monachis contradicentibus et asserentibus Hubertum de Podiis hujus Berengarii patrem Deo et Sanctæ Mariæ in eleemosynam datum fuisse. Quod cum Hugo audisset ita rem sese habere, nolens eos ulterius inquietare, concessit ibidem Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis Nuchariensibus, pro redemptione animæ suæ et parentum suorum, præfatum Berengarium et ejus sororem Geillam, et eorum propagationem, atque omnem denique fructum qui de patre eorum Huberto de Podiis processerat, videntibus et au-

dientibus quorum infra scripta sunt nomina, et pro hujusmodi concessione accepit Hugo a monachis Nucharienſibus quadragintos solidos in caritate.

Testes : Joduinus de Peroniaco; Aimericus Bollos; Petrus Teberti; Effredus de Sivraico; Herveus, villicus; Froterius; Petrus Goscelini; Amalvinus; Theobaudus Garini; Odo, frater ejus; Johannes Dedo; Girardus Johannis; Rainaldus, frater ejus; Guillelmus, coquus; Tebertus, frater ejus.

Hoc concessit Guillelmus, filius ipsius Hugonis, audientibus eisdem supradictis testibus qui cum ipso Nucharius venerant, et exinde accepit XL solidos. Hoc quoque annuit uxor ejus Hugonis, videlicet Aalidis nomine, et habuit XX solidos. Testes : Guillelmus Obram; Tebertus; Agnes; Felicia, uxor Radulfi de Faia.

Concesserunt etiam hoc Goscelinus et Hugo, filii ejus, coram testibus qui infra scripti sunt : Aimericus Ballos; Hugo de Campo bono; Petrus juvenis Peloquini; Herveus, villicus; Martinus Bobau; Rabaudus; Paganus Frogerii; Garinus, nutricius. Et pro hac concessione habuerunt ii duo supradicti, Goscelinus XX solidos, et Hugo tres.

Hoc totum similiter annuit Agathes filia ejus, videntibus et audientibus Augerio Bonet; Stephano, filio ejus; Milexende nutrice ejus Richilde. Habuit autem et ipsa præfata, videlicet Agatha, II solidos.

Habuerat autem memoratus Berengarius quamdam sororem, Poibellam nomine, quæ Aimerici, cognomento Giraudi, uxor extiterat, qui de ea liberos procreaverat, quos similiter eorumque heredes sæpe dictus Hugo Deo et ecclesiæ Nuchariensi quictos et absolutos in perpetuum usque concessit, videntibus et audientibus supra

scriptis testibus, illis videlicet quos pagina primos continet.

Cart. orig., folio 55, verso; copie, p. 517.

CDXCI.

Bartholomæus de Monte Agrio calumniam quam inferebat super quasdam decimas dimittit.

(C. AN. 1135.)

Agnoscant præsentes et futuri quod Bartholomæus de Monte Agrio calumniatus est monachis Nuchariensibus quasdam partes decimarum, quas Rainaldus Fresluns illis dederat, unam videlicet partem quæ est apud Chirezai, et aliam quæ est apud Uralle, et aliam quæ est apud Mirmandiam, quæ omnes sunt de feudo domini Mirmandiæ, aliam quoque partem quæ est ad Dossé. Omnes istas partes decimarum annuit Bartholomæus Bernerio abbati et monachis Nuchariensibus, et habuit inde in caritate viginti solidos. Pro hac re concessit Aimerico clerico fratri suo abbas Bernerius ea quæ capicerius Fagiensis ante eum habuerat, tantummodo in vita sua.

Testes: Petrus Goscelini Assalit; Araldus de Monte Agrio; Tetbaudus, carpentarius.

Cart. orig., folio 55, verso; copie, p. 519.

CDXCII.

Hugo de Haia, in infirmitate positus, dat duas partes terræ apud Fagiam.

(C. AN. 1135.)

Sciant præsentes et futuri quod Hugo de Haia in infirmitate positus, dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus, apud Fagiam duas partes terræ, unam quæ sita est ante fontem de Corbum, et aliam superius in monte. Concesserunt hoc Oda, soror ejus, et Petrus, maritus ejus, et Goffredus, et Hugo, filii eorum.

Testes: Petrus Goscelini; Boso de Furnolis; Silurus; Bartholonis Bascherii; Guillelmus de Dercé; Berengerius de Monte; Arduinus; Cassagranum; Berengerius de Polete.

Cart. orig., folio 58, recto; copie, p. 521.

CDXCIII.

Bernerius abbas dat Goffredo, cognomento Malferas, terram de Loonaico.

(C. AN. 1136.)

Notum sit omnibus quod domnus abbas Bernerius et conventus Nuchariensis dederunt Goffredo, cognomento Malferas, et ejus successoribus terram de Loonaico, quæ erat de eleemosyna Garnerii Maingoth, et ad hujusmodi consuetudinem reddendam: in crastino Natalis Domini,

quatuor caupones, XII denarios, et sextarium hordei. Hoc audierunt Guillelmus, nepos abbatis; Achardus de Boisé; Teobaldus, carpentarius; Johannes Giroardi; Roscaudus.

Cart. orig., folio 96, recto; copie, p 523.

CDXCIV.

Aimericus, vice-comes Castri Araudi, veste monacali indutus, moritur apud Nucharios. Hujus filius Hugo se defensorem et adjutorem promittit ecclesiæ Nuchariensi.

(C. AN. 1136.)

Notum sit omnibus quod Aimericus, vice-comes Castri Araudi, temporibus abbatum hujus congregationis domni Stephani atque Gaudini, vovit Deo et sanctæ Dei Genitrici Mariæ, ut ubicumque in hac patria moreretur, a fratribus Nuchariensibus in eorum capitulo humaretur. Novissime vero, tempore abbatis Bernerii, a fratribus nostris Guillelmo ejusdem cognato, et Petro Fulberti, et Stephano de Anzaico, ipso postulante et populo applaudente, per Vigennæ fluvium ad hanc ecclesiam est adductus. Videns vero ingravescere suam infirmitatem, postulavit et oravit abbatem Bernerium ut et se monachum faceret et sacra inunctione perungeret; quod Deo volente implevit in festivitate Omnium Sanctorum, videntibus Gosberto de Podio, et famulis qui ad eum serviendum venerant, et sorore sua, nomine Girberga, sanctimoniali Fontis Euvraldi; qui fere octo diebus transactis quievit et in capitulo est sepultus. Ubi filius ejus Hugo vice-comes patrem obisse cognovit, cum mul-

tis militibus tumulum illius plorans et ejulans expetiit, et pro anima illius omnes malas consuetudines quas in nostris locis pater ejus habuerat, in manu abbatis sub jurejurando finivit, et sese defensorem et adjutorem hujus ecclesiæ contra omnes adversarios confirmando super altare Sanctæ Mariæ fideliter vovit. Et ut anniversaria dies in memoriam patris ageretur, dedit nobis duos solidos census quos reddent quatuor fratres cognomine Apalmut in Ramis Palmarum, vel quicunque terram Fontis Sancti Germani habebunt. Item Belotus dominus Claræ vallis, pro anima ejus dedit nobis duos solidos census quos reddet Giroardus de Siligniaco in festivitate Omnium Sanctorum, vel qui illam villicationem habebit. Quin etiam Gosbertus de Podio duodecim dedit nobis denarios census; Laiboth de Burnex, XII denarios; Araldus de Cursai, XII denarios; Goffredus de Columbers, VIII denarios; Affrignet, XII denarios; Petrus Tira præda, Vivianus et Aimericus de Mallai, XII denarios; Lambertus Cato, IIII denarios; Rainaldus de Mallai, VI denarios.

Cart. orig., folio 42, verso; copie, p. 525.

CDXCV.

Oggerius Batfer, monachus factus, dat quædam bona ecclesiæ Nuchariensi.

(C. AN. 1136.)

Notum sit omnibus præsentibus et futuris quod Oggerius Batfer, factus monachus in ecclesia Beatæ Mariæ Nuchariis tempore abbatis Bernerii, dedit eidem ecclesiæ sex opera prati super Vigennæ fluvium, quæ sunt

in terra quæ dicitur Pastarant, et unum arpentum et dimidium terræ, super Sanctum Maximum Cainonis castri in quadruvium ad domum leprosorum, cum censu sex denariorum ad ecclesiam Beati Mauricii Turonensis.

Hoc concessit uxor ejus Richildis, et filia ejus Agatha, et gener ejus, Mauricius de Campaniaco.

Testes : Andreas Cailla ; Arnaldus de Parilliaco ; Matheus de Nuchariis ; Goslenus de Sancto Loentio ; Galterius Bretelli.

Cart. orig., folio 93, verso ; copie, p. 527.

CDXCVI.

Bernerius abbas pacem facit inter priorem de Aziaco et Rotbertum de Avaisse.

(C. AN. 1136.)

Noscant præsentes et futuri, quod inter Hugonem Fraisnellum, priorem de Azaico, et Rotbertum de Avaisse, querelabant ad invicem de multis querelis. Quod cum audisset abbas Bernerius, Azaicum perrexit, et querelas ex utraque parte diligenter audiens, pacem fecit. Nam Robertus debebat monacho triginta solidos, et ut ei dimitteret, querelam molendini et omnes alias querelas in manu abbatis dimisit. Testes : Martinus, presbyter ; Guillelmus Rodiens ; Stephanus de Camburum ; Odo de Azaico ; Bardins ; Yrvisus, famulus abbatis ; Goscelmus, et Litteris filius ; Bernardus, et Gorfel, frater ejus ; Gigaudus.

Cart. orig., folio 77, recto ; copie, p. 529.

CDXCVII.

Audebertus Gulers dat quædam bona apud S. Patricium.

(C. AN. 1136.)

Scire volumus præsentes et futuros quod Audebertus Gulers quamdam terram a monachis Sancti Patricii habebat, juxta virgultum eorumdem monachorum sitam. Quam terram dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus manu Natalis, tunc temporis Sancti Patricii prioris. Hoc concesserunt uxor ejus Richildis, et filius ejus Gauterius, nec non et filiæ, Arenburgis, Arsendis, Audeardis, Gilla, audientibus qui infra scripti sunt : Jordano de Brullio-Aimonis ; Guidone Biscocto ; Goffredo, filio Petri ; Goffredo, filio Amiet ; Guidone, filio Normanni. Et pro hujusmodi concessione acceperunt ab eodem Natale, ipse Audebertus VII solidos in caritate ; Richildis, VI denarios ; inter filios et filias VI denarios habuerunt. Hoc autem donum fecit Audebertus supradictus, videntibus Guillelmo Cantelini ; Rainaldo Coriario ; Erveo, filio Johannis ; Guillelmo Regraterio.

Cart. orig., folio 98, recto ; copie, p. 535.

CDXCVIII.

Johannes de Podio-Peregrini, vestibus monasticæ religionis indutus, dat quædam bona apud S. Patricium.

(C. AN. 1136.)

Quoniam generatio advenit, et generatio præterit, memoriæ omnium fidelium tradimus quod Johannes de Podio-Peregrini, gravi detentus infirmitate, mandavit ad se abbatem Nuchariensem et quosdam monachorum, quatinus eum vestibus monasticæ religionis induerent, et in suæ fraternitatis consortio susciperent, quod ita factum est; Bartholomæus ejusdem ecclesiæ monachus et sacrista, et Natalis, prior Sancti Patricii, eum in monachum susceperunt. Ipse vero de suis rebus quas in vita sua emerat, et sine ulla contradictione liberaliter cuicumque dare poterat, donum fecit ecclesiæ in perpetuum, scilicet decimam decimæ de la Varenne dedit nobis de omnibus quæ habuerat et tenuerat in illa. Philippus de Signiaco, filius ejus, et Audeardis, filia ejus, concesserunt et fidem dederunt hanc donationem contra omnes insurgentes se defensuros. Si vero hæc donatio permanere non posset, et aliquis eam monachis conaretur auferre, concesserunt et fidem firmaverunt quatinus de proprio de Signiaco tria sextaria siliginis, et unum hordei, tam ab illis, quam ab eis qui hereditatem possiderent, per singulos annos monachis Sancti Patricii persolverentur in festivitate Sancti Michaelis.

Hujus rei testes : Simon Machael, in cujus manu hæc facta sunt, ita ut se fidejussorem esse concederet; Petrus Guischardi; Engilgerius Calva Brueria; Hugo Ca-

tus; Huo de Brulio Ammonis; Herveus, filius Johannis; Goffredus, filius Petri Rufi; Villanus, villicus de Sancto Michaele; Philippus de Omos; Goffredus, frater Johannis de Podio-Peregrini.

Cart. orig., folio 98, recto; copie, p. 537.

CDXCIX.

Concordia inter monachos Nucharienses et Gauterium Fatmal de eleemosyna Guidonis de Rupibus.

(C. AN. 1136.)

Agnoscant præsentes et futuri, quod plurimis diebus fuit contentio inter Gauterium Fatmal et monachos Nucharienses de eleemosyna Guidonis de Rupibus, de silva et terra quæ est ad Magné. Tandem facta concordia tali modo, quierunt ut census xx solidorum caderet, nec de eo amplius ulla mentio fieret. Denique monachi unam quartam de terra illa ad locum qui vocatur *Ad Duas Pirus*, primitus acceperunt. Gauterius autem xv arpennos accepit similiter. Omnia etiam prata de Magné monachi acceperunt. Quicquid autem remansit de silva et plano, inter illos partiti sunt. Quod si de terra illa a Galterio vel ab heredibus ejus aliquid in venditionem venerit, aut in eleemosyna datum fuerit, nulla alia ecclesia nisi Nucharіensis illud habere poterit. Ut autem res illa firma et stabilis permaneret, prædictus Gauterius cum Tyaisio socro suo et amicis suis in capitulum Nucharіensem venit, et ista omnia prædicta concessit, et abbatem Bernerium osculatus, fideliter et pacifice se ista tenere firmavit. Annuerunt etiam hoc Gauterius et Radulfus, filii ejus, et Maria et Amelina, filiæ ejus. Hujus rei testes

fuerunt : Tyasius et Robertus de Vaisse, frater ejus ; et Ardreex *Pellis lupi ;* Achardus *Fascina vetulam ;* Paganus Richildis ; Petrus Tescilini ; Euvardus, molendinarius.

Cart. orig., folio 75, recto ; copie, p. 539.

D.

Petrus Goscelini dat monachis sexaginta solidos de Portu Pilarum unoquoque anno percipiendos.

(C. AN. 1136.)

Notum sit omnibus præsentibus et futuris, quod Petrus Goscelini, cum esset in infirmitate positus apud Nucharius, mandavit ad se filios suos, Hugonem, Uriam, Petrum, Ademarum, Johannem, Aimericum, et, illis audientibus, dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis, sexaginta solidos unoquoque anno de Portu Pilarum, et ex hoc accepit fidem illorum ut illis perpetualiter persolvant. Quod si portum supra memoratum de manu sua cederent, de eodem commercio sexaginta solidos monachis unoquoque anno redderent. Concessit etiam hoc Hugo Pipet.

Testes : Thebaudus, carpentarius ; Roscelinus, carpentarius ; Guillelmus, nepos abbatis ; Paganus, consanguineus ejus ; Mareschot ; Durandus Billo.

Testes de Haia : Ribotellus ; Giraudus Choeta ; Aimericus Boquenellus ; Mauritius de Salmuntia.

Cart. orig., folio 52, verso ; copie, p. 543.

DI.

Petrus Goscelini confirmat omnia quæ prius dederat ecclesiæ Nucharіensi.

(C. AN. 1136.)

Noscant præsentes et futuri quod tempore domni Bernerii abbatis, venit Petrus Goscelini in capitulo monachorum, et ibi coram multis testibus dedit et concessit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis quicquid ipse et antecessores sui unquam dederant huic loco, hoc est unum denarium quem unoquoque die quærebat in Portu Pilarum, et quicquid habebat in sclusa de Marcilliaco, et in molendinis utriusque partis, et servientisiam molendinorum, et totam aquam et totam ripariam a vineis usque in aqua, et usque subtus insulam, et omnem piscationem aquæ, et medietatem quam habebat in decimam de Portu, et servientisiam, et decimam quam diu habueramus in terris suis. Quapropter dedit ei abbas Bernerius centum solidos in caritate. Concessit hoc Urias, filius ejus, qui similiter habuit centum solidos. Concesserunt hoc Johannes et Aimericus, filii ejus, qui centum solidos habuerunt. Concessit hoc Hugo de Sancta Maura, qui unum palefredum habuit valentem decem libras. Concesserunt hoc duo filii ejus Guillelmus et Goscelinus. Testes: Goffredus Peloquini; Fulcodius; Baillos; Petrus Peloquini; Simon Petrosilus; Engilgerius de Mota; Petrus Lepus. Ex parte nostra, Lambertus Cato; Araudus de Tribus Molendinis; Yrvisus; Tetbaudus Garin; Galterius Berner; Odo Garin; Lemozins, et Rainaldus, filius ejus; Amelot; Ademarus.

Concessit hoc Oda, uxor Uriæ, quæ et v solidos habuit. Concessit hoc Petrus, filius ejus, qui et VI denarios. Concessit hoc Margarita, quæ et VI denarios. Testes : Gervasius de Jarria ; Hugo de Chambrun ; David de Boissé ; Andreas Guttet, famulus monachorum.

Cart. orig., folio 117, recto ; copie, p. 499.

DII.

Filii Gosbelini et homines qui Gosbeliniani nuncupantur, pacem faciunt cum Hugone de S. Maura, per manum Petri Goscelini, prioris S. Mauræ.

(C. AN. 1136.)

Per præsentis scripti paginam, quæ cum chirographi attestatione dirimitur, notum fecimus præsentibus et futuris quod Hugo de Sancta Maura in filiis Gosbelini et in eis qui pro eo Gosbeliniani nuncupantur, et in terra quæ dicitur Brisehaste, quamdam exactionem et quasi fortitudinem quærebat, et quod juste non poterat, potestate et juribus extorquebat. Pro hujusmodi illi homines se sentientes gravari, per manum Petri Goscelini, qui tunc temporis et prior Sanctæ Mauræ et cellerarius Nuchariensis ecclesiæ erat, pacem cum Hugone et filiis ejus fecerunt hujusmodi : præfatus Hugo, quicquid in hominibus quos prænominavimus, aut in terra illa Brisehaste quæ de jure ejusdem ecclesiæ sicut censualis et servitium faciens erat, aut habuerat, aut habebat, abbati Bernerio et monachis Nuchariensibus sine aliqua requisitione dimisit in pace. Habuit autem propter hoc centum solidos ; Guillelmus, filius ejus, v ; Goscelinus, v ; Aalid, uxor ejus, v ; omnes isti concesserunt.

Testes : Gauterius Pontio ; Aimericus Ballo ; Goffredus Peloquini ; Burcardus de Insula ; Aimericus, filius Ivonis ; Puntius *Centum solidos.*

Cart. orig., folio 52, recto; copie, p. 515.

DIII.

Tetbaudus Enforcé dat monachis quicquid ad Cosseiam habebat.

(C. AN. 1136.)

Notum sit omnibus quod Tetbaudus Enforcé et uxor ejus Vilana dederunt Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus hoc quod habebant ad Cosseiam de Giraudo Choeta et Guidone Cato, scilicet domum et dimidium arpennum bosci, et alium mortuum nemus ad calefaciendum domum. Hoc annuit Girardus Choeta pater, et filii ejus Girardus et Rainaldus, Goffredus et Choecellus, filii ejus. Testes : Petrus Goscelini ; Matheus de Peri ; Guillelmus Corbellus.

Hoc tenuit Villana quamdiu vixit. In fine vero vitæ suæ, concessit hoc quod tenebat de Guidone Cati, scilicet sex arpennos terræ, et dimidium arpennum vineæ, et aliud arpennum terræ quod tenebat de Girardo Choeta. Pro hac re dedit abbas Bernerius Guidoni Cati et uxori ejus quinquaginta solidos in caritate, ut libere et pacifice habeant ulterius, reddentes censum sine aliqua consuetudine. Et sic concesserunt Guido Catus et Gasnichia uxor ejus, videntibus et audientibus Petro Goscelini ; Aimerico Boquennai ; Petro Landrici, qui inde XII nummos habuit ; Sanisone, cliente suo ; et Aliganno ; Hugone Loo.

Iterum concesserunt hoc filii filiæ Guidonis Cati, videlicet uxoris Petri Brun, Johannes, qui inde habuit XII denarios. Testes : Petro Goscelini; et Pagano; et Archembaldo de Basse, fratre suo.

Annuit hoc etiam Rainaldus Barba. Teste Hugone Anglico; et Aliganno; et Galopino Fabre. Et soror eorum. Teste Petro Landrici; Yrviso et Aliganno.

Cart. orig., folio 56, verso; copie, p. 547.

DIV.

Partitio magnæ decimæ de Montigné, inter abbatem et fratres Nucharienses.

(C. AN. 1137.)

Noveritis universi quod abbatia Nuchariensis et ecclesia de Buxeriis, videlicet prioratus, habent in decima quæ fuit Petri do Chemin, videlicet in magna decima de Montigné, decem sextaria bladi, videlicet quinque hordei, et quinque frumenti, quæ ita divisa sunt : abbas debet habere unum sextarium frumenti, et tria sextaria hordei pro Petro do Chemin, presbytero; sacrista Nuchariensis, unum sextarium frumenti et unum hordei; cellerarius Nuchariensis, duo sextaria frumenti pro anniversario Johannis Guitet faciendo, quæ Petrus do Chemin et Giraldus frater ejus eidem Johanni Guitet concesserunt ad luminare de Busseriis; et ad anniversarium Petri do Chemin et ejusdem matris in ecclesia de Busseriis, unum sextarium frumenti, et unum sextarium hordei. Et hæc omnia concesserunt Petrus Symonis, et Guillelmus frater ejus, ad petitionem

prædictorum fratrum, videlicet Petri et Girardi do Chemin.

Cart. orig., folio 154, recto; copie, p. 551.

DV.

Goffredus Lonus dat ecclesiæ Nuchariensi duos denarios census apud Cellam S. Adventii.

(C. AN. 1137.)

Notum sit præsentibus et futuris quod Goffredus Lonus de Cella Sancti Aventi veniens in capitulum, dedit et concessit Deo et Sanctæ Mariæ duos denarios census quos calumniatus fuerat in quadam area apud Cellam Sancti Aventi, quam aream dederunt monachi Rainaldo cognomento Sabart, ad habitandum, tali pacto quod Rainaldus reddat cellarario hujus ecclesiæ annuatim duos denarios ad festum Sancti Aventi. Insuper omnes consuetudines quas burgenses Nucharienses monachis reddunt, et ipse reddat; hoc est de unoquoque modio vini quem in domo sua vendiderit, lagenam; de unoquoque porco, obolum pro lumbis; ad molendina nostra molet. Pro hac re monachi sub tutela et protectione sua eum susceperunt. Testes: Yrvisus; Giroardus Frumentini; Vasletus; Hubertus; Martinus.

Cart. orig., folio 166, verso; copie, p. 553.

DVI.

Eschivardus Prulliacensis monachos facit liberos ab omni pedagio.

(C. AN. 1137.)

Noscant præsentes et futuri quod Eschivardus de Pruillé (1) et Goffredus filius ejus concesserunt monachis Nuchariensibus, ut per omnem terram suam eant vendentes et ementes, et quicquid voluerint ducentes, sive per terram, sive per aquam, nihil omnino nullam consuetudinem reddant, scilicet apud Pruillé, apud Guerchiam, apud Rupem de Poizay, et ex hoc abbatem Bernerium in testimonium fidei osculaverunt, videnteet audiente Hugone pro-consule Castri Araldi; Petro Bruno; Guillelmo Corbel; Guillelmo, nepote abbatis; Yrviso.

Cart. orig., folio 37, verso; copie, p. 555.

DVII.

Bernerius abbas terram quamdam partitur inter presbyterum et monachum S. Patricii.

(C. AN. 1137.)

Notum sit omnibus quod abbas Bernerius Nucharien-sis, Oliverio, Sancti Patricii presbytero, terram quam

(1) Hic Eschivardus non computatur, inter annos 1032-1049, inter dominos Prulliacenses. Vide *Mémoires de la Société archéologique de Touraine*, t IV, *Recherches historiques sur l'ancienne baronnie de Preuilly*, p. 223, auctore de Busserolle.

Natalis monachus ab Audeberto Golerio emerat, et aliam partem terræ quam Gaufridus carnifex dederat, inter presbyterum et monachum dedit et concessit quamdiu viveret. Post obitum ipsius presbyteri terra ista.... . *(Aliquid deest.)*

Cart. orig., folio 102, recto; copie, p. 557.

DVIII.

Gaurinus Guel, monachus factus, concedit terram ad Torciacum, liberam et absolutam.

(C. AN. 1138.)

Notum sit omnibus præsentibus et futuris quod Gaurinus, cognomento Guel, dedit Deo et Sanctæ Mariæ, quando factus est monachus, terram ad Torciacum, circa octo arpennos juxta terram monachorum, et XV denarios ejusdem terræ census, liberam et absolutam absque ulla consuetudine. Hoc annuit uxor ejus Aldeardis, et filia ejus Theophania, et filii ejusdem Theophaniæ, David et Christianus. Annuit hoc Goslenus de Bloi, et mater ejus, Marchisia, et frater ejus Rotbertus.

Hujus rei testes fuerunt : Philippus de Campaniaco; Aimericus, frater ejus; Bodo de Castello; Rotbertus Badilo; et Maximus, et Mauricius de Campaniaco; et Garnerius Tricsellus; et Aimericus Maleth.

Cart. orig., folio 95, verso; copie, p. 561.

DIX.

Isembardus de Ambazia concedit decem solidos censuales apud Verrerias.

(C. AN. 1138.)

Notum fieri volumus præsentibus et futuris, quod Isembardus de Ambazia visere veniens Nicholaum filium suum factum monachum apud Nucarius, in beneficio ecclesiæ in capitulo fratrum susceptus est, ibique dederunt ipse et uxor ejus Ermengardis, et filius ejus Robertus, et Audeburgis filia, Deo et Beatæ Mariæ et monachis Nuchariensibus x solidos censuales, in foro Andegavino reddendos de terra sua quæ Verreria dicitur, in censiva Roggerii, cognomento *Septem denarios*. Viderunt hoc et audierunt Barratus ; Christoforus ; Achardus de Boissé; Johannes, sarcitor; et famulus Isembardi, nomine Rodope.

Postea missi sunt a domno abbate Bernerio idem Nicholaus et Rainaldus Torquatin censum requirere, rursumque Isembardus monachos de censu investivit, manum suam ponens in manu Reginaldi, eo scilicet tenore ut de iisdem denariis serviret cellararius conventum Nucariensem de generali pidantia in die anniversaria depositionis Ermengardis, uxoris suæ, matris Nicholai, quæ jam obierat xiii Kalendas maii.

Factum est, præsente et volente Roberto filio suo, et filia ipsius Teophania, et Salomone, cognato eorum, et Rainaldo, armigero, et Aimerico de Ripa, et Gaurino de Burgo novo de Nucariis, et Rainaldo Archembaldi.

Cart. orig., folio 41, recto; copie, p. 565.

DX.

Odo, prior de Razinia, emit pratum Guillelmi Agullum.

(C. AN. 1138.)

Sciant omnes scilicet fratres nostræ congregationis, tam præsentes quam futuri, quod Odo monachus, qui stabat ad Raziniam, emit quoddam pratum quod dicitur pratum Guillelmi Agullum ab eodem Guillelmo Agullum. Pretium vero prati fuerunt xv solidi, et uxori Guillelmi dedit XII denarios, quæ hoc annuit, et filius ejus hoc annuit. Annuit autem hoc soror Guillelmi, uxor Galterii de Bornei, et filii ejus, et ipsi reddent monachi censum VI denarios. Hoc enim Guillelmus, patruus eorum, annuit eis. Testes ex hoc: Radulfus de Galarth; Paganus de Vallibus; Ansterius de Fulgeria.

Cart. orig., folio 205, recto; copie, p. 653.

DXI.

Solimannus, frater Guillelmi Garin monachi, dat quamdam decimam apud Auream Vallem.

(C. AN. 1138.)

Noscant præsentes et futuri quod Solimannus, frater Guillelmi Garin, monachi nostri, venit in capitulum nostrum, præsente domno Bernerio abbate et monachis, et ibi annuit duo jugera (terræ) quæ est apud Niviau, et quamdam decimam quæ est apud *Auream Vallem*, quam dederat nobis mater sua pro filio suo Guillelmo, tali

pacto, ut unoquoque anno reddat x solidos pro ipsa decima ad festum sancti Michaelis. Quod si ipse aut heres ejus reddere noluerit, decima ad monachos revertetur. Testes ex parte nostra : Guillelmus, nepos abbatis B. ; Johannes Giroart ; Bartholomæus Bertini. Ex parte sua : Goffredus Plenel ; Paganus do Cosdre ; Radulfus et Galterius, armigeri eorum.

Cart. orig., folio 44, verso; copie, p. 567.

Nota. — **Domnus abbas Egidius dedit armario huic ecclesiæ v solidos censuales quos debet abbas Aureæ Vallis in festivitate sancti Michaelis de ecclesia de Errum (*vel* Ervum), primo anno quo incepit Aimericus Potin bibliothecam.**

DXII.

Barisia, cognomento Ginnosa, concedit monachis tres solidos annuales de insula Portus.

(C. AN. 1139.)

Notum sit omnibus præsentibus et futuris, quod Barisia, cognomento Ginnosa, venit in capitulum Sanctæ Mariæ cum filiis suis post mortem sui viri Rainaldi, cognomento Barbati, præsente Bernerio abbate, et ibi coram multis testibus dedit monachis hujus ecclesiæ tres solidos annuales de insula Portus, qui reddendi sunt in vigilia Paschæ ; et Achardus *Fascina vetulam* duos denarios ; Aldebertus de Vinnalibus duodecim denarios ; uxor Goffredi de Moncellis, XII denarios.

Testes qui hoc viderunt et audierunt : Rainaldus de Port ; Aimericus Potin ; Guillelmus Garin ; Garino de Burgo novo, et Tetbaldus, filius ejus ; Amalvinus ; Ernulfus, et Goffredus, frater ejus ; Guillelmus Boguerellus.

Cart. orig., folio 47, recto; copie, p. 569.

DXIII.

Guillelmus Aculeus, factus monachus, dat terram quam habebat ad Gatnaicum et Razinam.

(C. AN. 1139.)

Noscant præsentes et futuri quod Guillelmus Aculeus, cupiens fieri monachus in ecclesia Nuchariensi, dedit abbati Bernerio et fratribus ejusdem loci, terram quam habebat ad Gatnaicum et Razinam, scilicet tres partes unius quartæ, de qua singulis annis debentur census XVIII denariorum Andreæ, cognomine *Media nox*. Hæc autem terra erat de fedio domini Milmandiæ. Propterea Aimericus Chinnart, prior de Gatnai, et Petrus, cellararius, et Alexander, præpositus, et Petrus de Balgence, missi ab abbate, venerunt in curia Goffredi ad Mirmandiam, acceptisque inde viginti solidis, concessit eamdem terram tali pacto et tali convenientia, ut nunquam amplius monachi reddant de ea alicui aliquam consuetudinem, vel aliquem questum, nisi tantummodo censum. Concessit hoc Burchardus, filius ejus, et Fresendis, mater ejus, uxor Gaufridi, quæ ex hoc quinque solidos habuit. Hoc etiam concessit supradictus Andreas, cujus erat census, et Petrus, frater ejus. Similiter et Guillelmus de Fuga hoc donum firmavit et concessit, acceptis inde caligis, et Archembaudus, frater ejus. Testes : Bartholomæus de Sarinné; Hugo, filius ejus; Tirellus; Garinus Garsenlam; Goscelmus, præpositus de Busseria.

Postea vero concessit hæc omnia apud Uxellum Petronilla, uxor Rainaldi de Montanai, soror supradicti Guil-

lelmi, et Mabilia, soror eorum, præsente Petro de Balgence, et Goscelmo, præposito.

Dedit etiam idem Guillelmus Aculeus monachis Nuchariensibus quatuor solidos census de molendino quod dicitur de Simum, qui reddendi sunt in festivitate sancti Maximi, et in die Ramis Palmarum. Hoc concessit Boso de Furneolis, de cujus feudo erat, præsentibus fratribus suis Fulleto; Radulfo; Petro. Testes : Laidet, archipresbyter; Adelelmus, capicerius; Hugo, presbyter; Guillelmus, nepos abbatis; Paganus de Vrigné; Bernerius, abbas; Aimericus Chinnart; Johannes; canonici Sancti Georgii, II denarios census.....

Cart. orig., folio 200, recto; copie, p. 571.

DXIV.

Iterum de concessione facta per Guillelmum Aculeum.

(C. AN. 1139.)

Noscant præsentes et futuri quod Guillelmus Aculeus dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus partem de terra quam habebat in valle Gatnai, tali conditione ut monachi eum monachum facerent. Hoc concesserunt Goffredus de Mirmandia; Burchardus, filius ejus; Guillelmus de Fuia; Petrus et Andreas *Media nocte* de Fraxinis; Goffredus *Bute-baril.* Testes sunt : Airis de Planta; Savaris de Laigné; Cadios; Tirellus de Marigné; Guillelmus Gorruns.; Hugo de Savigné; Achardus *Fascina vetulam;* Tebaudus Garinus; monachi qui fuerunt : Rainaldus, P. Alexander; Aimericus Chinnart; Petrus Balgence; Petrus Maresjaulus.

Apud Ussellum concesserunt hoc Petronilla, uxor Rainaldi de Montenai, et Archembaldus, frater ejus, et Amabilia, soror. Testes : Rainaldus de Montenai ; Petrus de Foolo, et alter Petrus ; Goscelmus, præpositus de Buxeriis ; monachi Aimericus Chinnart ; Petrus de Balgence.

Cart. orig., folio 216, verso ; copie, p. 629.

DXV.

Hugo Roscelini dimittit calumniam quam inferebat super quamdam terram.

(C. AN. 1139.)

Cunctis tam præsentibus quam futuris notificetur quod Hugo Roscelini terram quam nobis diu calumniatus fuerat, communi capitulo audiente, concessit, Gofredo tamen penetario pro ipsa terra equum sexaginta solidorum ipsi Hugoni tribuente. Hoc idem sane supradictus Hugo ita concessit, ut quisquis super ipsam terram inferret calumniam, ipse Hugo ab omnibus nos immunes persolveret. Si autem vis talis eum opprimeret, quod ipsam nobis liberam reconsignare non valeret, sexaginta solidos per fidem, unde Petrus Simonis fidejussor est, sancivit reddituros. Hujus rei testes sunt : Herveus, reclusus ; Herveus, villicus ; Johannes Dedo ; Bartholomæus Bertini ; Hubertus Engilgerii ; Andreas Guitet ; Tibertus, frater ejus.

Hoc etiam concessit Beatrix, uxor ipsius Hugonis. Testes sunt inde : Petrus Simonis ; Johannes Dedo ; Paganus Aroini ; Herveus, reclusus ; Hubertus Engilgerii.

Cart. orig., folio 55, recto ; copie, p. 573.

DXVI.

Rigaudus de Volort, nil habens unde sepeliri posset, in cimiterio monachorum tumulatur.

(C. AN. 1139.)

Notum sit omnibus quod Rigaudus de Volort, ad extrema perductus, nihil habebat unde posset honorifice sepeliri. Propterea parentes et amici unanimiter concordantes mandaverunt monachis Nuchariensibus ut ad eum venire non dedignarentur. Qui, mittentes duos ex fratribus, jusserunt ut afferrent corpus, quod in cimiterio monachorum honorifice sepelierunt. Pro hujuscemodi officio sepulturæ, quoniam substantia mobilis deerat, dederunt nobis duo juga terræ, quæ sunt juxta quatuor ulmos in via quæ ducit ad Volort.

Testes: Vasletus, archipresbyter; Aimericus de Volort; Borrellus, et Paganus, frater ejus; Blandinus.

Cart. orig., folio 52, recto; copie, p. 575.

DXVII.

Hugo de S. Maura dat monachis Nuchariensibus thalamos adhærentes ecclesiæ S. Maurœ.

(C. AN. 1140.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Hugo de Sancta Maura dedit monachis Nuchariensibus thalamos adhærentes ecclesiæ Sanctæ Maurœ, et domnus abbas Bernerius dedit ei in capitulo Nuchariensi

suam mulam, quæ decem libras appretiebatur. Testes : Petrus Goscelini, et Hugo, filius ejus ; Guillelmus Turbatus ; Balduinus, famulus abbatis.

Hoc donum similiter fecit Avis, uxor ejus. Testes : Joduinus de Peronel ; Guillelmus Turbatus ; Petrus Goscelini, ac circuitum eorum.

Cart. orig., folio 130, verso ; copie, p. 577.

DXVIII.

Girardus Foleti vendit priori Busseriarum quicquid habebat in riparia de Corbrée.

(C. AN. 1140.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Girardus Foleti posuit sub censu XII nummorum et in venditione sexaginta solidorum Petro priori Busseriarum, quicquid habebat in riparia de Corbrée, pratum, aquam, complantiones salicum, et si quid ibi aliud creverit, ita ut amodo et deinceps Nuchariensis ecclesia quietum et immune habeat in perpetuum. Hoc concessit Hugo de Sancta Maura, de cujus feodo erat, et habuit XX solidos. Testes hujus rei : Petro Mauros ; Petro de la Braye ; Malindrerius ; Paganus Corprée, et habuit inde fuscolentum.

Item Petrus de Fonte vendidit supradicto Petro, priori de Busseriis, suum pratum de Dumiré XXX solidis. Quod pratum concessit illi Girardus Foleti, cujus ipsum erat censuale, ita pacto ut inde habeat quatuor denarios census annuatim, et pro concessione habuit XII denarios. Paganus Corprée habuit VI denarios ad testimonium perhibendum.

Hoc factum est in manu Bernerii abbatis, ipso et aliis multis præsentibus. Testes: Yrvisus; Paganus, nepos prioris; Giraudus do Chemin.

Iterum notandum quod Giraldus Folleti quatuor supradictos denarios censuales, qui illum de prædicto prato contingebant, dimisit Petro, priori de Busseriis, pro chenevererio quod situm est post domum ipsius.

Cart. orig., folio 187, verso; copie, p. 579.

DXIX.

Iterum agitur de venditione facta per Girardum Foillet.

(C. AN. 1140.)

Sciant præsentes et futuri quod Petrus Fulberti, prior de Buxeriis, emit a Girardo Foillet quicquid habebat in aquis, in ripariis, in arboribus, in terris, ab ulmo quæ dicitur Chacepel usque ad ulmum de Columberiis, et dedit ei sexaginta solidos, et ad censivam duodecim denariorum concessit ei et ecclesiæ Nucariensi in perpetuum quicquid supra diximus possidendum; et si aliqua calumnia insurrexerit, dedit fidem suam per omnia se defensurum. Hæc autem omnia facta sunt in manu Hugonis de Sancta Maura de cujus feodo erant, et ipse concessit ecclesiæ Nucariensi ista contra omnes homines se defensurum; et habuit inde viginti solidos in caritate.

His vero ripariis conjuncta erat terra quam habebat Petrus de Fonte ad censum de Girardo Foillet. Hanc terram præfatus prior emit ab eodem Petro de Fonte quatuor libras et quinque solidos, et Girardus Foillet habuit viginti solidos, de cujus censu erat, et concessit

ecclesiæ Nucariensi in perpetuum possidendam, et habebit inde annuatim xx denarios census.

Testes : Petrus de Barra; Petrus Malus Rufus; Adelardus Arrabit; Giraldus et Hubertus frater ejus de Calle; Guillelmus Arrabit.

Cart. orig., folio 187, recto; copie, p. 615.

DXX.

Concordant monachi et Galterius Barba de clientela bosci de Morri.

(C. AN. 1140.)

Galterius Barba in tempore Bernerii abbatis, in bosco de Morri clientelam, quam pater suus Frogerius Barba monachis Nuchariensibus dederat, calumniatus fuit. Tandem, post multas querelas, abbas Bernerius et monachi Nucharienses ad pacem et concordiam cum eo venerunt, et omnem clientelam de Morri eis concessit, ita videlicet ut clientem quemcumque voluerint monachi in bosco illo mittant et ejiciant. Et pro hac concessione habuit unum marcum argenti in caritate. Hanc autem eleemosynam et concessionem ipse et heres ejus qui terram suam post eum habebit, semper monachis Nuchariensibus tuebitur et defendet. Testes hujus rei fuerunt: Petrus de Castello; Araldus de Cursai; Lambertus Catus; Boso de Furnol; Petrus Tira-prædam; Goffredus Amassart; Petrus de Vohech.

Cart. orig., folio 187, verso; copie, p. 581.

DXXI.

De quadam decima apud Vinnaicum.

(C. AN. 1140.)

Noscant præsentes et futuri quod Juliana de Argentum, et Paganus Frogerii, et Guillelmus frater ejus, et Fulcodius, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus, in capitulo eorum, in manu Bernerii abbatis, decimam quam habebant apud Vinnaicum in eleemosynam pro remedio animarum suarum et parentum suorum, et posuerunt donum super altare Sanctæ Mariæ cum cultello Bartholomæi, tunc prioris de Canavellis. Postea promiserunt in manu supradicti abbatis se eam omnibus diebus vitæ suæ defensuros esse. Monachi vero concesserunt eis omne beneficium ecclesiæ, insuper dederunt eis undecim libras in caritate. Testes: Amalvinus; Yrvisus; Goslenus Niquen; Hugo Roscelini; Superbus; Ademarus.

Concessit hoc Septembreschia, et Aimericus filius ejus, et Guillelmus frater ejus, et Septembreschia, quam supra diximus, habuit x solidos. Testes: Radulfus, presbyter; Petrus Goscelini; Paganus, carnifex; Guillelmus Popardi; Adelelmus Bernegaut; Rogerius et Robertus, filius ejus, apud Nucastrum.

Cart. orig., folio 151, recto; copie, p. 583.

DXXII.

Concordant monachi et Natalis de quadam terra ad Furcas prope Lausdunum.

(C. AN. 1140.)

Nos monachi Nucharienses tam futuris quam præsentibus per hanc cartam notum fieri volumus, quod Natalis et filii ejus, Stephanus et Aimericus, de quadam terra nostra quæ est sita ad Furcas prope Lausdunum, quam nobis reclamantibus et calumniantibus tenebant, quam scilicet terram de dono Rigaudi de Volort, qui pro ipsa terra factus est monachus noster per manum fratris nostri Bartholomæi Laudunensis, habueramus, talem nobiscum concordiam fecerunt, ut scilicet pro eadem terra tres minas frumenti nobis annuatim in festivitate sancti Michaelis persolverent. Hæc concordia facta est in præsentia Telivi Bernium, tunc temporis archipresbyteri Laudunensis, per manum Borrelli et Blandini, quos domnus abbas Bernerius vicarios pro se componendæ et confirmandæ pacis constituerat. Testes: Aimericus de Amehaico; Fulco, cognomento Rex.

Postea vero cum prædictus Bartholomæus Lausdunum venisset, coram ipso Natalis et Stephanus præscriptam concordiam concesserunt et confirmaverunt, adsistentibus Borrello, et Fulcone, dicto Rege, et Thoma de Mortum, et Alardo de Bosco.

Cart. orig., folio 38, recto; copie, p. 585.

DXXIII.

Tirellus, filius Ermensendis, in curia Goffredi de Mirmandia, se tres minas frumenti redditurum promittit.

(C. AN. 1140.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Robertus presbyter de Nuchastro, factus monachus, dedit Deo et Sanctæ Mariæ III minas frumenti ad la Bosseriam, quas reddebat ei annuatim in festo sancti Michaelis, Ermensendis, mater Tirelli. Postea terra illa de qua consuetudo illa reddebatur, venit in manu Tirelli. Qui eam consuetudinem per aliqua tempora Sanctæ Mariæ reddere contendit. Idcirco abbas Bernerius veniens in curiam Goffredi de Mirmandia, cum Tirello placitavit, et per rectum judicium a Tirello tres minas supradictas frumenti adquisivit, qui in unoquoque anno in festo sancti Michaelis se amplius redditurum concessit.

Hujus rei testes fuerunt : Goffredus de Mirmandia ; Gauterius Ponci ; Hugo de Maximiaco ; Hugo de Antoniaco ; Paterius de Peccha ; Paganus, famulus abbatis ; Maliquantus.

Cart. orig., folio 38, verso; copie, p. 387.

DXXIV.

Archembaudus de Argeio dimittit calumniam quam immiserat in decimam de Abilliaco.

(C. AN. 1140.)

Noscant præsentes et futuri quod domnus abbas Bernerius, assumpto secum Petro Goscelini, tunc temporis priore de Sancta Maura, et Bartholomæo, sacrista, apud Locas convenit Archembaudum de Argeio et filium ejus nihilominus Archembaudum, super calumniam quam inferebant decimæ nostræ de Abilliaco, et aquæ et terræ et censui, quæ de dono Gaufridi Treverensis et Aimerici, fratris ejus, pacifice possederamus. Qui rationem et petitionem abbatis et monachorum præsentium opportune et gratanter suscipientes, ibidem scilicet in domo sua quæ est sita prope nobilem capellam Beatæ Mariæ, devotionis affectu calumniam finierunt, et decimam et cætera superius enumerata abbati et monachis præsentibus quiete in perpetuum possidenda concesserunt, et ab omni calumniatorum incursu se defensuros spoponderunt, suscipientes continuo beneficium ecclesiæ nostræ per manum et osculum supradicti abbatis. Testes ex parte sua, Palmerius; Petrus de Paluel; Petrus *Mala costa;* Andreas Rufus. Ex nostra parte, Archembaudus.

Cart. orig., folio 48, verso; copie, p. 589.

DXXV.

Radulfus, dominus Fagiæ, homines qui stabant ad Gatnaicum liberos facit.

(C. AN. 1140.)

Notum sit omnibus quod Radulfus, dominus Fagiæ, quærebat homines Sanctæ Radegundis sibi expletabiles, qui stabant in alodio Gatnaici. Quapropter abbas Bernerius volens aquitare homines de hac consuetudine, dedit Radulfo quadringentos solidos in caritate. Et ipse Radulfus dimisit eos liberos omni tempore quamdiu starent in terra Sanctæ Mariæ; si vero de ea exirent, ad priorem consuetudinem reverterentur, et ei sicut prius expletabiles essent. Hoc concesserunt uxor ejus Helisabeth, et filius ejus..... et filiæ..... et Eustachia.

Testes : Boso de Furnol; Guillelmus Aliagart; Amalvinus, frater ejus; Petrus de Ravacai; Rainaldus de Magno-Campo; Guillelmus, nepos abbatis.

Cart. orig., folio 214, verso; copie, p. 595.

DXXVI.

Quædam prata apud Marcilliacum conceduntur Tirello et fratribus ejus.

(C. AN. 1140.)

Scripto commendamus quod monachi Nucharienses dederunt Tirello et fratribus suis apud Ruelinam, illam junchetam quæ est de obedientia de Marcilliaco, hoc

modo. Tirellus et fratres sui ædificabunt in illis juncosis prata et salices de quibus, videlicet pratis et salicibus, habebunt monachi medietatem. Et monachi facient secare medietatem pratorum ; Tirellus vero et ejus fratres reddent monachis de medietate pratorum censum. Duobus primis annis habebunt Tirellus et ejus fratres totam pratorum herbam. Postea concesserunt eis monachi ut aqua quæ dormiebat in illis junchosis per terram monachorum laberetur, hoc pacto ut monachus de Canavellis in unoquoque anno ex eisdem pratis truxam asini haberet, et medietatem salicum quas plantarent similiter.

Testes sunt : Bigotus, presbyter ; Rainaldus Cheneta; Bartholomæus ; Thetbaldus ; Ancherius ; Gunterius ; Girardus Angligena.

Cart. orig., folio 147, recto ; copie, p. 397.

DXXVII.

Galterius de Situla, monachus factus, dat pratum apud Canavellas.

(C. AN. 1140.)

Notum sit omnæ nostræ ætati et posteriori quod Galterius, cognomento de Situla, die quo se tradidit in manu Raginaldi, prioris ecclesiæ Nuchariensis, monachandum, dedit Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis Nuchariensibus suam partem de prato quod est apud Canavellas et vocatur pratum de Petra. Hoc donum die eadem fecit similiter frater ejus Mauricius, et super altare Beatæ Mariæ posuit, multis videntibus et audien-

tibus, ex quibus aliquos hic subnotare curavimus, videlicet Goffredus, dominus Mirmandiæ; Hugo Aliagardi; Tirellus; Bartholomæus de Sarigniaco; Guitto, præpositus; Petrus Simonis; Goffredus Engilgerii; Symon de Matheriis; Daniel, sutor; Garinus Radulfi; Garinus Bernerii; Petrus Bernardi.

Cart. orig., folio 151, recto; copie, p. 599.

DXXVIII.

Concordia inter Bernerium abbatem et Hugonem de quadam terra apud Bosnaicum.

(C. AN. 1141.)

Notum fieri volumus præsentibus et futuris, quod homo quidam, Hugo nomine, apud Bosnaicum terram quamdam ecclesiæ Nuchariensis longo tempore injuste tenuerat. Quod videns abbas Bernerius, ipsam terram ad ecclesiam reducere volens, placitum cum eo inivit. Facta itaque concordia, medietatem terræ illius ad consuetudinem duorum pullorum, et ad terragium VII^{as} gerbæ prædicto Hugoni et heredi uxoris suæ abbas in capitulo concessit. Aliam vero medietatem ipsius terræ sibi retinuit. Testes hujus rei fuerunt: Brictius de Chillo; Galterius Pleevilem; Petrus de Sancto Savino; Alo Crassalabia.

Cart. orig., folio 167, verso; copie, p. 601.

DXXIX.

Judicium in curia comitis Andegavensis inter monachos et Johannem de Monte Basonis.

(C. AN. 1141.)

Noscant præsentes et futuri quod Johannes de Monte Basonis calumniatus est boscum de Menne ad castrum suum claudendum, et terram et exsartos ipsius terræ, abbati Bernerio et monachis Nuchariensibus. Quapropter ipse abbas et monachi acceperunt placitum cum eo in curia comitis Andegavensis. In qua judicatum fuit a baronibus bellum inter abbatem et Johannem. Die autem statuto venit abbas paratus in curiam, in qua Johannes defuit, et de ipsa causa deficiens, se nullo modo præsentavit. Judicatum est ergo abbati et monachis Nuchariensibus omnem boscum et terram integre possidere, sicut ecclesia omni tempore antea possederat. Ex sua parte, Ribotellus de Aia; Joduinus, qui habebat neptam suam. Ex parte abbatis, Robertus de Avaisse; Malet, præpositus comitis; Gauterius Faimaut; Fulco, frater ejus.

Cart. orig., folio 72, verso; copie, p. 603.

DXXX.

Bernerius abbas concedit quædam prata Rotberto et Algerio.

(C. AN. 1141.)

Bernerius, abbas Nuchariensis, cum assensu totius capituli, concessit Rotberto et Algerio Vezie, tria arpenta prati, cum duobus solidis census, et ipsi duo fratres dederunt centum solidos omnibus communiter monachis. Testes : Guillelmus Turbatus ; Rainaldus Turbatus; Paganus de Podio; Achardus Fascina vetulam ; Helias Turbatus ; Robinus ; Rainerius.

Cart. orig., folio 126, recto ; copie, p. 605.

DXXXI.

Guillelmus Gorruns concedit monachis terram de Ribaro.

(C. AN. 1141.)

Notum sit omnibus quod Guillelmus Gorruns apud Antoniacum concessit in manu domni Bernerii abbatis, terram de Ribaro quam dederat pater suus monachis Nuchariensibus, et exinde habuit in caritate duos solidos, et unam murenam. Testes : Hugo de Antoniaco ; Guillelmus de Faia ; Boso, clericus.

Concessit hoc Mauricius, filius ejus, audiente Gauterio, sutore; Adelelmo; Girardo; Martino Lecatorio; Radulfo de Peto; Rainaldo de Faia ; Aimerico, filio Benedictæ.

Cart. orig., folio 170, recto; copie, p. 607.

DXXXII.

De censu cujusdam terræ apud Polinniacum.

(C. AN. 1141.)

Sciant præsentes et futuri quod Vilana de Haia, in fine vitæ dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nucharіensibus unum arpennum terræ et dimidium, quam habebat apud Poligniacum de censu Johannis Alexandri et Galienæ, sororis ejus, in qua habebat Fulcherius Achardi duodecim denarios de custodia, et Johannes et soror ejus alios XII de censu. Exinde habuerunt Johannes V solidos et Galiena V in caritate.

Testes: Petrus, cellararius, qui denarios donavit; et Egidius, præpositus; et Paganus, famulus eorum; et omnibus Becogne unicuique unum denarium.

Cart. orig., folio 41, verso; copie, p. 609.

DXXXIII.

Iterum agitur de eadem terra apud Polinniacum.

(C. AN. 1141.)

Noscant præsentes et futuri quod Vilana de Haia dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nucharіensibus terram quam habebat apud Poligniacum, quæ erat de censu Johannis Alexandri. Ipse autem Johannes, et soror sua Galiena, et filii Galienæ Guillelmus et Aimericus, et filia Juliana, dederunt censum supradictis monachis, et exinde habuerunt in caritate quindecim solidos. Testes:

cellararius; Johannes; Rainaldus; Vilanus; Aimericus Niquens.

Cart. orig., folio 51, verso ; copie, p. 613.

DXXXIV.

Partitio, ex judicio Innocentii Papæ II, *omnium oblationum ecclesiæ S. Mauræ inter monachos Nucharienses et presbyteros vicarios.*

(C. AN. 1142.)

Cum multo tempore, triginta fere annis a tempore videlicet Radulfi Turonensis archiepiscopi secundi, ecclesiam Sanctæ Mauræ, quam ipse Radulfus ecclesiæ Nuchariensi et monachis ibi manentibus concessit, monachi Nucharienses cum omnibus pertinentiis suis, tempore Stephani abbatis, et Gaudini abbatis, et Bernerii abbatis, tranquille et quiete pertinuissent, ejusdem abbatis Bernerii tempore, inter presbyteros, Guillelmum videlicet vicarium et socium ejus Guillelmum Teberti, et monachos, Matheum ejusdem ecclesiæ priorem et socios ejus, eodem abbate Bernerio existente apud Romam ad concilium domini Papæ Innocentii secundi (1), quædam contentio de redditibus ipsius ecclesiæ processit. Quæ quidem, nulla prece, nullo placito, apud Huonem archiepiscopum et clericos ejus ullo modo terminari potuit. Sumpto itaque consilio abbas Bernerius in capitulo suo cum monachis, hac de causa Romam petiit, ibique domino Papæ Innocentio omnem causam suam, prout gesta fuerat, existente ibi Theovino, Huonis ar-

(1) Ibi agitur de concilio Lateranensi II, anno 1139 celebrato.

chiepiscopi nuntio, et archipresbytero, multis audientibus, in publica curia palatii expedite et laudabiliter propalavit. Ex præcepto igitur domini Papæ, res omnis ecclesiæ Sanctæ Mauræ, sicut Radulfus Turonis archiepiscopus ecclesiæ Nuchariensi concesserat, et idem monasterium per plura tempora succedentium archiepiscoporum, et ejusdem ecclesiæ abbatum et presbyterorum, tenuerat, est restituta abbati Bernerio et ecclesiæ Nuchariensi, et sui scripti et sigilli patrocinio confirmata.

Pro hac etiam causa ad domnum Gaufridum Carnotensem episcopum et sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatum, per eumdem abbatem Bernerium litteras signatas direxit, in quibus ei mandavit et præcepit ut per archiepiscopum H. Turonensem omnibus rebus et ornamentis ecclesiæ Sanctæ Mauræ, sicut ipse verbis suis et litteris confirmaverat, monachos Nucharienses investiret. Collectione itaque facta ipsius legati et quorumdam episcoporum vel abbatum seu probatarum personarum apud Fontem Evraudi, assistentibus episcopis, archiepiscopo videlicet Turonensi (1); archiepiscopo Burdegalensi, G. (2); episcopo Pictavensi, G. (3); Nannetensi, J. (4); episcopo Redonensi, A. (5); abbatibus etiam, scilicet Majoris Monasterii, G. (6); Sancti Florentii, M. (7); Burgulii, P. (8); Sancti Juliani Turonensis, A. (9); Arnaldo abbate quondam Sancti Florentii Bonæ Vallis; et

(1) Hugone II.
(2) Gaufredo III.
(3) Gisleberto Porretano.
(4) Itherio.
(5) Alano I.
(6) Garnerio.
(7) Matthæo.
(8) Petro I.
(9) Aimerico.

multis aliis abbatibus qui adfuerunt; personis etiam quibusdam nobilibus, decano videlicet Turonensi, G.; thesaurario Turonensi, E.; archidiacono Pictaviensi, A.; archidiacono Pictaviensi, L.; archidiacono Pictaviensi, L.; archidiacono Carnotensi, et ipsius legati capellano, R.

Præcepit legatus H. archiepiscopo Turonensi, ut sicut Apostolicus mandaverat et præceperat, ornamentis ecclesiæ Sanctæ Mauræ et cæteris rebus monachos Nucharienses, sicut multo tempore habuerant, investiret. Igitur ex consilio prædictarum personarum, Burdegalensis archiepiscopi, abbatis Majoris Monasterii, abbatis Sancti Florentii, archiepiscopus Turonensis quemdam de clericis suis Theovinum archipresbyterum ad capitulum Nuchariensis monasterii misit, ibique abbas B., ipso T. assistente, et G. capellano Sanctæ Mauræ, Galterio capellano Nuchariensi, Bartholomæo clerico, monachos qui apud Sanctam Mauram ab initio manserant, Constantinum videlicet, Nicholaum de Valentia, Rotbertum de Parillé, Araldum quondam ipsius ecclesiæ capellanum, postea monachum, Matheum ipsius ecclesiæ tunc priorem, per obedientiam obtestatus est sub periculo ordinis sui, videlicet sacerdotalis, sicut unusquisque suo tempore et aliorum archiepiscoporum vel abbatum tenuerat, veritatem profiteretur.

Unus itaque eorum, Araldus nomine, pro omnibus aliis elocutus, veritatem confessus, dixit omnes prædictos monachos ita tenuisse, videlicet quinque principalia festa: Natale Domini, cum octabis suis, excepto offerentia domini ipsius castelli, et uxoris ejus, filiorum ac filiarum ejus, armigeri sui proprii, clientum et duarum pedissequarum domus suæ; et victus sui; vicarii sui, et uxoris ejus; thelonearii sui, et uxoris ejus, excepto offerentiam de Anzai. Festum Sanctæ Mauræ, proprium totum ad

procurationem servientium. Purificationem Sanctæ Mariæ, sicut Natale Domini. Offerentiam quæ facta est ad crucem in Ramis Palmarum, communem inter monachos et presbyteros. Pascha et octabas, sicut in Natale Domini. Rogationes et Ascensionem, sicut Natale Domini. Cæteras omnes festivitates totius anni, per medium. Judicia, bella, sacramenta, peras, classica, generales missas mortuorum corporum, dum sunt in ecclesia, per medium. Omnium offerentiarum quocumque modo factæ fuerint in ecclesia super altare, per medium. Benedictio sponsi et sponsæ, et offerentia eorum, purificatio etiam mulierum, panis et candela, et denarium, presbyterorum est. Si sequentia fuerit aliorum, per medium est. Duodecim denarii alicujus mortui per medium sunt, nisi communiter, tam presbyterorum, quam monachorum, remissio facta est. De vineis et terris aut aliquibus rebus, quæcumque ecclesiæ datæ fuerint, per medium. Prædicatores, qui prædicare voluerint, prius per nos, postea per sacerdotes prædicabunt.

Cart. orig., folio 129, recto; copie, p. 531.

DXXXV.

Terram de Pendulo monachi concedunt ad plantandum vineas.

(C. AN. 1142.)

Terram de Pendulo ad plantandum vineas tali convenientia concessimus Ainardo clerico et ejus successoribus, ut nos unam partem, et ipse duas accipiat, ita tamen ut inde nobis censum Dei reddat, et si forte homo

alterius potestatis successerit, post ejus obitum nihil in eis dominus ejus clamabit, et si heres in eis aliquis non fuerit, nobis remanebunt.

Cart. orig., folio 51, verso; copie, p. 611.

DXXXVI.

Bernerius abbas concedit Petro Guiberti quamdam domum apud Esmantiam sub ratione census trium solidorum.

(C. AN. 1142.)

Notum sit omnibus præsentibus et futuris quod abbas Bernerius et omnis conventus ecclesiæ Nuchariensis dederunt et concesserunt Petro Guiberti et heredi ejus quamdam domum quæ erat in Esmantia, tali pacto ut unoquoque anno reddat censum trium solidorum in festo sancti Egidii, ita scilicet ut nullam aliam consuetudinem reddant. Si autem abbas Nuchariensis et prior ejus loci aliquid quærere voluerint pro aliqua necessitate ab aliis hominibus ejusdem burgi, ipsi etiam secundum modum suum eis tribuent. Quod si ad venditionem de manu sua extrahere voluerint, ille qui eam habuerit, omnes consuetudines quas domus illa prius reddere solebat, exinde monachis reddet. Hoc autem factum est in capitulo apud Nucharios, præsente Bartholomæo Bertin; Guillelmo Guetdi; Goffredo Paratori; Rainaldo Johanni.

Hospes domo eadem semper ad molendinum nostrum molet et ad furnum nostrum coquet.

Cart. orig., folio 167, recto; copie, p. 623.

DXXXVII.

Bernerius abbas concedit rupem subterraneam apud Cainonem Guillelmo Vicecomiti, sub ratione census duodecim nummorum.

(C. AN. 1142.)

Ne rei gestæ memoriam possit abolere vetustas, ego Guillelmus, cognomento Vicecomes, memoriæ futurorum litterarum adnotatione decrevi commendandum, quod abbas Bernerius et monachi Nucharienses concesserunt mihi in capitulo suo quamdam rupem subterraneam quam habebant in Chainonensi castro, quæ rupis est Sanctæ Mariæ ab indigenis appellata, a Rainaldo quondam possessa. Hanc, inquam, rupem ea conditione mihi et heredibus meis concesserunt, ut pro illa XII nummos censuales in octabis sancti Maximi per singulos annos illis solveremus. Hoc autem mihi interdixerunt ne rupis supradicta aliquo modo in aliam quam in meam et posteritatis meæ deveniret potestatem.

Cart. orig., folio 166, verso ; copie, p. 625.

DXXXVIII.

De molendino de Cavennis.

(C. AN. 1142.)

Notum sit præsentibus et futuris quod abbas Bernerius et omnis conventus Sanctæ Mariæ de Nuchariis concesserunt Rainaldo de Cavennis molendinum de Cavennis omnibus diebus vitæ suæ et heredi ejus, tali pacto ut

unoquoque anno reddat cellarario hujus ecclesiæ ad festum sancti Michaelis IIII sextaria frumenti, et IIII de siligine, et IIII de hordei ad mensuram hujus villæ. Iterum concesserunt ei terram et ripariam totam, et ipse Rainaldus reddet unoquoque anno penetario hujus ecclesiæ ad festum sancti Michaelis I sextarium frumenti et unum de siligine. Testes : Fulcodius de Nucastro ; Burchardus de Grailla.

Cart. orig., folio 167, recto ; copie, p. 617.

DXXXIX.

De quadam terra apud Vinniacum.

(C. AN. 1142.)

Ab humanis mentibus hominum verba citius elabuntur, nisi aliqua litterari memoria quæ dicuntur ad successorum quietem et pacem diligentius describantur. Idcirco præsentium et futurorum utilitati providentes, omnibus innotescimus quod Guido Catus de Haia, et Mabralla soror ejus, de terra sua apud Vinniacum annuerunt Deo et Sanctæ Mariæ Nucharіensi ac monachis ibidem manentibus, ad censum Andegavensis monetæ novem denariorum, ad omnia quæcumque ibi facere voluerint, et terram ipsam non arpennum ad arpennum, neque operam ad operam, sed in quadrum ad percam Sancti Mauritii mensuraverunt. Huic autem mensurationi interfuit Guido Catus et Odo Lepus, maritus sororis suæ Morraliæ ; et Bernardus Freslo, qui terram ipsam mensuravit ; Benedictus, serviens monachi Aldeberto ; Rainaldus, monachus ; Moyses, monachus ; Gal-

terius de Anzai. Si autem in rivulo terræ facta fuerit sclusa, et de alia terra eorum occupaverit, censum reddent secundum prædictum modum. Hac de causa convenere in capitulum et omnia hæc annuerunt Guido Catus, ut supra dictum est; Morralia, soror ejus; Gualterius, filius ejus; Radulfus, filius ejus; Odo Lepus.

Testes hujus rei fuerunt: Drogo de Ferrariis; Bernardus Freslo; Engilgerius de Mota; Achardus de Boisé; Odo Arotellus; Frumentinus; Odo de Albigné; Tethbaldus, coquus; Johannes.

Cart. orig., folio 149, recto; copie, p. 619.

DXL.

Odo Lepus, pro anima filii sui Levraudi, concedit terram apud Vinniacum.

(C. AN. 1142.)

Noscant præsentes et futuri quia Odo, cognomento Lepus, habebat quemdam dilectum filium suum, nomine Levraudum, quem, sicut sese habent res humanæ, contigit obire. Cumque obiisset, delatum est corpus ejus Nucariis ad sepeliendum; eoque ab abbate Bernerio et monachis honorifice sepulto, prædictus Oddo, pater ejus, atque Morallia, mater ipsius, dederunt Deo et ecclesiæ Nuchariensi in eleemosynam pro anima filii sui Levraudi jam dicti novem arpendia terræ ad Vignaicum super Ribarellam usque in ipsum medium aquæ. Hoc concessit Guido, cognomento Catus; Gauterius Poncii; Petrus Lepus; Aimericus Lepus; Goffredus Lepus; Girardus Lepus, et soror eorum Orgoillosa.

Testes : Girardus, presbyter; Rainaudus Vierz; Gauterius de Anzaico; Vasletus Girbaut; Irvisus; Garinus de Burgo novo; Achardus Fascina vetulam; Bartholomæus de Montagré; Araudus de Montagré.

Cart. orig., folio 153, recto; copie, p. 621.

DXLI.

Odo Lepus dat quosdam census apud Vinniacum.

(C. AN. 1142.)

Sciendum est præsentibus et futuris, quod Odo Lepus et Moralia, uxor ejus, dederunt pro anima filii sui Levraudi, Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nucharien-sibus x et VII denarios et obolum census, quem habebant apud Vinniacum. Hoc annuerunt filii eorum Petrus et Gaufridus.

Annuerunt etiam Bartholomæus et uxor ejus Jerosolima; Guido Catus; Galterius Poncii, nepos ejus.

Testes sunt : Petrus Goscelini; Araudus de Monte Agrio, nepos ejus; Galterius de Anzaico; Bigotus, presbyter; Galterius Pruneta; Guaildinus, carnifex.

Cart. orig., folio 150, recto; copie, p. 627.

DXLII.

Bernerius abbas dat Vasleto terram Godini presbyteri.

(C. AN. 1143.)

Noscant præsentes et futuri quod abbas Bernerius et monachi Nucharienses dederunt Vasleto omnem terram Godini presbyteri, et vineas et domum, tali convenientia ut quamdiu bene exercuerit, habeat quiete et heres ejus. Quod si non bene exercuerit, monachi ea ut sua accipiant. Testes : Andreas Rigaut ; Amelot, filius Johannis Porcherii.

Cart. orig., folio 166, verso ; copie, p. 631.

DXLIII.

Guillelmus Boslardi aream molendini accipit a domno Bernerio abbate.

(C. AN. 1143.)

Notum fieri volumus futuris et præsentibus quod Guillelmus Boslardi aream molendini quæ est sita in valle Montis vel Rupis Clari Mallei, accepit a domno Bernerio abbate et a Rainaldo de Cornu, tunc temporis priore Pariliaci, et monachis Nuchariensibus, sub tali constitutione ut in prædicta area molendinum reformaret, pro quo sex sextarios annuæ modiationis, tres scilicet sextarios siliginis et tres hordei, in festivitate sancti Michaelis monachis Parilìacensibus redderet. Pro hujus modiationis reditu Guillelmus prædictis monachis fide-

jussores se daturum spopondit per singulos annos ad voluntatem monachorum..... rationabili terminum anno integro monachis reddi differatur, molendinum cum ædificiis suis, et cum adjacentiis suis in qualibet terra ad usum molendini præparatis, monachis integre et quiete jure perpetuo possidendum remanebit. Testes : Tethbaldus Garini; Orricus Achardi; Gauterius Bernerii.

Cart. orig., folio 167, recto; copie, p. 633.

DXLIV.

Hugo Roscelini clamat filios Bernardi liberos ab omni servitutis consuetudine.

(C. AN. 1143.)

Agnoscant præsentes et secuturi quod Hugo Roscelini super filios Bernardi Petrariæ quærebat servitutis obsequium, propter matrem illorum, uxorem Bernardi, pro qua Bernardus Roscelino patri Hugonis decem et octo denarios per singulos annos reddebat, quamdiu ipsa vixit. Tandem, post multas conflictationes hujus rei venerunt in præsentia domni Bernerii abbatis et Hugonis de Sancta Maura, et ibi concordia facta, ipsos filios Bernardi ab omni servitute et servitutis consuetudine liberos clamavit, ut nunquam ulterius nec ipsi nec heredes eorum aliquam consuetudinem reddant, præter decem et octo denarios in festivitate Omnium Sanctorum; nullam fidejussionem, nullam exactionem hospitandi vel alicujus rei habebit in eis. Pro hac dederunt Hugoni Roscelini III libras, et matri ejus X solidos, et Hugoni de Sancta Maura XX solidos. Qui etiam horum tutor et de-

fensor erit, ita ut quicumque ex hac die in eis postulaverit, ipse ad utilitatem nostræ ecclesiæ eos defendat. Petrus Symon habuit sex sextarios avenæ; Matheus frater ejus totidem. Hujus rei testes fuerunt : Petrus Goscelini; Bernardus, presbyter; Erveus; Amalvinus; Achardus Magnus; Goffridus de Voo; Paganus, vicarius.

Cart. orig., folio 169, recto; copie, p. 635.

DXLV.

Commutatio quarumdam terrarum inter priorem Salvagii et homines de Pussiniaco.

(C. AN. 1144.)

Memoriæ tradimus futurorum rem gestam a præsentibus quæ est hujusmodi. Monachi Nucharienses habebant terras apud Pussigniacum in pluribus : ad Sevilia, III sextariatas; ad Varenam super Vigennam, duas sextariatas in uno loco, et III minatas in alio; ad Curtam Fidem unam sextariatam; ad Marzellam, unam minatam. Terræ istæ erant proximæ duobus hominibus de Pussigniaco, Benedicto et Stephano, et ideo eis contrariæ; sed et ipsi habebant terras apud Salvagium quæ erant nihilominus obnoxiæ monachis atque contrariæ. Quapropter Johannes, tunc temporis prior Salvagiaci, et dicti homines locuti sunt ad invicem quomodo terræ illæ commutarentur; et abierunt illi, Benedictus scilicet et Stephanus, ad dominos suos, Aimericum de Narbona, et Mauricium, filium ejus; Aimericum, filium Ivonis, et Petrum Simonis, a quibus terras illas tenebant, loquentes cum eis et suggerentes

de commutatione. Johannes vero prior Salvagiaci abbati Bernerio et monachis eam rem nihilominus suadebat. Sumentes itaque memorati domini Aimericum, cognomento Leporem, Vasletum Girbaut, Augerium de Mota, Andream de Silligniaco, miserunt eos ad considerandas terras, utrum æquivalens esset commutatio. Quibus visis et sibi placitis, convenerunt apud Nucharios tam domini quos supra diximus, quam homines eorum, Benedictus et Stephanus, et cum abbate Bernerio et monachis fecerunt et firmaverunt de memoratis terris gratam ex utraque parte et sine ullo retinaculo commutationem. Terram de Trivio Bretelli, IIII sextariatas super viam et II subtus, quæ erant Stephani de Pussigniaco, habuerunt monachi pro illa de Sepibus Albini; et pro IIII sextariatis de Varena super Vigennam, terram de Gaatello, de qua duo sunt sextariatæ, quæ erat Benedicti de Pussigniaco. Habebunt monachi pro terra de Curta Fide et pro I sextariata Varenæ super Vigennam, tres minatas terræ quas habebat B. de Pussigniaco, ubi nunc est petraria monachi de Salvagia; et unam sextariatam ad Gruetum habuerunt monachi pro tribus minatis quæ sunt in Varena super Vigennam quæ fuerunt Andreæ Adelermi, et pro una minata quæ est ad Marzellam.

Testes: Oldricus Ligras; Schalo Martini; Odricus; Benedictus Guidonis, et omnes prænominati qui ierunt ad considerandas terras.

Cart. orig., folio 165, recto; copie, p. 637.

DXLVI.

Bernerius abbas calumniatur contra homines de Montiniaco totam terram Savarici de Buceia et totam terram Girardi Deo Gratias.

(C. AN. 1144.)

Notum sit omnibus hominibus tam futuris quam præsentibus, quod terram et silvam Savarici de Buceia, et terram et silvam Girardi *Deo Gratias*, exsarta videlicet et totam terram arabilem, et totam silvam, quam tenebant homines de Montiniaco, videlicet Aleelmus et Gauterius filius ejus, Bernardus et David filius ejus, et Udelinus gener ejus, Effredus et Aimericus filius ejus, Stephanus filius Giroardi de Montiniaco, quam terram totam et silvam supradictam dicebant se habere in hereditatem, abbas Bernerius et monachi de Nucheriis calumniaverunt, et omnem terram arabilem et exsarta, et silvam, et cultam et incultam terram Savarici de Buceia et Girardi *Deo Gratias* in suam dominicam et in propriam terram ipse abbas et monachi de Nucheriis voluerunt habere. Post multas autem querelas, composita cum eis pace et facta concordia, ipsi homines supradicti de Montiniaco recognoscentes culpam suam et jura abbatis et monachorum, se in capitulo præsentaverunt et terram de Valete, quæ erat propria hereditas eorum, ibi Deo et Sanctæ Mariæ et abbati et monachis de Nucheriis concesserunt. Et pro hac re totam terram Savarici de Buceia et totam terram Giroardi *Deo Gratias*, exsarta videlicet, et omnem etiam terram silvarum cultam et incultam ad rumpendum et excolendum, ad terragium septimæ gerbæ, quamdiu legitime redderent

ecclesiæ Nucharіensi, abbas Bernerius et monachi ipsis hominibus de Montiniaco supradictis et omnibus heredibus eorum quamdiu legitime se haberent, in capitulo donaverunt et obtinendum concesserunt. Quamdiu autem terra illa inculta erit, et silva manebit, erit in potestate abbatis et monachorum de Nuchariis ad expletandum. Concessit etiam clientelam suam, sicut habuit et tenuit pater eorum.

Hujus rei testes sunt ii quorum hic scripta sunt nomina : abbas Bernerius ; Nicholaus de Valentia ; Guillelmus Aleagardus ; Herbertus, qui scripsit istas litteras ; Petrus, cellararius ; Raginaldus, prior ; Achardus Fascina vetulam ; Raimundus de Portu ; Guido de Montibus ; Gauterius de Montiniaco, et Aimericus frater ejus ; Andreas, filius Natalis ; Giroardus Sarpaudus ; Mauritius de Campis ; et Araudus filius ; et Guillelmus de Portu ; Aleelmus de Montiniaco, et David filius ejus ; Barnardus de Montiniaco et David filius ejus ; et Udelinus gener ejus ; Effredus et Aimericus filius ejus ; Stephanus, filius Giroardi de Montiniaco ; Guillelmus Pictavensis.

Cart. orig., folio 68, verso ; copie, p. 641.

DXLVII.

Burcardus, filius Goffredi de Mirmandia, concedit monasterio Nucharіensi medietatem burgi de Busseriis.

(C. AN. 1144.)

Notum sit præsentibus et futuris quod Burcardus, filius Goffredi de Mirmandia, concessit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis de Nucariis medietatem burgi de

Busseriis, et cimiterium, et vineam, et medietatem sclusæ, et molendinum, et omnia quæ ad obedientiam de Busseriis pertinent; et quicquid dederat Acharias de Mirmandia, et concesserat Goffredus pater suus, concessit in manu Bernerii abbatis. Quapropter dedit ei abbas octo libras in caritate. Testes : Hairus de Planta; Hugo Bocel; Guituns de Mirmandia; Paganus de Doe; Petrus Dezai.

Concessit hoc Lisoia, uxor Burcardi, et filia ejus Scholastica, apud Mirmandiam, audiente Goffrido et Hugone de Foia; et Bertranno de Mundum; et Simone de Maximé; et Guittone; et Huberto, servo; et Mainerio de Faita.

Cart. orig., folio 187, recto; copie, p. 643.

DXLVIII.

Fulcherius Achardi absolvit quosdam homines de commenditia quam ab eis exquirebat..

(C. AN. 1145.)

Noscant præsentes et futuri quod Fulcherius Achardi absolvit apud Mirmandiam Giraldum de Tribus Molendinis cum uxore sua Johanna, et Giraldum de Fai cum uxore sua Graillona, et heredes qui de renibus eorum exierunt, de commenditia quam ab eis exquirebat, præsente Bernerio abbate, et Petro de Balgence; habuitque in caritate quinquaginta solidos. Testes : supradicti monachi; Burchardus de Mirmandia; Galterius de Uxel; Petrus Hiberni; Gituns; *Media nox;* Superbus de Pizai.

Cart. orig., folio 200, recto; copie, p. 645.

DXLIX.

Concordia inter monachos et Effredum, cognatum Guillelmi Aculei.

(C. AN. 1145.)

Noscant præsentes et futuri quod Guillelmus Aculeus, factus monachus, dedit Deo et Sanctæ Mariæ terram suam, quæ erat de patrimonio suo, quam Effredus, cognatus ejus, calumniatus est. Postea vero veniens ad concordiam cum Bernerio abbate et Johanne priore de Gatnaico, concessit ei abbas tertiam partem terræ illius in hominagium. Post aliqua tempora volens illam partem terræ dimittere Sanctæ Mariæ, petiit ab abbate Bernerio et a Johanne priore ut darent ei commercium alterius terræ. Veniens autem in capitulum Sanctæ Mariæ, reliquit illam partem terræ quam habebat, et concessit Deo et Sanctæ Mariæ, et sex denarios census pro remedio animæ suæ. Concessit hoc Odo, filius ejus, et Araudus Petronellus, cognatus ejus. Abbas autem mutuo dedit ei terram quæ fuit viridarium Hugonis Goscelini; et terram quæ fuit Bosonis capicerii, ad Puteum Aurati; et vineam quæ fuit Aimerici Audeberti; et vineam quæ fuit avunculi Aimerici Chinnart; et terram quæ est juxta culturam Sancti Georgii ad Podium album.

Testes: Paganus, nepos abbatis; Yrvisus; Odo Garins; Tebaudus, coquus; Johannes, faber; Milet; Girardus.

Cart. orig., folio 215, recto; copie, p. 647.

DL.

Donum Hersendis, uxoris Araudi de Curzai.

(C. AN. 1145.)

Noscant præsentes et futuri quod Hersendis, uxor Araudi de Curzai, et filiæ ejus, Lezina et Hersendis, cognomine Pelota, concesserunt Deo et Sanctæ Mariæ quod habebant in decimam Poizie, audientibus istis, Guillelmus de Latoche; Herbertus Abelot; Petrus Savaricus; Gauterius *Sine terra;* Gaufridus Cortaut; Paganus Hensis.

Cart. orig., folio 198, verso; copie, p. 649.

DLI.

Quidam vir, cui vocabulum erat Medianox, vendit monachis decem et octo denarios census.

(C. AN. 1145.)

Notum fieri volumus futuris et præsentibus quod decem et octo denarios quos cuidam viro cui vocabulum erat *Medianox,* annuo censu pro terra quam nobis Guillelmus Agullum, monachus factus, de ejus censiva dederat, ubicumque locorum foret, reddere soliti eramus, quemadmodum Guillelmus dum ea possideret reddere solebat, illas nobis quatuor libras idem *Medianox* vendidit, eo tenore et conditione ut nihil penitus cujuslibet servitii pro hac terra hactenus persolvatur, vel sibi, vel successoribus suis.

Testes : Amaurinus ; Tetbaudus Garini ; Odo, frater ejus ; Orricus Achardi, et Araudus, frater ejus ; Gauterius Barre ; Guito de Mirmandia ; Guillelmus, cocus.

Hoc concessit Oda, mater *Medianoctis ;* Arsendis, uxor ejus ; Goffredus filius ; Aia, Audesendis, filiæ ejus, et Biatrid, filia ejus. Testes sunt : Guillelmus Gorrun, et Moricius, filius ejus ; Ugo Patrid ; Girardus de Antiniaco ; Guitun de Mirmandia ; Robertus de Corilo ; Asallid de Craticula ; David de Macroluco ; Bartholomæus de Faeta ; Grolau de Gatnaico ; Girardus de Gatnaio.

Cart. orig., folio 215, verso ; copie, p. 651.

DLII.

Sophizia, uxor Potini, dat tertiam partem molendini de Mariniaco.

(C. AN. 1145.)

Ad notitiam præsentium et futurorum litteris prænotavimus quod Sophizia, uxor Potini, dedit Deo et monachis Nuchariensibus illam partem quam ipsa et vir ejus habebant in molendino de Mariniaco, tertiam videlicet partem ipsius molendini. Testes qui hoc audierunt : Johannes, presbyter ; Aimericus Chainardus, monachus ; *Salvat granum* de Malliaco ; Johannes Giroardus ; Hulricus, presbyter.

Hoc donum annuit Rainaldus de Marinniaco, de cujus censu erat. Testes hujus annuationis : Burchardus de Mirmanda ; Aimericus de Tuscia ; Peloquinus, vicarius ; Hugo de Antoniaco ; Alexander, monachus.

Cart. orig., folio 176, verso ; copie, p. 653.

DLIII.

Aimericus Daver, miles, dimittit calumniam quam inferebat super decimas Delsiaci.

(C. AN. 1146.)

Notum fieri volumus tam præsentibus quam futuris quod quidam miles, nomine Aimericus Daver, calumniatus est Bernerio abbati et monachis Nuchariensibus decimas Rainaldi Freslun, quas dederat eis apud Delsiacum et Auriniacum. Tandem constituto (placito) die veneris coram archiepiscopo Turonensi Huone, consilio igitur ipsius archiepiscopi cæterorumque virorum et clericorum qui in præsentia illius erant, reliquit calumniam illam prædictus Aimericus in manu domni Huonis archiepiscopi, tali convenientia, ut audito obitu illius, monachi Nucarienses cantarent unam missam in conventu, et mitterent eum in martyrologio suo; et quia ipsa Jerosolimis ire volebat, dedit ei abbas Bernerius septem libras in caritate. Similiter et Goslenus de Blo, qui habebat super hoc eamdem calumniam, reliquit eam in manu archiepiscopi pro salute animæ suæ, et patris sui, et omnium parentum suorum; et quia decimæ illæ de jure ecclesiarum nostrarum erant, ipse domnus archiepiscopus reddidit eas in manu Bernerii abbatis et concessit ecclesiæ Nuchariensi.

Testes hujus rei: domnus archiepiscopus, qui hanc concordiam fecit; Symon, archidiaconus; Rotbertus, archipresbyter; Erveus, cancellarius; Garinus, magister; Aimericus, abbas Sancti Juliani; Guillelmus, famulus; Hyrvisus; Johannes de Dalsiaco. Ex parte vero

ipsius : Guillelmus, cantor Sancti Martini ; Philippus, subcantor ; Ranulfus de Busazaico ; Lardus, cliens ejus ; Drogo ; Rainaldus et multi alii.

Cart. orig., folio 136, recto ; copie, p. 657.

DLIV.

Bartholomæus de Lausduno dat monachis duo juga terræ.

(C. AN. 1146.)

Notum sit omnibus quod Bartholomæus de Lausdun, factus monachus apud Nuchariis, Aimericum Grandenier, frater ejus, et mater sua, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ in eleemosynam duo juga terræ apud Lausdunum. Post mortem autem matris suæ, memoratus Aimericus Grandenier calumniatus est terram. Quod cum audisset Bartholomæus frater ejus, ivit apud Lausdunum et rogavit fratrem suum ut pro Dei amore et suo hanc querelam relinqueret, qui ita fecit.

Testes : Bartholomæus, monachus ; Aimericus Potin, qui tunc erat armarius ; Achardus de Camventu, et Andreas de Nucharius, famuli eorum ; Borrellus et Petrus, nepos ejus ; Aimericus de Volort.

Cart. orig., folio 43, recto ; copie, p. 659.

DLV.

Boso de Furniolis, factus monachus, concedit quædam bona apud Polinniacum.

(C. AN. 1116.)

Sciant præsentes et futuri quod Boso de Furniolis apud Nucharios factus monachus, dedit Deo et Sanctæ Mariæ quicquid habebat apud Poligniacum, et terram et censum, hoc est VI denarios, et omnia quæ habebat ad Barravillene et Contravallum. Hoc concessit Barda, filia sua, Petrus et Thomas, nepotes sui; Escivros et Boso filius ejus, coram Alexio, capellano Sanctæ Mariæ, qui eum tradidit ad monachum faciendum, et coram Aleri, et Gainart, et Lamberto Cati, et Malpetit, filio Gainart.

Postea Thomas, nepos suus, Hierosolymam ire volens, dedit in manu abbatis Bernerii in claustrum Sancti Romani ante capitulum, quicquid habebat apud Polinniacum, et exinde habuit in caritate duos scyphos argenteos coram Petro cellarario qui scyphos dedit, et coram Raginaldo priori. Hoc dedit et concessit Petrus *Tira prædam,* frater ejus, qui habuit in caritate XX solidos. Testes : abbas de Engle; Alexis; Asinus Bastardus; Gainart; Guillelmus, nepos abbatis; Yrvisus.

Cart. orig., folio 46, verso; copie, p. 661.

DLVI.

Guillelmus Gorrum, pergens Jerusalem, concedit census Nuchariensi monasterio.

(C. AN. 1146.)

Notum sit omnibus quod Guillelmus Gorrum, Hierosolymam ire volens, dedit Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus census quos debebant ei hi quorum nomina subscripta sunt, præsente Mauricio filio suo, dicens ei tali pacto : « Facio hoc donum monachis ut illud omni tempore vitæ tuæ eis defendas et custodias, et si hoc agere nolueris, si pro alicujus negotio alicujus terræ tuæ bellum agere volueris ab eo cadas, nec in aliquo negotio proficias. » Qui concessit et exinde habuit III denarios in caritate.

Censuales sunt hi : Petrus Terrue, III minutas ; Bartholomæus de Pussigné, III minutas ; Gosbertus de Moncais, I denarium ; femina Afrigné, VI denarios.

Iterum dedit monachis de Gatnaico pastum in bosco suo ad oves et boves et vaccas et porcos, et ad omnes bestias quas ipsi habuerint, et quatuor arpennos de bosco de Foillos ad truncandum, ad calefaciendum et ad quicquid voluerint facere, qui exinde habuit VII solidos in caritate. Concessit hoc Mauricius, filius ejus.

Testes : Guillelmus, nepos abbatis ; Hugo de Montanai ; Sebastianus ; Johannes Chaluai ; Aimericus Giraldi ; Boteilers.

Cart. orig., folio 40, recto ; copie, p. 668.

DLVII.

Goffredus, dominus Mirmandiæ, concedit monachis quemdam servum, nomine Girardum Loricum.

(C. AN. 1147.)

Quoniam facta et dicta multorum multotiens oblivioni dantur, quæ sanctæ scripturæ memoriæ non traduntur; ideo in hac carta, tam futuris quam præsentibus omnibus hominibus notificamus quod Goffredus, dominus Milmandiæ, Giraldum Loricum esse suum servitorem et expletabilem hominem dicebat causa matris suæ Elisabeth Loricam, quam esse filiam cujusdam hominis David de Do, quia de quadam meretrice nata fuit. Et quia Girardus Loricus dominicus homo est Sanctæ Mariæ Nuchariensi et monachis, abbas Bernerius et Goffredus Milmandiæ pro hoc Girardo Lorico convenerunt ad placitum ad fontem de Nancreiaco, et ibi dominus Goffredus Milmandiæ, quamvis nullum jus in Girardo Lorico haberet, tamen illud totum quod in eo quærebat, Deo et Sanctæ Mariæ et abbati Bernerio donavit et finivit, et concessit Girardum Loricum et filios suos et filias suas usque in hodiernum diem esse liberos ab omni querela sua, et in caritate habuit XXV solidos, et Burcardus, filius ejus, XII denarios, qui concessit.

Hujus rei testes : abbas Bernerius; Aimericus Chennardus, monachus; Goffredus Turonicus, monachus; Gauterius de Ussello; frater ejus Roscelinus; Ugo Paterius; Aerius de Planta; Cadio de Milmandia; Tirainus et Girardus, frater ejus de Marinniaco; Ugo de Marinniaco; Goffredus Joduinus; Girardus de Parciaco; Gos-

merius, nutricius Borchardi, filii Goffredi, domini Milmandiæ.

Cart. orig., folio 196, verso; copie, p. 665.

DLVIII.

Bernerius abbas dat terram Roberto Varanelli ad hospitagium faciendum.

(C. AN. 1147.)

Litterarum assignatione universitati fidelium nos monachi Nucharienses duximus innotescendum quod habebamus terram ad locum quem Pontem Verris dicunt; quam quidem terram dedit domnus Bernerius abbas Nucharіensis, assentiente capitulo, Roberto cognomento Varanelli et heredibus ejus in perpetuum ad domum et hospitagium faciendum in ea, ita scilicet quod redderet inde annuatim priori de Canavellis dimidium modium inter frumentum et siliginem, tria sextaria de utroque, et caponem unum atque unum denarium ad Natale Domini. Reddent etiam eidem priori decimam ex omnibus quæ terra illa protulerit, de frugibus, de bestiis, et omnibus omnino quæ terra illa decimanda procreavit; sed et abbas Nucharіensis, quando pro legitima necessitate quæret a suis hominibus, quæret et a Roberto et heredibus ejus post eum, et ipsi dabunt ei pro modo et ratione teneuræ illius. Testes: Petrus de Pussigniaco; Rainaudus Lemzins; Johannes de Doxiaco; Gauterius Garini; Herveus Peitos; Guillelmus Avoini; Britonus qui et Johannes Guaidonis proprio nomine dicitur.

Cart. orig., folio 150, verso; copie, p. 707.

DLIX.

Census de Paiziaco.

(C. AN. 1147.)

Census de Paiziaco : Odo Rex, I denarium ; Petrus de Cruce, I denarium et dimidiam minutam ; Aimericus de Columbers, III denarios ; Tethbaldus de Columbers, II denar. ; Odo de Columbers, IIII denar. ; Odeardis de Columbers, III denar. et minutam ; Gosbertus de Columbers, III minutas ; Andreas de Columbers, VIII denar. ; Erveus Britto, VI denar. ; Odelina de Paiziaco, I denar. et dimidiam minutam ; Arnaldus de Paiziaco, III denar. et min. ; Barduns, XIII denar. ; Rainaldus Genchuns, III denar. ; Giraudus Giroardi, IIII denar. ; Odo Decanus, IIII denar. ; Isembertus Decanus, II denar. ; Johannes Grotellus, VII ; Rainaldus Grotellus, I denar. ; Vitalis Attivelet, V denar. ; Hiterius de Bulsum, II denar. ; Matheus de Ligul, XII denar. ; Giraudus Grotellus, III denar. ; Maria Beraudi, VIII denar. ; Liruns (*vel* Tiruns) de Raia, XI denarios.

Prior de Busseriis, II solidos et unum denarium ; Rotbertus, præpositus, X denarios ; Stephanus, III denar. et min. ; Otbertus, I denar. ; Constantinus Beringerii, VI denar. ; Robicherius, II denar. ; Johannes Albuini, II denar. ; Martinus de Fossa, III denar. ; Aimericus de Monte Calvaria, II denar. ; Frogmundus, I denar. ; Stephanus Modicus, IIII denar. ; Stephanus Opilio, X denar., minutam et dimidiam min. ; Mainardus Franciscus, VI denar. ; Radulfus, vianderius, XI denar. et dimidiam min. ; Ermenerius, X denar. et min. ; Radulfus Peleterius,

II denar.; Andreas Attivelet, V denar.; Richeldis, II denar. et min.; Adelard Mainardi, III denar.; Thomas, II denar.; Aimericus de Ortis, VII denar.; Guieno, VII denar. et min.; Balduinus, I denar.; Fulcherius, VIII denar. et min.; Balduns, II denar.; Arnaldus, XVIII denar.; Letardus de Fossa, I denar.; Audebertus de Columbers, III denar.; Tethbaudus, II denar.; Audeardis, uxor Herberti, VIII denar.; Garnerius Canutus, V denar. et min.; Benedicta, III denar.; Rainaldus, faber, IIII denar.; Afoardus, VIII denar.; Letardus, piscator, II denar. et min.; Armeniardis de Viniperia, III denar. et min.; Andreas Adelat, VI denar.; Saturninus, presbyter, XV denar.; Petrus Dominicus, III denar. et min.; Rotbertus, faber, II denar.; Goffredus, piscator, II denar. et min.; Rainaldus Burellus, IIII denar.; Adelardus Durgisius, II denar.; Archardus Engenaldi, XII denar.; Drogo de Ferrariis, XIII denar. et minutam.

Cart. orig., folio 60, recto; copie, p. 667.

DLX.

Census de Gatfré.

(C. AN. 1148.)

Choetello, II solidos Pictavienses et II denarios; Gaifero, X et VII denar. Pictav.; Marrico de Guircha, IIII denar. Pict.; Rotbertus Bussolio, X denar. Pict.; Giraudo Choete, IIII denar. Pict.; Mauricio Bruno, XXII denar. et minutam Pict.; Aimerico Buquennel, III denar. Pict., Rainaldo Cabrun, IIII denar. Pict.; inter Rudellum et Caselet, III denar. Pict.; Rainaldo Constantio, I den. et min. Pict.; Hugo Clamoria, IIII denar. Pictavienses.

Cart. orig., folio 59, verso; copie, p. 669.

DLXI.

Concordia, de quibusdam censibus apud Haiam, inter Bernerium abbatem et milites hospitales Jerusalem.

(AN. 1148.)

Posterorum memoriæ commendamus quod Petrus, Hilariæ filius, frater et miles de sancto hospitali Jerusalem, tempore Bernerii abbatis venit in capitulo Sanctæ Mariæ Nuchariis, et de suis et de nostris censibus talem cambitionem fecit hoc modo. Apud castrum Haiæ, fratres de sancta domo hospitalis habebant quamdam domum ad habitandum, de qua monachis Nuchariensibus annuatim viginti denarios census reddere consueverant. Propter istos totidem nobis, tam in vineis, quam in domibus et terris mutuaverunt hoc modo, scilicet in vinea cellarii, IIII denarios; in vinea Odonis de Albiniaco, II denarios; in clausura nostrarum vinearum, IIII; in Adhelelmo carpentario et heredibus ejus, decem. Hoc autem tali conditione factum est, ut quamdiu fratres hospitalis suum censum ab omni calumnia et invasione vindicarent, supradictum censum qui in eorum domo est, quictum habeant et possideant. Si autem aliter nobis vel illis de eisdem censibus contigerit, unusquisque ad pristinam possessionem revertatur. Testes : Guillelmus, sacerdos; Araudus, frater Petri; Hilaria, mater amborum; Amauvinus; Odo Garini; Araudus Achardi; Vivianus Arotelli; Richardus.

Cart. orig., folio 54, recto; copie, p. 671.

DLXII.

Hugo de S. Maura, ictu sagittæ sauciatus apud castrum Gronnium, pedagium quod injuste percipiebat dimittit.

(C. AN. 1149.)

Ne quæ gesta sunt a memoria elabantur, notitiæ fidelium tradere disponimus quod Hugo de Sancta Maura, tempore Goffredi comitis Andegavensis, novum castellum construxit ex ipsius loci nomine Gronnium nominatum, in quo levavit pedagium sicut in aliis suis locis habere consueverat. Post aliquantum temporis, cum domum Hugonis Loo invadere et destruere pertentaret, ictu sagittæ in capite sauciatus, ad castrum Sanctæ Mauræ rediit et, de vita diffidens, medico se tradidit resecandum. Tunc ante dominici corporis et sanguinis sacramentum, pedagium quod injuste de hominibus Nucariensis burgi acceperat, dimisit, seque non amplius accepturum nec quæsiturum cum juramento spopondit. Hoc concesserunt filii ejus Guillelmus et Goscelinus. Testes : Hugo, vice-comes Castri Araldi; Radulfus, frater ejus; Petrus de Monte Rabeio; Burcardus de Insula; Petrus Goscelini; Helias de Grislomonte; Guillelmus, archipresbyter; Petrus, cellerarius; Petrus de Balgence, qui cum abbate Bernerio perrexerunt.

Cart. orig., fol. 36, recto; copie, p. 673.

DLXIII.

Hugo juvenis, adepto honore S. Maurœ et Nugastri, liberos facit quosdam servos.

(C. AN. 1149.)

Monachi Nucharienses et Brisa-hasta habebant medietatem in filiis et filia Gualterii Belin, scilicet Ulrigo, Viviano, Aldeburgi. Mortuo Guillelmo de Sancta Maura, Hugo qui in ipsis de parte matris eorum habebat aliam medietatem, liberavit filiam. Postea vero Hugo juvenis, adepto honore Sanctæ Mauræ et Nugastri, dedit Deo et Sanctæ Mariæ quicquid in supradictis pueris, et *li jantiam* de sorore eorum, ut nulli unquam nisi soli Deo et monachis Nuchariensibus servitium debeant, et de hoc misit donum super altare Sanctæ Mariæ, et ipsos pueros ad altare obtulit, monachis missam dominicam in die sancti Innocentii matris celebrantibus. Testes : Petrus Goscelini; Fulcodius; Gimo; Achardus Fascina vetulam; Parator; Barre; Goffridus Adent; Aimericus et Girardus, filii Giraldi, pistoris.

Cart. orig., folio 130, verso; copie, p. 679.

DLXIV.

Guillelmus Turbatus, pro milite quem interfecerat, facit unum monachum apud Nucharios.

(C. AN. 1150.)

Notum sit omnibus hominibus tam præsentibus quam futuris, quod Guillelmus Turbatus, pro remedio parentum suorum et pro milite quem interfecit, fecit monachum quemdam Stephanum Gundualem in ecclesia

Nuchariensi, dans Deo et eidem ecclesiæ in eleemosynam tria sextaria annonæ et XII denarios unoquoque anno reddendos. Hæc eleemosyna facta fuit in capitulo, præsente abbate Bernerio et omnibus monachis.

Postea vero, post mortem hujus Guillelmi Turbati, venit Guillelmus, filius ejus, et sclusam Pilarum distraxit et calumniavit, quam tenuerant monachi pacifice et quiete, vivente patre eorum Guillelmo Turbato. Item venerunt monachi ad concordiam hujus calumniæ, quæ talis fuit. Monachi condonaverunt tria prædicta sextaria et XII denarios ; et Guillelmus finivit atque dimisit calumniam in capitulo coram abbate Bernerio et monachis.

Post mortem vero hujus Guillelmi, venit Helias, frater ejus, ad sclusam Pilarum et calumniavit eam atque distraxit. De hac iterum calumnia, post mortem abbatis Bernerii, facta est concordia hujusmodi. Abbas Egidius; Petrus Goscelini; Petrus, cellararius, atque Herbertus, prior Pilarum; prædictus quoque Elias; Froterius atque alius Elyas; Aimericus Ballos; Petrus Teberti; Teobaudus, presbyter de Cella; ii omnes convenerunt super sclusam, et videntes atque cognoscentes injustam esse calumniam Eliæ, persuaserunt ei ut dimitteret calumniam. Quibus ipse adquiescens, dimisit ac finivit perpetuo calumniam, et mediante caritate XL solidorum, quos inde habuit, concessit monachis ut sclusam suam in terram ipsius Elyæ quantum opus esset ingererent ac prosequerentur, atque superius et inferius per terram ipsius moverent, quantum rei deposceret necessitas. Hanc concordiam concesserunt Agathes et filii ejus, sicut eam fecerat Elyas. Hujus rei testes sunt: Theobaudus, presbyter; Froterius; Saturninus; Normannus; Theobaudus Garini; Irvisus.

Hanc pacem et concordiam concessit Hugo de Sancta Maura, de cujus feodo est terra Elyæ, audientibus Aimerico Ballo et Petro Teberti; Petro quoque Goscelini; et Petro cellarario, qui hanc concessionem ab eo impetraverunt.

Cart. orig., folio 181, recto; copie, p. 675.

DLXV.

Concordant Gaufridus Esperum et prior Sancti Patricii de quibusdam bonis.

(C. AN. 1150.)

Notum sit tam præsentibus quam futuris, quod Matheus, Sancti Patricii prior, emit de Gaufrido Esperum, nemus et terram et aquam et exclusam a via quæ Turonus tendit usque ad pratum Enjorandi XXV solidos. Ipse autem Gaufridus debebat monachis Nuchariensibus annuatim XVIII denarios censuales, et monachi debebant illi XVIII denarios annuatim de supradicto bosco, quos inter se quittiverunt, quos illi commune capitulum propter hoc in perpetuum quitavit. Concessit hoc prædictus Gaufridus super altare Sancti Patricii, et uxor ejus Oda, et filii ejus, Absalon, Guillelmus, Gaufridus, Philippus, Maria. Factum est hoc in curia Simonis Machael, de cujus fevo erat, ipso Simone concedente, et uxore ejus Falca; et Aimerico filio; et Agnete filia. Testes sunt : Oliverius, presbyter; Johannes de Podio Pelegrini; Bernerius de Burgulio; Ugo Lichat; Engelgerius Chaudebruere; Tomas Deulmis; Popart de Sancto Patricio; Achart de Baignos; Rainaldus Corveserius;

Guillelmus Esperum; Antelmus, frater ipsius; G. Hernulfus de Sancto Patricio.

De hac autem re postea orta est contentio inter monachos et supradictum Gaufridum, tempore Egidii abbatis. Tandem vero ad hanc concordiam venerunt. Rainaldus de Corn, tunc temporis Sancti Patricii prior et jam dictus Gaufridus, multis secum adhibitis testibus, ad rerum supradictarum evidentiam devenerunt, certisque finibus res monachorum terminaverunt; ponentes videlicet metas duas a via quæ Turonim ducit, et tres ab aqua quæ sub nemus defluit, et infra metas concessit supradictas Gaufridus ecclesiæ et monachis Nuchariensibus aquam et nemus in perpetuum possidendum, et ad quodcumque voluerint, sive ad eradicandum, sive ad aliud aliquid faciendum, et inde accepit a Rainaldo Cornu VI solidos et IIII denarios in caritate. Hoc annuit uxor ejus Oda et habuit II denarios; Absalon filius, I denarium.

Testes : Oliverius, presbyter; Popart de Sancto Patricio; Escotellus.

Positioni autem metarum et supradictæ concordiæ interfuerunt quorum infra scripta sunt nomina : Oliverius, presbyter; Guillelmus de Braia; Guillelmus Esperum; Nicholaus Galet; Popart de Sancto Patricio, et filius ejus Rainaldus; Herveus, filius Johannis; Hugo Enjorrant. Ex parte sua : Erbertus de Jalumpne et Hubertus de Fonte.

Cart. orig., folio 69, verso; copie, p. 491.

DLXVI.

Fulcodius, dolens de interfectione filii sui Odonis, dat decimam vinearum de Pulsiniaco.

(C. AN. 1151.)

Sciant præsentes et futuri quod Fulcodius, valde dolens de interfectione Odonis, filii sui, rogavit monachos Nucharienses ut eum in suo cimiterio sepelirent. Qui honorifice ita fecerunt. Postea idem Fulcodius multas gratias eis referens, dedit eis medietatem decimæ vinearum de Pussigniaco ; altera quippe pars erat monachorum. Concessit hoc Vilana de Argentum, soror ejus, et filii Vilanæ, Paganus Frogerii, et Guillelmus, et filiæ Raneria et Marceria, et exinde testes fuerunt. Fuerunt adhuc testes : Achardus Engenaldi ; Ivernum ; Ernaldus, medicus ; Tebaldus de Moncel ; Goslenus Vitelli ; Guillelmus, nepos abbatis.

Postea vero Paganus Frogerii, nepos Fulcodii, eamdem donationem decimæ, quam ipse concesserat, calumniatus est. Hujusmodi fraude reperta, dicens decimam quæ de veteribus vineis reddebatur, concessit ; eam vero quæ de novellis plantationibus vinearum procedit, minime. Tunc Egidius, abbas Nuchariensis ecclesiæ, volens hujus controversiæ altercationem finire, dedit ei quinque solidos, et ipse in manu Hugonis de Sancta Maura totam decimam, tam in plantatis vineis quam in plantandis, monachis Nucariensibus in perpetuum usque concessit. Testes : Petrus Simonis ; Hemmericus Ballos ; Teobaudus Garini ; Johannes de Do.

Cart. orig., folio 164, recto ; copie, p. 681.

DLXVII.

Concordia de decima de Anzaico et de molendino de Bona voa.

(C. AN. 1152.)

Hugo senior de Sancta Maura, cum multa monachis Nuchariensibus vivens commoda intulisset, inter cætera decimam de Anzaico dedit eis; sed quoniam eamdem decimam heredes Goscelini Eltodis calumniabantur, Petrus scilicet Goscelini, et Goscelinus frater ejus, qui supradicti Gosberti filiam habebat uxorem, filii etiam eorum et filiæ, dominus Hugo quieti monachorum consulens, dedit in mutuum monachis pro supradicta decima tres partes molendini qui dicitur Bona voa, decem libris denariorum ab eisdem in caritate acceptis tali conditione, ut monachi supradictum molendinum tamdiu tenerent, donec ab eo vel aliquo successore eadem decima tota monachis, et ab omni calumnia libera redderetur. Audivit hoc et concessit Hugo juvenis, nepos ipsius, qui ei defuncto hereditatis jure successit. Tenuerunt itaque monachi molendinum dierum et annis plurimis. Hugonis autem juvenis tempore, cum ipse et Petrus Goscelini, pro quibus sibi invicem illatis injuriis diu confligerent, pax inter eos firmata, et in pacis conditione medietas ejusdem decimæ in potestatem domini Hugonis redacta est; deinde Hugo monachos aggrediens, quatinus eam decimæ medietatem ad præsens susciperent et ei molendinum redderent, multis et precibus et promissis ita obtinuit. Concessit in primis a supradictis calumniatoribus eorumque filiis ac filiabus ipsam de-

cimæ medietatem liberam ecclesiæ concedere se facturum, quod et fecit; concessit se supradictum molendinum nulli unquam in fedio aut in casamento daturum; nunquam se uxori quam acceperit in dotem missurum; et tam de ipso molendino quam de suis aliis facultatibus ecclesiam augmentaturum. Si autem a supradictis viris, vel ab aliis quibusdam in eadem decima calumnia monachis emiserit, tamdiu molendinum suum recuperent donec eis iterum libera restituatur. Quod si vel eam medietatem quæ Petro Goscelini suisque remanserit heredibus, vel in toto fedio illius terræ, quæ dicitur Anzaicus, aliquid monachi quocumque modo potuerint adquirere, hoc eis Hugo libens liberum annuit. Monachis etiam Sanctæ Mauræ ecclesiam servientibus degranationem annonarum suarum in supradicto molendino concessit. Hæc omnia acta sunt in capitulo Nuchariensi, præsente et concedente Petro Goscelino et ejus minore filio Aimerico, et Petro Peloquini, genero ejusdem Petri, coram testibus qui subscripti sunt. Testes : Gilduinus de Parra; Guillelmus Turbatus; Goffredus Engilgerii; Goffredus Gunterii; Herveus Urri; Paganus, vicarius; Martinus de Malliaco; Agaitarz; Christoforus et Andreas, filius ejus; Amalvinus; Petrus, abbatis famulus.

Cart. orig., folio 131, recto; copie, p. 683.

DLXVIII.

Hugo de Oriaco, pro professione monacali filii sui, concedit alodum de Moncellis.

(C. AN. 1152.)

Sciant præsentes et futuri quod Hugo de Oriaco, in infirmitate corporis positus, de qua mortuus est, man-

davit ad se venire Petrum fratrem suum, commendans ei filium suum, Matheum nomine, quatinus eum monachum faceret in ecclesia Nucariensi, donans eidem ecclesiæ et monachis alodum suum de Moncellis cum clausura et arboribus, quin etiam quemdam hospitem, Hubertum nomine, reddentem ei annuatim IIII denarios census de uno arpenno terræ, et provendarium hordei et I caponem et I denarium et I panem. Quæ ita facta sunt omnia et confirmata in capitulo Nucariensi, ubi præsentes fuerunt : Stephanus et Radulfus, fratres Mathei, et Petrus, avunculus eorum. Hæc omnia concesserunt, et in manu Egidii abbatis legitima fide miserunt se in perpetuum eidem ecclesiæ contra omnem calumniam defensuros.

Testes : Odo, presbyter de Noers ; Hugo de Maximé ; Yrvisus ; Petrus de Pussigné ; Drogo ; Saturninus.

Cart. orig., folio 36, verso ; copie, p. 685.

DLXIX.

Filii Petri Goscelini dant quædam bona Nuchariensi cœnobio.

(C. AN. 1152.)

Per præsentem paginam tradimus memoriæ fidelium, quod quidam vir nobilis de Nuchastro, nomine Petrus Goscelini, in ecclesia Nuchariensi factus monachus, ibique diu conversatus, plenus dierum sublatus est de medio, ad cujus sepulturam convenerunt filii ejus, Ulies, Aimericus, Johannes, et Rocheria, filia ejus, Hugo de Chambrun, nepos ejus, ut ei præberent obsequium pietatis. Deinde isti quos præfati sumus, in capitulum venerunt, et ea quæ in sequenti dicemus, abbati Egidio

ejusdemque loci monachis dederunt in perpetuum possidenda. Ulies dedit boscum et terram quam habebat apud Aurigniacum et x denarios census quos debebat ei sacerdos Nuchastri de agmento domus suæ. Statutum est autem inter nos et illum ut de eo quod habebat apud Aurigniacum redderemus ei duos solidos census dum viveret, postque suum obitum nobis concessit habendos. Annuit hoc Oda, uxor ejus, et Petrus, filius ejus, et filia ejus, nomine Margarita. Rocheria dedit pro anima patris sui unum sextarium frumenti in decima Azaici capiendum; Aimericus, unum sextarium siliginis in decima de Nuille; Johannes, XII denarios census in parrochia de Sabulo; Hugo de Chambrun, VI denarios census quos debebat ei prior de Sancta Maura, et totidem in alio loco. Hæc omnia data sunt nobis ab illis quos prædiximus, absque ulla contradictione de progenie eorum vel aliunde, in perpetuum possidenda.

Hujus rei testes sunt: Burchardus de Mirmandia; Aimericus, filius Ivonis; Goscelinus de Croziliis; Gauterius Poncii; Bernardus de Valneot; Herveus, villicus; Bonus Sirus; Martinus Bobeau; Theobaudus Garini; Petrus de Pussigné; Stephanus Gunun.

Cart. orig., folio 9, recto; copie, p. 687.

DLXX.

De juribus monachorum in ecclesia S. Mauræ.

(C. AN. 1153.)

In concessione ecclesiæ Sanctæ Mauræ ab episcopo Gisleberto monachis Nuchariensibus facta, primo a Radulfo archiepiscopo cum chirographo præscripta, ista ac-

cipiunt monachi quicquid Hugo videlicet eis dederat, et ante datum libere possederat : quinque festivitates, scilicet Nathale Domini cum octabis ; festum sanctæ Mauræ ; Purificationem sanctæ Mariæ; Pascha cum octabis; et Rogationes cum die Ascensionis ; hæc proprie et libere accipient. In cæteris autem redditibus medietatem habebunt, præter relevationes. Horum autem testis est et index Guicherius, capellanus ipsius ecclesiæ.

Cart. orig., folio 133, recto ; copie, p. 689.

DLXXI.

Hugo de S. Maura quosdam collibertos dimittit liberos.

(C. AN. 1153.)

Ne posteros latere queat, necessarium duximus scripto memoriter commendare quod Hugo de Sancta Maura, filius Goscelini, Guitet de Podiis et filiis ejus calumniam jam colibertatis inferebat, tanquam colibertos suos illos requirens, ipsis tamen penitus contradicentibus et asserentibus nulli unquam se debere servitium nisi Deo et ecclesiæ vel abbati ac monachis Nuchariensibus. Postea vero jam dictus Hugo, nolens super hoc ulterius cum monachis Nuchariensibus controversari, rogatu Petri Goscelini et Petri cellararii illatam calumniam finivit, et quicquid in Guitet et filiis ejus, vel filiabus, atque in omni eorum propagatione juste sive injuste requirebat, Deo et ecclesiæ Nuchariensi in perpetuum usque dimisit. Testes : Hugo Envilger ; Guillelmus Bogrant ; Petrus Loet ; Petrus Goscelini ; Petrus, cellararius.

Hoc concessit Goscelinus, filius ejus, videntibus et au-

dientibus supradictis testibus. Concessit etiam hoc Guillelmus, ejusdem Hugonis filius, videntibus Petro Peloquin; Josdoin de Septimis. Nihilominus concessit hoc Hugo, filius ejus, audientibus Garino, nutricio suo; Guillelmo Bogrant; Simone de Matheriis. Hoc etiam concesserunt uxor illius Hugonis videlicet et filia ejusdem Agathes, audientibus et videntibus Guillelmo Bogrant; Herveo, vicario. Annuit etiam hoc Agnes, ejusdem nihilominus filia, audientibus Martino Robau; Pucelot, uxore Michaelis vicarii.

Hanc concordiam fecerunt Petrus Goscelinus et Petrus cellararius, monachi Nucharienses, cum Hugone de Sancta Maura, tempore Egidii abbatis, qui videntes ipsum Hugonem tam sibi super hoc propitium, contulerunt ei caritative de propriis rebus ecclesiæ c solidos; Guillelmo et Goscelino, filiis ejus, et Aalidi, uxori illius dederunt unicuique xx solidos; Hugoni, II solidos; Agathæ, XII denarios; Agneti, VI denarios.

Cart. orig., folio 42, recto; copie, p. 691.

DLXXII.

Concordia inter monachos Nucharienses et Achardum Engenaldi de fedo de Paizaico.

(C. AN. 1153.)

Notum sit tam futuris quam præsentibus Achardum Engenaldi de abbate et monachis Nuchariensibus tenere fedum de Paizaico, de cujus servitio inter illos erat contentio. Egidius vero abbas tempore suo fedum illum accepit. Tandem facta est concordia inter monachos et prædictum Achardum hoc tenore, quod singulis annis

II solidos et V denarios pro servitio illius fedi abbati redderet, monachi vero debebant ei X et VII denarios censuales. Unde talem concordiam inter se fecerunt, quod dimissis illis X et VII denariis, Achardus in festo sancti Brictii XII denarios abbati annuatim redderet. Propter prædictum fedum recepit eum abbas Egidius in capitulo Achardum in hominem, conventu assensum præbente. Testes ex parte abbatis : Tebaudus Garini ; Yrvisus ; Petrus de Pussiniaco. Ex parte Achardi : Gano, archipresbyter ; Gano de Moncellis.

Cart. orig., folio 18, recto ; copie, p. 693.

DLXXIII.

Partitio oblationum ecclesiæ Saviniaci inter monachos et capellanum dictæ ecclesiæ.

(C. AN. 1154.)

Ego Egidius, Dei gratia Nuchariensis ecclesiæ minister, humiliter cupiens omnem occasionem litis et discordiæ in perpetuum funditus amputare, consultus plurimorum testimonio fidelium testium, tam monachorum quam presbyterorum, præsenti scripto mandare curavi quid monachi, quid sacerdos in ecclesia Beati Stephani de Savigniaco, de beneficiis et oblationibus fidelium divisim habeant omni tempore. De nummis igitur qui offeruntur, monachi duas partes habent, capellanus tertiam, excepto ordine utriusque, qui ordo in majoribus solemnitatibus duorum nummorum est, in minoribus vero et in dominicis diebus ac super hebdomadam unius. Oblationes in nuptiis quas sponsus et sponsa obtulerint propria manu et benedictione, sacerdotis sunt. Similiter et

oblatio quam mulier in purificatione sua obtulerit, sacerdotis est. Omnium sequentium oblationes, tam de nuptiis quam de purificationibus, sicut de nummis superius dictum est, inter eos dividuntur. Panes qui in die Natalis Domini et in crastino offeruntur, monachorum sunt. Panes qui offeruntur in festivitate Innocentium et in die Circoncisionis Domini, sacerdotis sunt; et qui per annum cum nummis nomine caritatis offeruntur, similiter. Cæteri vero panes ratione nummorum partiuntur. Omnes candelæ monachorum sunt, exceptis illis quæ offeruntur in Tenebris et in nuptiis, et illis quæ offeruntur in festivitate Innocentium, quæ nummorum lege dividuntur. Panes de Rogationibus monachorum sunt; et omnis decima de porcis et agnis, similiter; de missis defunctorum, quod ad manum cujusque venerit, suum erit. De synodo parata, monachi duas partes, presbyter tertiam persolveret. Proferentia nummorum ritu dividitur. Prædicatores per priorem et per presbyterum ad prædicandum in ecclesia suscipientur. In Parasceve tota cera est monachorum, et ovorum medietas. De candela ecclesiæ dabit presbyter priori unaquaque nocte semipedem ad cantandas matutinas.

Cart orig., folio 87, recto; copie, p. 695.

DLXXIV.

Giraldus Foillet reddit monachis terram quam usurpaverat.

(C. AN. 1155.)

Præsentium et futurorum notitiæ tradimus quod Galterius Ermenaldi dedit Deo et monachis Nucharienſibus undecim arpenta terræ, et quarterium juxta locum qui

dicitur Columbers, ad Puteum Picardi. Hujus terræ præfati monachi multo tempore sazimentum in proprios usus habuerunt, donec Petrus Foleti tyrannide cupiditatis commotus, adversus monachos eamdem terram violentia et rapina sibi usurpavit, et pro tali facto sententiam excommunicationis, tam ille quam omnes qui eam de eo aliqua pactione tenebant, sortiti sunt. Tandem, tempore Petri, prioris Busseriarum, Giraldus Foillet, filius supradicti Petri, erratus patris cupiens emendare, eamdem terram cum suis pertinentiis pro anima patris et sua, ecclesiæ Nucariensi in manu præfati prioris reddidit, et finivit in perpetuum possidendam.

Testes : Toselet et Petrus, frater ejus; Hubertus de Colle, et Girardus, frater ejus; Tondut; Goscelinus, nepos Girardi.

Postea venit in capitulo Nucariensi coram Egidio abbate, et eam terram quam supra diximus liberam dimisit, quin etiam duo arpenta alterius terræ subtus Columbers de terra Malranni agmentavit in eleemosynam. Pro hujusmodi facto Petrus prior Busseriarum sexaginta solidos dedit ei in caritate. Testes : Odo, presbyter; Tetbaldus Garini; Petrus de Pugsigné; Drogo, nepos abbatis; Galterius Sebastiani; Araldus, frater ejus; Pascha.

Hoc concessit uxor ejus, Erxendis nomine, et filius ejus Petrus, videntibus istis : Petro Vitelli; Aimerico Joiquel; Botet; Giraldo de Camin.

Præterea in eodem die et in eodem capitulo fecit abbas Gilo aliam pactionem cum Giraldo Foillet, quæ sic habetur hic scripta. Erat nobis quædam terra de tenore Petri de Fonte apud Paizaicum, de qua per singulos annos debebamus ei XIIII denarios census, pro quibus dedit ei abbas XV solidos, et conjugi suæ Ersendi unam

minam fabarum quæ tunc temporis sicut alia annona caro pretio vendebantur, et ambo simul in pace quictum dimiserunt censum Nuchariensi ecclesiæ in perpetuum possidendum. Hoc concessit Petrus, filius eorum. Testes : supra nominati.

Cart. orig., folio 186, recto; copie, p. 697.

DLXXV.

Espaudus dat quamdam decimam pro professione monacali filii sui Gaufridi.

(C. AN. 1156.)

Notum sit præsentibus et futuris, quod abbas Gilo suscepit in monachum Gaufridum filium Espaudi in monasterio Nucariensi, pro qua re dedit eidem quamdam decimam de Monte Cue, sive de Mortere, nobis in perpetuum possidendam. Hæc autem decima taliter data est et firmata, ut si aliqua calumnia aliqua ex parte nobis facta fuerit, ille aut heres ejus quictam faciat. Si vero facere nequierit, tantumdem decimæ in parrochia Savigniaco se cum juramento promisit eidem ecclesiæ redditurum. Concessit hoc Damneta, uxor Espaudi, et tres filii ejus, Petrus, Hugo et Johannes.

Testes : Burcardus de Milmandia; Johannes de Tuscia; Bertrannus de Mundum; Burcardus de Dercé; Tetbaldus Garini; Guillelmus, cocus; Bartholomæus.

Cart. orig., folio 48, verso; copie, p. 699.

DLXXVI.

Egidius abbas ecclesiæ libertatem vindicat apud Buxerias.

(C. AN. 1136.)

Sæpe contingit ut per delationes malorum præpositorum indebitæ consuetudines oriantur in terris et interrumpuntur jura libertatis antiquæ. Quod præpositi Hugonis vicecomitis Castri Araudi in villa quæ dicitur Buxeriæ facere molientes, venerunt ibi, et ab incolis ejusdem loci (mensuras) quas mina vel præbendarios vulgo appellant, quasi aliquid inde facturi subdole mutuantes, et eas per semetipsos mensurantes, inæquales invenerunt. Propterea eos a quibus mutuaverant de inæqualitate mensurarum appellantes in curia vicecomitis, ad exequutionem justitiæ provocaverunt. Quam rem tali machinatione susceptam, Egidius tunc temporis Nuchariensis abbas audiens, una cum Petro Goscelini et Petro priore de Buxeriis in curia vicecomitis se præsentat; falsos de falsitate convincit; justitiam de inæqualitate mensurarum, si ibi reperta fuerit, sine contradictione suam esse defendit, ecclesiæ libertatem restituens, ita ut nec sanguinem, nec justitiam pro quolibet forifacto, quantum ad situm loci pertineat, nec domini, nec præpositi, in hominibus præfati loci sibi debeant usurpare. Pro hujusmodi juris restitutione, ut ecclesia Nuchariensis quiete suam libertatem in perpetuum possideret, sic tenendum Hugo vicecomes publica taxatione concessit; et ideo habuit III libras in caritate. Hoc concesserunt filii ejus, Aimericus, Guillelmus, Radulfus.

Testes : Petrus Goscelini ; Gosbertus de Podio ; Petrus de Villaret, qui tunc temporis erat prætor Castri Araudi ; Petrus Mouni ; Goffredi de Milmandia, et Buchardus, filius ejus ; Johannes de Tuschia ; Goscelmus, præpositus Buxeriarum.

Cart. orig., fol. 199, recto ; copie, p. 701.

DLXXVII.

Goffredus de Uxello, dans bona quæ habebat apud Avrinniacum, filium suum fieri monachum impetrat.

(C. AN. 1157.)

Per præsentem paginam fideliter memoriæ commendamus, quod Goffredus de Uxello, et Aimericus Ivonis, et Aimericus de Nerbona habebant ultra Vigennæ fluvium, in territorio Avrigniaci, nemora, culmos, census, consuetudines alternatim divisa per tertiam partem. Venit autem Goffredus de Uxello postulans filium suum, Matheum nomine, fieri monachum apud Nucarius, et dedit ecclesiæ eidem et monachis omnem suam tertiam partem quam habebat in nemoribus, et culmis, et consuetudinibus, et censu ; et ita filium suum monachum fieri impetravit.

Postea vero, tempore Gilonis abbatis prænominati, duo Aimerici de suis duabus partibus pactionem cum eodem abbate fecerunt hoc modo. Apposita est pertica secundum consuetudinem terræ ad mensurandum terram, quæ erat in culmo ; et inventa sunt quindecim arpenna inter Goffredum de Uxello, et Aimericum Ivonis, et Aimericum de Nerbona. Quinque arpenna in sortem nostræ partis propter Matheum monachum remanserunt ;

decem alia arpenna posita sunt in censu quatuor solidorum et duorum denariorum, qui reddetur annuatim divisus in duas partes : II solidos et I denarium Aimerico Ivonis, et totidem Aimerico de Narbona, in festivitate sanctæ Mariæ de septembrio. Pro tali opere Aimericus Ivonis habuit quinquaginta solidos in caritate, et Aimericus de Narbona XXX ; et fideliter promiserunt se contra omnem calumniam defensuros. Hoc concessit Uries et V solidos habuit in caritate. Testes : Aimericus de Tavento ; Augerius de Mota, Radulfus Girbaut ; Benedictus de Pusigné ; Stephanus, frater ejus. Ex parte nostra : Odo, presbyter ; Adelelmus de Marcilliaco ; Guillelmus Josbelin ; Richardus, frater....; Tetbaldus Garin ; Stephanus Lingua de Ansere.

Cart. orig., folio 1, recto ; copie, p. 703.

DLXXVIII.

Goffredus de Uxello, sanctum religionis suscipiens habitum, dat quidquid possidebat apud Dolsiacum.

(C. AN. 1157.)

Goffredus de Uxello, de quo supra tractavimus, cum petiisset apud Nucarium fieri monachum et impetrasset, ipse et uxor ejus, Adelaidis nomine, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus quicquid apud Doxeacum in terra de dominio Motæ dono Simonis de Nugastro, patris ejusdem Adelaidis, in matrimonium possidebant ; scilicet sextam partem terragiorum, et talionum, et censuum, et omnium reddituum totius terræ Girbaldi, Armenrici, Herberti, Guillelmi, Radulfi Girbardi, et fratris ejus Fristelli, et quicquid in eisdem ho-

minibus habebant. Dederunt etiam Goffredus et uxor ejus progenialem fructum Legardis, ancillæ suæ, uxoris Calvelli de Dossé, monachis supradictis, scilicet Stephanum et Luciam, et fructus eorum in perpetuum. Hoc donum factum est in manu domni Egidii abbatis apud Bruillat, concedentibus et firmantibus filiis Goffredi, Rainaldo, Guillelmo, Goffredo, Aimerico, Hugone, Simone. Hæc omnia concesserunt Petrus Simonis, et Matheus, frater ejus; et se in perpetuum defensuros promiserunt. Testes : Stephanus Calvel; Girbaldus Cerrual; Hugo de Siligneaco; Drogo, nepos abbatis.

Cart. orig., folio 1, recto; copie, p. 705.

DLXXIX.

Filii Goscelini de Sepmis pacem faciunt cum ecclesia Nucharіensi.

(C. AN. 1158.)

Quoniam ea quæ a quibusdam bene geruntur, ab aliis depravantur, idcirco notitiæ fidelium tradere disponimus quod Guido de Sepmis et Barbotta, mater ejus, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis Nucharіensibus decimam quam habebant in feodo Guillelmi Radulfi, postulantes ut filium et fratrem, Goscelmum nomine, monachum facerent, in sua eum societate recipientes. Quod factum est; et per multos annos habuerunt monachi hujus decimæ quietam et intemeratam possessionem. Postea vero Goscelinus, filius Guidonis, tempore abbatis Bernerii, spiritu superbiæ contra nos insurgens, decimam illam violenter subripuit, et in malitia perseverans, tem-

pore Enjobaudi Turonensis archiepiscopi, propter hoc anathemate percussus, interiit, carens beneficio sepulturæ. Postea autem, succedente parvi temporis intervallo, Agathes, uxor Goscelini, condolens animæ viri sui, et filii amborum, Guillelmus et Huo, miserabilem mortem patris deplorantes, tempore Egidii abbatis, cum ecclesia Nuchariensi pacem composuerunt hujusmodi. Egidius abbas quamdam puellulam nomine Leticiam, filiam Goscelini, in ecclesia Fontis Ebraudi sanctimonialem constituit, et præfata Agathes et filii ejus, qui etiam propter hoc viginti solidos habuerunt, in manu Hugonis de Sancta Maura, de cujus feodo erat, totam decimam, sicut monachi tenuerunt, ecclesiæ Nuchariensi quictam et absolutam clamaverunt. Hoc concessit Hugo de Sancta Maura, et filii ejus, Guillelmus, Goscelinus, et Hugo.

Testes : Petrus Goscelini; Guillelmus, archipresbyter; Fulco, presbyter; Aimericus Ballos; Petrus Teberti.

Cart. orig., folio 67, recto; copie, p. 715.

DLXXX.

Bartholot Oltranni, moriens, annuit decimam monachorum apud Saviniacum.

(C. AN. 1158.)

Noverit tam præsentia nostrorum quam posteritas futurorum quod nos monachi Nucharienses habebamus et possidebamus libere decimam de terragiis nostris apud Savigniacum, totam ex integro, tam de pane quam de vino. Hæc quoque decima spectabat ad Bartholot

Oltranni de jure sui generis. Qui cum Laududo apud Christianum de Porta infirmitate qua mortuus est, ægrotasset, rogatus a Rainaudo tunc temporis priore Savigniaci, et Stephano presbytero ejusdem loci, concessit decimam illam ecclesiæ Nuchariensi in eleemosynam libere in perpetuum possidendam, et fecit eam concedi a Stephano Clementis nepote suo, audientibus Hugone et Benedicto hospitalariis, præfato quoque Christiano de Portu. Post obitum vero jam dicti Bartholot, Hugo de Mota in decima illa intulit nobis calumniam, asserens eam ad suum jus pertinere. Cumque aliquandiu hinc inde contendissemus judicio, memoratus Hugo tandem adquievit consilio, et dimissa perpetuo calumnia, si quid juris habebat in decima quam prædiximus totum Deo et ecclesiæ Nuchariensi dedit in eleemosynam et in perpetuum libere concessit habendum. Hoc concesserunt Scolastica, uxor ejus; Phylipus, filius ejus; et filiæ ipsius, Maria atque Johanna. Testes: Boso de Poente; Aimericus de Sancto Jovino; Drogo, famulus abbatis; Rainaudus Yrvisi; Christianus de Porta.

Cart. orig., fol. 87, verso; copie, p. 709.

DLXXXI.

Bricius de Monte, miles, concedit bona quædam apud Harotellariam.

(C. AN. 1158.)

Ne priorum beneficia queant irritari posterorum calumnia, scripto memoriæque decrevimus commendandum quod quidam miles nomine Bricius de Monte, veniens

Nucharius in capitulum tempore domni Egidii abbatis, dedit Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis Nuchariensibus in eleemosyna tria arpendia, et unum quarterium prati, quæ habebat juxta prata eorumdem monachorum subtus villam quæ dicitur Harotellaria, ad censum videlicet x et VIIII denariorum et unius oboli, ita ut nullum aliud pro pratis illis prædicto Bricio vel (heredibus) debeant monachi servitium; et propter hoc accepit Bricius ab abbate et monachis VI libras et V solidos in caritate, et susceptus est in beneficium ecclesiæ Nuchariensis, tam ipse quam anima patris ejus. Testes: Gauterius de Montibus; Amaurinus; Teobaudus Garini; Odo Garini; Araudus Achardi; Paganus Arvini; Yrvisus; Drogo,

Cart. orig., folio 67, verso; copie, p. 711.

DLXXXII.

Gauterius, cognomento Guinearius, vendit decimam quamdam apud Marcilliacum.

(C. AN. 1158.)

Ad notitiam futurorum litterarum adnotatione transmittere curavimus quod Gauterius, cognomento Guinearius, habebat quamdam decimam apud Marcilliacum, quæ erat de censivo monachorum Nuchariensium, quam videlicet decimam vendidit abbati Egidio ac monachis Nuchariensibus pro centum solidis. Quos ipse ab eisdem accepit. Hoc concesserunt uxor ejus Hermensendis, et inde habuit tres solidos, et Rigildis, filia ejus, quæ et habuit VI denarios, et Goffridus atque Odo filii, et Amelina, filia ejusdem Gauterii. Quorum unusquisque pro

concessione habuerunt ternos denarios. Testes : Thebaudus Garini ; Amalvinus ; Hyrvisus ; Arpinus ; Johannes Dedo ; Rainaldus Johannis ; Guinardus.

Cart. orig., folio 67, recto ; copie, p. 713.

DLXXXIII.

Campania, uxor Boumonis, dat quinque denarios et obolum census.

(C. AN. 1159.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quod Campania, uxor Boumonis, pro salute ejus dedit monachis Sanctæ Mariæ Nuchariis quinque denarios et obolum census, et illi pro hoc sepelierunt eum in suo viridario. Sunt autem isti denarii census de pratis Aroteriæ. Testes sunt : Achardus Engenaldi ; Goffredus Engilgerii ; Aimericus Boquenellus ; Foedis ; Tethbaldus, carpentarius ; Giraldus, sarcitor ; Girardus Aremet. Cui etiam quinque alios denarios de eisdem pratis debemus.

Cart. orig., fol. 59, recto ; copie, p. 717.

DLXXXIV.

Vir nobilis, Ulies nomine, concedit terram apud Auriniacum, de feodo Turpini.

(C. AN. 1159.)

Præsentibus et futuris sanctæ universalis Ecclesiæ fidelibus, nos monachi Nucharienses notificandum esse disponimus, quod quidam vir nobilis, Ulies nomine,

veniens Nucharius in capitulum, dedit Deo et ecclesiæ Nuchariensi pro anima patris sui Petri Goscelini terram quam habebat apud Aurigniacum, de feodo Turpini, sitam in tribus locis : una pars est circa petrariam; altera ad viam quæ ducit Luceziacum juxta nemus Aimerici, filii Ivonis ; tertia intra nemus nostrum. Hoc concessit Oda, uxor ejus, et Petrus, filius ejus, atque Margarita, filia ipsius. Testes : Martinus de Garda, et Odelina, soror ejus; Richardus Jobelini; Martinus Bobelli, qui erat præpositus terræ illius; Petrus de Pussigniaco; Drogo ; Holdricus.

Postea vero idem Ulyes in Nuchariensi ecclesia factus monachus, dedit Deo et eidem ecclesiæ in eleemosynam VII solidos et VIII denarios censuales, II scilicet quos debebamus ei, et V atque VIII denarios qui debebantur ei in vico Nuchariensi, concedentibus uxore sua Oda, et filio ejus Petro Goscelini, atque Margarita, filia ipsius; concedente etiam Alone, filio Petri Goscelini, et filiabus ipsius, Petronilla, Margarita, Persoys, Haoys. Testes : Petrus de Pussigniaco; Araudus Achardi; Teobaudus de Moncellis ; Drogo; Johannes Bertini; Andreas Garini, qui tunc temporis recipiebat illos.

Cart. orig., folio 8, recto ; copie, p. 719.

DLXXXV.

Abbas Egidius, assentiente capitulo Nuchariensi, dat quamdam terram Gauterio Bosde et Herveo de Pislimil.

(C. AN. 1160.)

Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus quod domnus abbas Egidius, cum assensu totius ca-

pituli, dedit Gauterio Bosde et Herveo de Pislimil et heredibus eorum in perpetuum possidendam terram quamdam quæ est apud molin Dozil, a morterio scilicet Bollie subtus viam quæ ducit ad Belfo usque ad Noam Veteris Furni. Prata eidem terræ adjacentia a supradicto lacu Bollie usque ad pratum Rabelli eis concessit habenda. De eadem vero terra concessit unicuique eorum duos arpentos ad hospitandum, et unum quarterium prati, de quibus annuatim unusquisque eorum duos solidos monacho ibidem inhabitanti persolvet. De reliqua vero terra omni anno quartam partem laborum suorum monachus habebit, excepto quod de duabus primis messibus sextam tantummodo accipiet. Quod si contigerit eos ad tantam paupertatem devenire ut terram eamdem non possint excolere, monachi terram suam et prata quiete accipient, relictis illis quæ ad censum supradictum pertinent, quamdiu tamen ipsum censum reddere valuerint. Ex quo autem monachus quartam partem habuerit, ipsi in area semen de communi accipient. Testes : Girardus et Andreas, fratres eorum. Ex parte nostra : Guillelmus, cocus ; et Andreas, frater ejus.

Cart. orig., folio 67, verso ; copie, p. 725.

DLXXXVI.

Paganus de Azaico dat Radulfum fratrem suum in manu Egidii abbatis ad monachum faciendum.

(C. AN. 1160.)

Notum sit omnibus quod Paganus de Azaico dedit Radulfum fratrem suum ad monachum in manu Egidii abbatis. Dedit autem pro eo in eleemosynam unum

arpennum et dimidium prati apud exsartos, qui conjungitur prato monachorum de Azaico. Habebant etiam inter ipsum et monachos de Belli Loci duos arpennos apud Buignum, et falcabant monachi uno anno ex una parte, et Paganus alio anno ex altera parte; item Paganus uno anno ex una parte, et monachi ex alia parte. De quo prato dedit partem suam monachis Nuchariensibus. Reddebat ei prior de Azaico unoquoque anno quatuor denarios censuales de sclusa et molendinis de Azaico, quos quitavit, et omnes querelas de supradictis molendinis pacifice in manu Egidii abbatis dimisit. Testes : Garinus, vicarius; Jaquelinus de Pelagrola; Odo de Azai; Herveus Roduens; Drogo, nepos abbatis; Yrvisus.

Hoc concessit Vivianus, frater Pagani, in domo Hervei de Batille, et Gaufridus, frater suus, videntibus et audientibus istis : Odone, avunculo suo; Petro Audin; Herveo de Batille; Durando Coquet de Luchis.

Hæc omnia concessit Radulfus dominus de Bresio, super pontem Bresii, coram Natale monacho et Pagano donatore; Jaquelino de Pelagrola; Phillippo Carquen; Petro Audin.

Cart. orig., folio 76, recto; copie, p. 721.

DLXXXVII.

Achardus Engenaldi vendit monachis quidquid ab eis habebat apud Aziacum.

(C. AN. 1160.)

Posterorum memoriæ commendare dignum duximus quod Achardus Engenaldi quemdam feodum, quem a nobis monachis scilicet Nuchariensibus, in parrochia

Aizaici habebat, pro quo, ut pro feodo moris est, debitum nobis reddebat servitium, vel quicquid ubicumque a nobis habebat, nobis vendidit, acceptis pro hac definita venditione undecim libris et quinque solidis. Facta est autem hæc venditio in manu domni Egidii abbatis, in communi capitulo nostro, coram his testibus : Guanilone, archipresbytero de Monte Basonis, avunculo ejusdem Achardi, quo prolocutore facta sunt hæc ; Gualterio Barre ; Amalvino ; Petro de Pussigné ; Tetbaldo Garini ; Yrviso ; Johanne Fabro ; Paillardo, qui fuerat serviens Achardi ex eodem feodo.

Concessit hoc uxor Achardi, Superba nomine, et habuit inde decem solidos. Concesserunt etiam hoc omnes filii sui, scilicet Radulfus, Goffredus, Guillelmus, Achardus et filia, Adelaidis nomine ; habuitque unusquisque duodecim denarios pro concessione, coram his testibus : Mauricio, monacho ; Guanilone, supradicto archipresbytero, et Aimerico, nepote suo ; Yrviso, famulo ; Petro de Pusigneaco.

Cart. orig., folio 184, verso ; copie, p. 723.

DLXXXVIII.

Dona concessa cœnobio Nuchariensi pro professione Huelini de Campaniaco.

(C. AN. 1161.)

Quando Huelinus de Campaniaco factus est monachus apud Nucharius, dedit pater ejus Johannes in eleemosynam dimidium jugerum vineæ ad Pugiam, de censu Garini Divendri 11 denariorum, et vineam quam habebat de monachis, et dimidium jugerum terræ en la Brocia

de censu supradicti Guarini ad censum duorum denariorum, et decimam de terris et vineis quas habebat inter fluvium Vosdæ et fluvium Vigennæ. Concesserunt hoc filii sui, Hugo, Mauricius, Araldus, Oda. Testes : Yrvisus, Drogo, famuli abbatis; Girardus Piguo: Brunet; Aimericus Giraudi; Bartholomæus; Rainaldus David, qui et concessit.

Cart. orig., folio 93, recto; copie, p. 727.

DLXXXIX.

De quadam decima apud Canavellas.

(C. AN. 1161.)

Bene gesta laudantur, si scripto et testibus confirmata, pravorum deinceps per calumniam non timent incursum. Eapropter nos monachi Nucharienses præsenti paginæ duximus inserendum quod Hugo de Sancta Maura, filius Goscelini, emit ab Alberico et Phylipo, filiis Burdeti de Alberiis, quamdam decimam quam ipsi habebant apud Canavellas; quam decimam ipse Hugo postea dedit Deo et ecclesiæ Nuchariensi in eleemosynam, tempore Egidii abbatis, Rainaudo Dimart loci illius tunc temporis existente priore. Testes : Aimericus Ballo; Petrus Teberti; Simon de Maceriis; Matheus et Gauterius de Sepmis.

Donum hujus decimæ concessit Phylipus de Sepmis, qui habebat Amelinam uxorem, filiam Bosonis de Alberiis, de cujus feodo ipsa decima erat. Testes qui supra. Concessit etiam hoc ipsa Amelina, et mater ejus, Ursa nomine. Testes : Mainardus de Alberiis; Rainaudus

frater ejus, monachus; Guido Ategnenz; Oddo, frater ejus; Guido Beliart; Gaufridus Buhail; David Buhail. Post decessum vero Philipi, qui obiit sine liberis, Goffredus de Roseriis prædictam Amelinam duxit uxorem. Qui et ipse concessit ecclesiæ Nuchariensi prædictam decimam quicte et absque ullo inde reddendo servitio perpetuo possidendam, seque eam ab omni incursione calumniæ spopondit defensurum. Testes : Petrus Teberti; Bonus Sirus; Aimericus Frogerii; Matheus de Sepmis et Gauterius, frater ejus; Rainaudus de Uxello. Simili modo concesserunt hoc filius ejus Guillelmus, et filia ejus Juliana. Testes : Mainardus de Alberiis; Girardus de Canavellis; David Buelli; Goffredus Buelli; Goffredus Ribaut; Theobaudus de Frontanaio; Michael Samuelis.

Cart. orig., folio 153, recto; copie, p. 729.

DXC.

Iterum agitur de eadem decima apud Canavellas.

(C. AN. 1162.)

Sicut præsens pagina testatur, Albericus et Philippus, Bordeti filii, habebant quamdam decimam a Vigniaco usque ad crucem Aremburgis. Verum Philippus, volens ire Jherosolimam, sed non habens unde, petiit a fratre ut venderent decimam Ugoni de Sancta Maura; quod et factum est. Placuit autem Ugoni ut decimam quam emerat in eleemosynam daret ecclesiæ Nucariensi, tempore Egidii abbatis, quem per unum baculum de ea investivit ante altare Sanctæ Mauræ, annuente scilicet uxore sua Aalit, et filio suo Ugone; nam Guillelmus, filius ejus

major, hoc antea apud Nucastrum annuerat. Testes : Guillelmus, archipresbyter; Jaquelinus Marrannus; Aimericus Baillos; Petrus Teberti; Tebaudus Garin; Petrus de Pusigné.

Postea vero, aliquanto temporis evoluto, Philippus de Sepmis, ducta uxore Amelina, filia Bosonis de Alberiis et Ursæ, de quorum feodo decima esse dicebatur, intulit calumniam, dicens hanc absque suo assensu nos in pace possidere non posse; tandem igitur consilio Hugonis de Sancta Maura, aliorumque virorum illustrium, cum prædicto Philippo et uxore sua Amelina, nec non et Ursa matre Amelinæ, pacem fecimus, eisdem concedentibus prædictam decimam ecclesiæ Nucharіensi in perpetuum possidendam. Testes: Teobaudus, presbyter de Cella; Fulco de Sepmis; Drogo de Marchaico; Aimericus Baillos; Jaquelinus Marrant; Petrus Teberti; Drogo, nepos abbatis.

Cart. orig., folio 217, recto; copie, p. 745.

DXCI.

Garinus, cognomine Divendrens, dat decimam apud Campaniacum.

(C. AN. 1162.)

Per hujus præsentis paginæ scriptum litterarum apicibus annotamus quod memoriæ posterorum tradere disponimus. Tempore quo abbas Egidius ecclesiæ Nucharіensi præerat, et Petrus de Balgentiaco apud Campaniacum humiliter ut monachus conversabat, erat quidam homo in prædicto vico, nomine Garinus, cognomine Divendrens, qui omnem decimam suam, quam de pro-

pria vel de aliena terra, quæ sibi censualis erat, habebat, tam in domibus, quam in hortis, in animalibus, in universo genere leguminis, pro remedio animæ suæ, suorumque parentum, per pactionem quam cum eo habuit Petrus monachus, ecclesiæ Nuchariensi concessit in perpetuum possidendam. Hanc decimam apud castrum Cainonem Rotbertus de Blo, de cujus feodo erat, eidem ecclesiæ concessit, et ex ea monachum investivit, promittens et testificans se eam ab omni subreptione vel diminutione defensurum. Testes: Philippus de Campaniaco; Johannes et Rainaldus David; Goffredus Mauricii; Benedictus de Areriis.

Postea prædictus Garinus veniens in capitulo Nuchariensi, prædictum abbatem ex eadem decima investivit, beneficium ejusdem ecclesiæ accipiens. Pro hujusmodi opere sic patrato, prædictus monachus dedit ei centum decem solidos; Rainaldo, fratri ejus, v solidos; Ersendi, sorori, IIII solidos; Amelinæ, sorori, XII denarios; Rotbertus de Bloi, x solidos; Aimerico, fratri suo, II solidos. Testes: Johannes David; Hugo, filius ejus; Fulco; Huo; Yrvisus; Drogo, nepos abbatis; Rainaldus, famulus; Andreas Guitet, et Guillelmus frater.

Cart. orig., folio 95, recto; copie, p. 731.

DXCII.

Reginaldus de Aiona concedit vineam prope ecclesiam Parilliaci.

(C. AN. 1163.)

Notificare volumus omnium fidelium cognitioni quod Reginaldus de Aiona dedit Deo et Sanctæ Mariæ et mo-

nachis Nuchariensibus sanctæ Dei Genitrici servientibus, vineam quam habebat ante ecclesiam in villa quæ vocatur Parilliacus, concedente domno Pagano, filio Johannis de Cainone, de cujus casamento erat, et uxore ejus Bilucha, et filio ejus Johanne. Testes hujus rei sunt : Garnerius de Viliriaco et Tezelinus de Druio.

Cart. orig., folio 95, verso ; copie, p. 733.

DXCIII.

Bartholomæus de Moncellis dat ecclesiæ Nuchariensi quidquid habebat in parochia de Poizai.

(C. AN. 1168.)

Tam præsentium quam futurorum (memoriæ) commendamus quod Bartholomæus de Moncellis, Marci filius, tempore Egidii abbatis, dedit Deo et Sanctæ Mariæ et ecclesiæ Nucariensi in ejusdem capitulo, quicquid habebat in parrochia de Poizai, a cruce Raimbaldi usque ad ecclesiam Sancti Sulpitii, scilicet proprias terras et census; insuper possessionem et tenorem cujusdam hominis, nomine Araldi Decani, quem in conjugio acceperat cum uxore sua Benedicta, colliberta supradicti Bartholomæi. Hæc omnia tali conditione in prædicto capitulo ab eodem Bartholomæo fidei sponsione eidem ecclesiæ data sunt et concessa, ut in eis quæ supradiximus, amodo et deinceps amplius nihil habeat aut requirat, et contra omnem calumniam se defensorem opponat. Pro hujusmodi datione a Bartholomæo facta in eleemosyna, dedit ei abbas Gilo tredecim libras Andegavensis monetæ, et Arnaldo Decano, et uxori ejus Bene-

dictæ quatuor libras. Hoc concesserunt filii Arnaldi, Rainaldus, Garnerius, et Aldeburgis, filia; et unusquisque habuit duos nummos. Testes: Laidet, presbyter de Paizai; Gano de Moncellis; Tetbaldus Garin; Araldus Acardi; Petrus de Pussigné; Matheus Simonis; Malinder; Hubertus de Colle; Giraldus, frater ejus; Guillelmus, vianderius.

Postea vero Rainaldus Barba inveniens abbatem prædictum apud Castrum Araldi, ante Hugonem vicecomitem calumniavit ea quæ Bartholomæus de Moncellis donaverat, dicens sibi ex parte consanguinitatis contingere; cujus calumniæ facta est pax in manu vicecomitis tali modo : dedit ei abbas XL solidos in caritate; et ipse Rainaldus finivit querelam, et pollicitus est se fideliter defensurum. Testes : Matheus, eleemosynarius; Reversus; Johannes Oculus Porci; Aimericus, præpositus; Yrvisus; Drogo.

Cart. orig., folio 185, recto; copie, p. 735.

DXCIV.

Beluza, uxor Pagani Cainonensis, concedit omnem decimam novalium nemoris Rariaci, sive in præsenti, sive in futuro incisi.

(C. AN. 1164.)

Innotescere volumus præsentibus seu futuris, quod Beluza, uxor Pagani, et Johannes, et Gaufridus, et Gervasius, filii ejus, dederunt Beatæ Mariæ Nuchariensis ecclesiæ omnem decimam novalium nemoris Rariaci in præsenti sive in futuro incisi. Hoc donum viderunt et testes fuerunt Garnerius de Vilarei; et Ebbo Brisa-

hasta; Arduinus Seneschals, et frater ejus Utbertus Perresil; Guiggardus de Monte Basonis; et Augerius Brisa-hasta; Paganus de Artana; Tescelinus de Droe; Bernardus Masrechaus.

Post non multi temporis spatium, assumpto secum filio suo Johanne, venit in capitulum nostrum supradicta domina in festo Purificationis Beatæ Mariæ, ibique ambo annuerunt nobis et dono firmaverunt quicquid ante vir ejus Paganus ecclesiæ nostræ dederat vel concesserat, ecclesiam videlicet Parreliaci, decimasque ejusdem, et quicquid apud Droé, vel in omnibus aliis locis ab eo datum nobis fuerat. Testes ii affuerunt in hujus favoris dono : Garnerius de Vilareia; Petrus Tortus; Guichardus; Arduinus Senechals, et frater ejus Ebbele Barraus.

Cart. orig., folio 74, recto; copie, p. 737.

DXCV.

Judicium Ilugonis, vicecomitis Castri Araldi, inter Egidium abbatem et Fulcherium Achardi.

(C. A.....)

Notum fieri volumus quod Fulcherius Achardi pro custodia quæ (ab) hominibus nostris de villa Sancti Sulpitii merito annui commendatii servitii sexaginta solidorum ei debebatur, hoc etiam contra solitum morem exigere voluit, ut jurgia inter eos oborta susceptis clamoribus conquerentium, et quas eis inferret querelas, nobis non requisitis, judicio curiæ suæ terminaret. Unde et Petrum Vitalis pro quibusdam causis captum

tenens, renitentem suum cogebat subire judicium. Pro hoc autem facta est contentio inter domnum Egidium abbatem et ipsum Fulcherium; cumque præfatus abbas Fulcherium anathemati submittere pararet, rogatus est ab Hugone vicecomite Castri Araldi ut in curia sua cum Fulcherio conveniret, non pro obtentu dominantis, sed pro affectu obtestantis concordiæ compendium; quod et factum est; cumque, agitata causa, Fulcherius a multis sapientibus viris præsumptionis suæ argueretur, confessus est se in prædictis hominibus nihil habere præter sexaginta solidos pro custodia, et hos quamdiu prædictos homines et res ipsorum legitime pro posse suo servaverit. Et si querelam adversus aliquem habuerit, in curia abbatis judicium justitiæ suscipiet. Hoc ita se servaturum spopondit in præsentia Hugonis vicecomitis Castri Araldi et Aimerici filii ejus, et de captione prædicti Petri abbati rectum fecit coram his testibus:

Hugone scilicet de Chambrun, cujus Fulcherius socer erat; Petro Bruno; Petro *Tira prædam*; Aimerico, fratre ejus; Petro Morin; Retierse; Johanne Oculus porci; Ardreas Meschins; Goffredus Martellus; Aimericus de Forgis; Saturninus, presbyter; Corbellus de Thoarz; Aimericus Barba; Aimericus de Pare; Algerius, senescalis; Goslenus, cliens; abbas Gaudinus; Gauterius, bajulus; Rainaldus, prior; Lancelinus.

Hæc autem, sicut scripta sunt, dedit Ganelo (1) et uxor ejus, et filii ejus, Deo et Sanctæ Mariæ ac monachis de Nuchariis; et monachi dederunt Guaniloni quinque millia solidorum et uxori Ganilonis et filiæ ejus triginta solidos, et filio Ganiloni XLIII solidos, et Buc-

(1) Patet hanc posteriorem cartæ partem minime priori congruere, et ad vetustiorem ætatem rejiciendam esse. Item dicendum est de notitia præcedentium testium, inter quos adest Gaudinus abbas.

cardo v solidos, et uxori Johannis de Haia XL solidos, et filiæ Johannis XII denarios. Hi sunt testes qui viderunt et audierunt quando Bucardus, filius Ganilonis, annuit hoc apud Nucharios : Mauricius de Breis; Radulfus; Ulricus, presbyter; Odo Arotellus; Fromentinus; Odo de Albiniaco; Gauterius Primeta; Natalis, sartor; Rigaudus; Johannes Giroardus; Bernardus, famulus.

Omnia autem hæc sicut scripta sunt, concessit Johannes, dominus Haiæ, et uxor ejus Cassimota, et filia Tescelina eorum, apud Haiam pontis trans fluvium, quod est Crosa, non quod de eorum fedio esset, sed quod Johannes desponsaverat filiam suam Ganiloni juniori. Cujus rei isti sunt testes, qui viderunt et audierunt: Ribotellus de Haia, et frater ejus Andreas; Robertus Jaquelini; Goscelinus de Mose; Giraudus Choeta; Mestiverius; Piruns Drogo; Gauterius et Hubertus; Johannes Guido; Ainardus; Saturninus et Giraldus; Petrus de Monte et filii ejus; Ganilo de Castellono; Goriardus; Adermarus; Goslenus; Burchardus; Hugo; Boemundus; Petrus, filius Rainaldi; et cum omnibus istis Agnes nutrix filiæ Johannis quæ Tescelina vocatur, quæ concessit, sicut prædictum est.

Cart. orig., folio 180, verso; copie, p. 739.

DXCVI.

Eleazar, frater Amalvini, annuit quidquid idem Amalvinus dederat vel vendiderat monachis.

(C. AN. 1165.)

Notum sit omnibus quod Eleazar, frater Amalvini, et Guillelmus, filius ejus, concesserunt quicquid Amalvinus *Cauda vaccæ* dederat monachis de Nuchariis aut

vendiderat. Testes : Aimericus Amalium ; Salatiel ; Mauricius et Gauterius, filii Garini ; Jaquelinus ; Bernardus Venderius de Fagia ; Bernaldus, mareschals abbatis.

Cart. orig., folio 82, recto ; copie, p. 743.

DXCVII.

Drogo de Varenna, morti proximus, dat pratum apud S. Patricium.

(C. AN. 1166.)

Sciant omnes tam posteri quam præsentes quod Drogo de Varenna, morti proximus, dedit Deo et Sanctæ Mariæ monachisque Nuchariensibus pro remedio animæ suæ, concedente uxore sua Juliana, filioque suo Goffredo, filia quoque sua, Garsia nomine, dimidium arpennum prati, quod est juxta pontem Sancti Patricii, et Fraxinecum, quod situm est inter Callem comitis et fluvium qui dicitur Lienus ; videntibus et audientibus his testibus : Constantio, presbytero ; Stephano Enjorrandi ; Bono, homine Adelardi ; Guidone de Valeia ; Gorssino Paimpare. Hoc donum factum est in manu Goffredi monachi, quondam panetarii, tempore quo domum regebat Sancti Patricii.

Cart. orig., folio 68, recto ; copie, p. 747.

DXCVIII.

Notitia census quem debet monachis Guillelmus de Bosco.

(C. AN. 1167.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Guillelmus de Bosco abbati Egidio et monachis Nuchariensibus annuatim in festivitate sanctæ Mariæ de martio II solidos et VI denarios census de terra quæ est sub valle reddere debet, tenens more aliorum qui supradictis monachis census reddere debent. Testes hujus rei sunt: Bartholomæus Yrvisus; Drogo, famulus abbatis; Aimericus Giraldi; Berengerius; Lolers.

Cart. orig., folio 166, verso; copie, p. 751.

DXCIX.

Milexendis de Valrotru dat quædam bona pro filio suo Aimerico, facto monacho.

(C. AN. 1167.)

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quod Milexendis de Valrotru et filii ejus, Petrus et Johannes, dederunt Deo et Sanctæ Mariæ et monachis Nuchariensibus culturam de Rarei, terram quoque et nemus quod est juxta vineam monachorum de Gatnaico, pro Aimerico filio prædictæ Milexendis, fratre quoque Petri et Johannis, facto monacho. Abbas autem Egidius dedit eis pro terra illa decem libras in caritate. Amiet mona-

chus, qui tunc temporis erat prior de Gatnaico, pro illa terra vestivit Aimericum, et dedit refectionem monachis. Hoc autem factum est, concedentibus fratribus et sororibus Aimerici, scilicet Pagano, clerico, et Michaele, et Alaait, uxor Stephani Asechet, et Arxendi, uxor Aimerici Tharazum. Guillelmus quoque de Luens, consanguineus eorum, hoc idem concessit. Testes qui hoc audierunt : Aimericus Odet, qui cum illis stabat ; Laidetus Cains ; Stephanus Asechet, et Aimericus Giraldi ; Yrvisus ; Araudus Furnerius.

Cart. orig., folio 215, recto ; copie, p. 757.

DC.

Permutatio quarumdam terrarum inter monachos Nucharienses et Petrum de Valle Rotru, militem.

(C. AN. 1176.)

Quoniam ea quæ fiunt, sæpe a memoria elabuntur, nisi litterarum apicibus annotentur, eapropter notitiæ fidelium tradere disponimus, quod tempore Egidii Nuchariensis ecclesiæ abbatis, apud Gagnaicum cum quodam milite, nomine Petro de Valle Rotru, de nostris terris pro sua terra facta est quædam permutatio, sive, ut vulgo dicitur, cambitio in hunc modum. Erat eodem tempore quidam de nostris fratribus, nomine *Amicus*, prior de Gagnaico, qui maximum locum eisdem in partibus obtinebat. Is cum Petro quem prædiximus, per se, perque suos amicos benignissime collocutus, abbatem in cujus arbitrio totius rei pendebat effectus, ad compositionem hujus operis humiliter convocavit, et

ex utraque parte invicem concordaverunt, ut prædictus Petrus nostram culturam de Bometh, et terram quæ est ante domum Stephani de Charraciaco, et vineam de Bosco Rotundo, in suum dominium haberet, et terra illius quæ clausuræ nostræ domus adhæret, et inter duas vias includitur quibus iterantes ex illa parte ad castellum Faihæ proficiscuntur, libera et quicta nobis in perpetuum remaneret. Itaque facta alternatione hujusmodi, ut opus bene incœptum firmioribus vinculis necteretur, idem miles in manu Egidii abbatis terram denominatam cum universis quæ continentur in ea, Nuchariensis ecclesiæ monachis concessit in eleemosynam eis jure perpetuo possidendam. Pro tali facto recepit a nobis in caritate XXXV libras, et uxor ejus Adelais, XXV solidos; Johannes, frater Petri, XL solidos; Michael, frater amborum, decem et VIII solidos; Adelais, soror, X solidos; iterum Hersendis, decem solidos; Guillelmus, filius ejus, duo solidos; Lucia, soror Petri, duo solidos. Ii omnes quos nominavimus, terram illam prænominatam cum universis quæ continentur in ea pariter concesserunt, nihil ibi prorsus retinentes.

Huic operi præsentes astiterunt multi, inter quos quidam nomine Robelinus miles, de cujus feodo istam terram Petrus habebat. Iste cum Richildi, uxore sua, et Amaurino, filio suo, quicquid factum est a Petro cum abbate et monachis Nuchariensibus, totum concessit ecclesiæ in pace possidendum. Pro his concessis receperunt a nobis in beneficio caritatis novem libras. Guillelmus et Hugo, et Arvilla, soror eorum, similiter concesserunt, et habuerunt unusquisque tres solidos.

Erat eo tempore Radulfus, frater vicecomitis Castri Araudi, dominus Fahiæ, qui huic operi suum præbuit assensum, suoque sigillo præsentem paginam commu-

nivit. Nec privata est munere manus illius, qui trecentos solidos sine dilatione recepit.

Testes : Aimericus, archipresbyter; Petrus de Forneolis; Guillelmus, presbyter de Savigné; Boso Poteth; Hugo de Chargé; Bertrannus de Montedeum; Guillelmus de Luens; Stephanus Gatinuns; Bruno, prætor; Berengerius de Poletes; Guillelmus de Fugua; Hyrvisus et Drogo, famuli abbatis; Brunus de Gagnaico; Guillelmo de Gagnaico; Gauterio; Guineburgis; Roberto, famulo; Petrus de Fai, et Boet, frater ejus; Aimerico; Perunnello; Enfreith (*aliter* Effredus) de Chargé.

Post aliquantum vero temporis, Michael, frater P., cujus supra meminimus, calumniatus est nobis terram hanc, dicens se non esse militem quando facta fuit supra scripta commutatio. Tandem tamen sapientium virorum aquiescens consilio, et domni Henrici abbatis qui tunc Nuchariensem regebat ecclesiam precibus annuens, illatam finivit calumniam, et terram supradictam cum universis quæ continentur in ea ecclesiæ Nuchariensi concessit in manu Guillelmi de Voo, qui tunc erat senescallus Faiæ. Testes : Gaudinus Achardi; Adelelmus do Chillo; Gaudinus de Balneolis; Johannes de Tusca; Johannes de Valle Rotru; Brunus, præpositus; Boso de Furneolis; Petrus de Furneolis; Johannes de Petraria.

Hoc concessit Roseria, uxor ipsius Michael, et Margarita, filia ejus. Non enim habebat præter illam liberos eo tempore. Testes : Aimericus de Pantanai; Rainaudus Agnus; Raguidellus, famulus Michaelis; Radulfus, pistor; Petrus de Carriciaco, qui erat tunc cum Amicio.

Elapsis autem pluribus annis post eam quæ supra scripta est commutationem, Petrus, filius prædicti Petri, opposuit contentionem, causas fingens inventitias. Ve-

rum, postmodum resipiscens, venit Nucharios in capitulum ipse et pater ejus cum eo, atque Guillelmus Robelini, de cujus feodo erat, ibique illatam finiens contentionem, concessit ecclesiæ Nuchariensi perpetuo in eleemosynam, et præfatæ commutationis ex integro possessionem, et quamdam terram de juxta Rarerium, quam ipse contendebat. Testes : Giroardus de Montaniaco; Guillelmus de Pussigniaco; Drogo; Johannes Bertini.

Hoc concessit uxor præfati Petri, Hilaria, et filii ejus, Goffredus et Michael. Concessit etiam hoc Guillelmus Robelini, de cujus feodo erat, sicut jam diximus, et Martha, uxor ejus ; Scolastica quoque filia ipsius. Testes : Guillelmus de Milleio; Guinus Tarezuns; Isembertus, famulus prioris de Gagnaico.

Sciendum autem quia quod in superiori commutatione a parte Petri transivit ad nos, erit eleemosyna ab omni feodali obnoxietate libera. Quod vero a nobis ad ipsum, erit de feodo Robelini. Sed si opus nobis fuerit, recurremus ad Robelinum, et ipse tuebitur nobis partem nostram.

Cart. orig., folio 208, verso, et 217, verso ; copie, pp. 749 et 772.

DCI.

Nucharienses monachi emunt quædam bona apud Grizaicum.

(C. AN. 1176.)

Quoniam tempora temporibus, personis personæ succedunt, et etiam bene gesta facile a memoria elabuntur, idcirco ego Egidius, Nuchariensis ecclesiæ dictus abbas,

notitiæ fidelium per præsentia scripta tradere curavi, quomodo consilio fratrum nostrorum quædam inter cætera utilitati et possessionibus ecclesiæ nostræ..... Aderant apud nos quidam homines, Guittetus, nomine de Podiis, et filii ejus, Guillelmus, Andreas, Tebertus, Johannes. Erat etiam et Guillelmus, cognomento Messerius, et soror illius Alaidis, qui omnes habebant ad Grizaicum terras ad septimæ gerbæ terragium, quod ipsi colligebant ex debito, cum assecuratione tamen sacramenti, ne dominos defraudarent. Habebant etiam prata eisdem terris proxima, de quibus omnibus militi cuidam, Achardo Engemaut nomine, reddebant consuetudinem, scilicet sextarium unum hordei ad mensuram Nucharii, duos capones, duos panes, unum denarium, et unum agnum ad Pascha, vel pro agno VIII denarios, et semel in anno procurationem unam sibi tertio. Hæc tenebant prædicti homines ad hanc consuetudinem ab Achardo; Achardus vero a Guillelmo Gorrum; Guillelmus autem Gorrum a domino Mirmandiæ habebat, denominatum servitium inde ei faciens, dans ei scilicet III solidos Andegavensis monetæ, nec amplius. Hoc autem servitium aut pro necessitate sui corporis ab hostibus redimendi, vel si filiam suam maritaverit, aut filium suum fecerit militem, dominus Mirmandiæ habebit, cum pro his necessitatibus quæsierit. Erat etiam et eisdem hominibus, quos supra diximus, quædam terra communis, quæ de dominio ecclesiæ Nuchariensis procedebat; sed et Guillelmus Messorius et soror illius Alaidis habebant aliam terram, quæ cum supradictis non communicabat; sed eam de suo patrimonio in alodum tenebant. Hæc omnia, terras et prata sicut tenebant et habebant Guillelmus et Alaidis, Guittetus et filii ejus, abbati Giloni et habitatoribus ecclesiæ Nuca-

riensis legitime vendiderunt pretiis denominatis : Guittetus et filii ejus habuerunt VII libras ; Guillelmus Messerius, C solidos ; Alaidis, soror ejus, C solidos.

Hæc omnia, sicut scripta sunt, terras scilicet cum pratis, concessit ecclesiæ Nucharicnsi Achardus Engenaldi ad prædictam consuetudinem, et IIII solidos quos supra diximus servitii, si tamen eos dominus Mirmandiæ pro aliqua trium, quas supra diximus, necessitatum ab Achardo Engenaldi quæsierit; eruntque illi pro omni servitio, nec pro aliqua quæ venire possit necessitate ipsi Achardo aut heredibus ejus, seu alii cuilibet inde amplius serviemus. Ita concessit Achardus et habuit XL solidos ; uxor ejus Richildis, X ; Radulfus, filius ejus, II solidos ; Achardus, Guillelmus, Johannes, fratres Radulfi, et Alaidis soror, unusquisque VI denarios.

Concessit etiam hoc Guillelmus Gorrum et habuit XV solidos ; et Richildis, uxor ejus, et habuit V solidos ; et filii eorum Mauritius et Petrus.

Hoc etiam concesserunt Burchardus, dominus Mirmandiæ, et Lysia, uxor ejus. Ille habuit inde C solidos ; illa, XX ; filius eorum Guillelmus, III solidos ; Maria, filia eorumdem, II solidos.

Testes ad donum Achardi Engenaldi : Girardus Arremenz ; Albericus, filius ejus ; Archenbaudus de Sarmazia ; Girardus de Tenten. Item apud Antogniacum testes : Buchardus de Dercé ; Girardus de Antogniaco ; Guitto de Mirmandia ; Petrus de Alba terra ; Chalo Martini ; Galterius, piscator, et frater ejus Borith ; Petrus Malus Rufus ; Petrus de Barra ; Petrus de Pussigniaco ; Yrvisus et Drogo, famuli abbatis.

His ita expletis, et aliquot annorum labente curriculo, Achardus Engenaldi veniens ad Guillelmum Gorrum, dedit ei V solidos, et filio ejus Mauritio XII de-

narios, tali pacto ut ex illo et deinceps quicquid Achardus aut heredes ejus committerent, pro nullo eorum commisso Guillelmus Gorrum aut ejus heredes ad prædictum feodum se verterent, ipsum propterea sasientes. Hoc ita concesserunt Guillelmus et filii ejus, Mauricius atque Petrus, Achardo et heredibus ejus in perpetuum, in manu domini Henrici abbatis, audientibus quorum nomina sunt hæc : Rotbertus de Alberiis ; Aimericus Frogerii ; Gaufridus de Maceriis ; Britto Bobelli ; Rossellus de Marcilliaco.

Cart. orig., folio 2, verso; copie, p. 761.

DCII.

Rainaudus et Hugo annuunt emptionem cujusdam terræ.

(C. AN. 1176.)

Litterarum assignatione præsentium et futurorum notitiæ nos monachi Nucharienses tradere curavimus quod Martinus de Garda habebat terram a nobis quam colebat ad terragium. Hanc utique terram voluit habere domnus abbas Egidius, quia erat Aurigniaco inter nostras, et dedit Martino pro ea aliam terram sitam inter viam quæ ducit ad Marcilliacum et viam quæ ducit Nucharius. Post obitum vero Egidii, cum propter suam necessitatem Martinus eam vendere voluisset, Henricus, qui Egidio successerat in abbatiam, emit illam a Martino ; quo facto, Rainaudus de Montegriaco et Hugo frater intulerunt abbati in ea calumniam pro eo scilicet quod Martinus homo eorum existeret ; calumniati sunt etiam terram quam jam dictus abbas Henricus antea emerat a Lau-

rencio, qui filiam Odelinæ sororis Martini habebat uxorem; eratque terra illa sita in pluribus locis. Tandem vero prædicti Rainaudus et Hugo, jus nostrum recognoscentes, illatam finiere calumniam, tam de terra Laurencii, quam de terra Martini, et utramque, imo etiam aliam totam quam ab hominibus eorum ubicumque habebamus, ecclesiæ Nuchariensi jure perpetuo concesserunt habendam. Testes : Petrus de Pussigniaco; Bonus Syrus; Araudus Achardi; Drogo de Brullum; Gaufredus de Garda.

Cart. orig., folio 3, verso; copie, p. 763.

DCIII.

Donum terræ quæ vocatur Brisehasteria.

(C. AN. 1176.)

Largiente gratia Dei quæ prævenit et subsequitur, parentum beneficia nonnunquam solet agmentare filiorum devotio, et quod illi bene inchoant, isti satagunt adimplere. Sic utique constat de *Brise hastaria* factum, cujus medietatem nobis monachis Nuchariensibus prius antecessores dederunt in eleemosynam, et alteram postea successores. Quam præfatam donationem utramque prosequimur, scribentes hoc modo : Vir quidam nobilis, Augerius, cognomine Brisa hasta, venit cum duobus filiis suis Gaufredo et Petro Nucharius in capitulum, tempore domni Stephani abbatis. Qui orationibus fratrum se commendantes et ecclesiæ suscipientes beneficium, dederunt Deo et abbatiæ Nuchariensi medietatem totius terræ quam habebant trans Vigennam, sive in monte ubi sunt petrariæ, vel ad Sarciacum seu Dossiacum, tam

de silvis quam de terris cultis et incultis, de colibertis et de filiis Gosberti de Rupe aliisque hominibus quos habebant Nuchariis et Nucastro vel Marcilliaco, sicut in aliis cartis quæ sunt apud nos continetur. Dederunt etiam rivagium aquæ ad omnes usus nobis necessarios, XII denarios censuales nobis inde reddentibus.

Post multorum vero annorum curricula, mortuo Gaufrido, qui supradicti Augerii heres extiterat, Maria filia ejus, quam solam ipse reliquit heredem, volens agmentare beneficium avi sui simul et patris, dedit Deo et ecclesiæ Nuchariensi in eleemosynam alteram partem supradictorum totam ex integro, quam ipsa hereditario jure possidebat. Dedit itaque quicquid habebat in supradictis, in terra scilicet culta et inculta, in quocumque loco de jure suo existeret, in hominibus servis et ancillis ubicumque essent, et quascumque in eis haberent consuetudines. Quasdam etiam procurationes quas in Nuchariensi ecclesia requirebat, omnino quitavit. Duodecim quoque denarios census superius memoratos, quos illi debebamus de rivagio, nobis donavit in perpetuum. Veniens igitur in capitulum, de omnibus his in manu domni Henrici abbatis Deo et ecclesiæ Nuchariensi donum fecit, præsente Phylipo marito suo, qui hæc omnia sicut sunt descripta concessit. Habebat autem jam dicta Maria censum in supradicta teneura, quem vendidit ecclesiæ Nuchariensi, XX et unam libram ac dimidiam ab abbate Henrico inde accipiens. Eo itaque modo factum est ut tota teneura Augerii Brisa hasta in jus et possessionem Nuchariensis ecclesiæ perpetuo deveniret.

Testes : Petrus de Pussigniaco ; Teobaudus de Moncellis ; Stephanus Gimonis ; Drogo, famulus abbatis ; Johannes Bertini ; Rainaudus Lemozini ; Girardus Johannis ; Araudus Achardi ; Andreas Garini ; Richardus Ade-

lelmi; Johannes de Dossiaco; Martinus et Gaufredus, fratres prædicti Phylipi; Odo Collumgalli; Odelinus, infirmarius; Herveus; Guillelmus, præpositus; Matheus Beliardi.

Cart. orig., folio 3, verso; copie, p. 805.

DCIV.

Robertus de Bloio census et vicariam dat apud Campiniacum, pro lampade ecclesiæ istius loci perpetuo illuminanda.

(C. AN. 1176.)

Litterarum assignatione ad laudem Dei notitiæ fidelium traditur, quod tempore guerræ quæ fuit inter regem Anglorum et filios ejus, cum apud Campagniacum intra ecclesiam Beatæ Dei Genitricis Mariæ populus esset inclusus, et nocte quadam ecclesia illa per negligentiam careret lumine, lampax quæ erat ante crucifixum, pluribus videntibus, divinitus accensa est. Cujus quidem fama miraculi cum ad Robertum de Bloio dominum villæ illius venisset, ille gavisus et gratias agens Deo, voluit ut lampax illa deinceps noctibus cunctis arderet. Et loquens cum Oddone priore loci illius, dedit Deo et ecclesiæ Nuchariensi in eleemosynam pro illa lampade illuminanda census Divendri, omnes quos habebat Campagniaco, et vicariam terræ illius censivæ, et totam districtionem. Homines quoque mansionarios illius terræ, vel qui jam erant hospitati, vel qui deinceps essent hospitandi, quittos concessit et liberos ecclesiæ Nuchariensi ut servirent abbati et monachis, sicut alii homines terræ eorum eis serviunt. Hanc, inquam, eleemosynam dedit

Robertus de Bloio ecclesiæ Nuchariensi tempore Henrici abbatis, tali scilicet pacto ut priores Campagniaci, qui postmodum futuri erant, in perpetuum illuminarent lampadem quam prædiximus, et ardebit lampax illa privatis diebus a complectorio usque post missam dominicam. Hoc itaque pacto firmato jure perpetuo, Robertus de Bloio investivit Oddonem priorem Campagniaci prædicta eleemosyna, concedentibus filiis suis Gosleno et Josduino, videntibus et audientibus quorum nomina sunt hæc : Huo de Alodo; Goffredus Mauricii ; Guarinus Poteret ; Thomas de Forgis , et plures alii.

Cart. orig., folio 93, verso ; copie, p. 801.

DCV.

Odelina dat unum sextarium frumenti annuatim sumendum pro anima mariti sui Huonis de Noereio.

(C. AN. 1177.)

Noverint fideles universi quod tempore Henrici abbatis Nuchariensis, vir quidam nobilis de Nuchastro, nomine Huo de Noereio, correptus ægritudine et veniens ad extrema, jussit se deferri Nucharius sepeliendum. Quem cum monachi Nucharienses in galilea (1) monasterii honorifice sepelissent, Odelina, uxor ejus, filius ejus Guillelmus, cum aliis pluribus qui ad sepulturam convenerant, venientes in capitulum, dederunt Deo et ecclesiæ Nuchariensi in eleemosynam, unum sextarium frumenti in decima sua de Marciliaco annuatim sumen-

(1) *Galilæam* quidam auctores porticum, gallice *galerie*, interpretantur ; Mabillonius vero, ecclesiæ navem.

dum, pro anima ipsius Huonis. Hoc concessit Huo minor filius ejus, scilicet Huonis, et fratres ejus, Guillelmus de Noereio, Guido, Guicherius. Testes : Guillelmus, presbyter de Nuchastro ; Hugo, presbyter de Malliaco ; Matheus Peloquini ; Huo Manselli ; Matheus Symonis ; Rainaudus Chevruns ; Johannes de Portu ; et alii multi. His igitur videntibus, præfata Odelina et Guillelmus filius ejus, investiverunt jam dicto sextario frumenti priorem et capitulum ; nam abbas forte tunc aberat.

Cart. orig., folio 10, verso ; copie, p. 765.

DCVI.

Henricus abbas dat Guillelmo Pictavinio terram apud Draché sub pensione annua trium minarum frumenti.

(C. AN. 1177.)

Noverit fidelium universitas quod Henricus abbas Nucharіensis et capitulum dederunt Guillelmo Pictavinii et heredibus ejus in perpetuum terram suam de inter Draché et Escullé, ex utraque parte rivi, sub pensione trium minarum frumenti ad mensuram Nucharius, ad festum sancti Michaelis annuatim reddendarum, et duorum caponum ad Nathale Domini. Sallera vero quæ in ipsa terra consistit, non pertinet ad eos nec pertinebit, sed ad eum qui eam possidet ab abbate in petitionem servitutis, nec defensionem libertatis revocatio terræ sequitur a monachis. Testes : Oddo de Podiis ; Guillelmus, præpositus, et totum simul capitulum.

Cart. orig., folio 9, verso ; copie, p. 767.

DCVII.

Gaufredus de Roseriis dimittit calumniam quam inferebat in boscum Artaudi.

(C. AN. 1177.)

Ad impulsationis et calumniæ removendum penitus obstaculum, litterarum assignatione duximus memoriæ commendandum, quod Gaufredus de Roseriis, tempore Henrici abbatis, requirebat chauffagium in tusca Artaudi, quæ est propria monachorum Nuchariensium, ipsi monachis omnino resistentibus. Cumque præfatus Goffredus in hac requisitione nihil prorsus proficeret, prudentium tandem adquiescens consilio et ab incœpto desistens, si quid juris in jam dicta tusca habebat, ecclesiæ Nuchariensi perpetua donatione in eleemosynam contulit. Hoc concessit Amelina, uxor ejus, et Ursa, mater Amelinæ, filii quoque prædictæ Amelinæ, Guillelmus et Hugo, et filia ejus Juliana. Testes : Stephanus Guno (*vel* Gimo); Guillelmus, præpositus; Bartolot de Brullio; Goffredus de Brullio.

Factum est hoc coram Goscelino, tunc temporis domino Nuchastri, de cujus feodo præfatus Gaufridus jam dictum chauffagium sibi allegabat, sub prædictorum virorum testimonio.

Cart. orig., folio 10, verso; copie, p. 769.

DCVIII.

Mabilia, filia Pagani, annuit donum cujusdam terræ apud Nuchastrum.

(C. AN. 1177.)

Noverint præsentes et futuri quod Paganus, villicus de Nuchastro, quando de hac luce migravit, dedit Deo et ecclesiæ Nuchariensi quamdam partem terræ in eleemosynam, quam habebat prope stagnum Nuchastri. Hanc quidem eleemosynam concessit et firmavit Johannes filius ejus, quando præsentem vitam finivit. Postea vero Mabilia, filia præfati Pagani, intulit monachis Nuchariensibus in terra illa calumniam, dicens illam non datam a patre suo, sed pro x solidis invadiatam. Tandem vero finita est illa calumnia inter Henricum abbatem et jam dictam Mabiliam, pace interveniente et concordia, venitque Mabilia Nucharius et concessit terram illam in capitulo præfato abbati et monachis in eleemosynam ad duos denarios census, qui reddentur Mabiliæ aut heredibus ejus. Ipsi vero tuebuntur monachis terram, et dominis suis debitum inde reddent obsequium. Hoc concesserunt filii Mabiliæ, Petrus, Adelelmus, Goffredus. Testes : Petrus de Pussigniaco; Guillelmus Messerius; Drogo de Brullum. Hæc autem terra tunc temporis quando concessit eam Mabilia, jam data erat a monachis Alargueto Piraudi ad complaetum.

Cart. orig., folio 10, recto; copie, p. 775.

DCIX.

Henricus abbas concedit Petro et Andreæ quamdam terræ partem ad Paiziacum, sub pensione annua trium minarum frumenti.

(C. AN. 1177.)

Præsentium futurorumque notitiæ nos monachi Nucharienses cum chirographi testimonio litteris assignamus quod domnus abbas Henricus, cum assensu capituli, dedit Petro et Andreæ, filiis Salomonis de Paiziaco, et heredibus eorum in perpetuum quamdam partem terræ quam habebamus ad Paiziacum in valle Evæ, ipsis inde nobis annuatim ad festum sancti Michaelis apud Nucharios reddentibus tres minas frumenti ad mensuram Nucharіorum. Testes : Guillelmus Nozeia; Johannes Bertini; Guillelmus Pratellus; et capitulum totum.

Cart. orig., folio 10, recto; copie, p. 777.

DCX.

Matheus clericus, factus monachus, dat ecclesiæ Nucha-riensi duodecim solidos census.

(C. AN. 1178.)

Litterarum assignatione cum chirographi testimonio præsentibus et futuris tradit hæc pagina quod Matheus clericus, filius Huberti Guerrici, habebat quamdam terram apud Drachiacum, contiguam terræ presbyteri de Drachiaco, quam dederat ei Hubertus pater suus, extra

partem fratrum suorum. Hanc quidem terram accensavit Matheus Gauterio Borrelli et heredibus ejus in vita sua, tantum ad XII solidos census; quando autem idem Matheus factus est in Nuchariensi ecclesia monachus, dedit eidem ecclesiæ in eleemosynam illos XII solidos in vita sua tantum a prædicto Gauterio vel heredibus suis, quoad ipse Matheus vixerit, ad festum sancti Bricii præfatæ ecclesiæ annuatim reddendos. Post decessum vero Mathei, terra illa revertetur ad genus illius. Verumtamen quicumque eam deinceps habuerit, sive de genere, sive aliunde sit, reddet propter eam ecclesiæ Nuchariensi prædicto termino annis singulis II solidos, reliquis X peremptis. Quod si de XII reddendis vivente Matheo, aliquo modo defectus evenerit, aut de duobus post ejus obitum, ad præfatam terram monachi Nucharienses recurrent occupandam. Hanc eleemosynam ita factam ac prætaxatam a Matheo concesserunt Juliana mater ejus et fratres illius, Archembaudus, Andreas, Gaufredus, Girardus, sorores quoque ejus, Maria, Hermensendis, Petronilla. Ii omnes concesserunt hanc eleemosynam eaque singuli investierunt abbatem Henricum, coram his qui subscripti sunt testibus, tutores quoque ac defensores illius se fore per omnia spoponderunt. Hoc concessit Scolastica, filia Archembaldi. Testes : Albericus Arremetz; Jaquilinus Marranz; Goffredus, filius ejus; Matheus de Sepmis; Symon de Maceriis; Helias Turbatus; Huo Mansellus; Araudus Ylaria; Petrus de Pussigniaco; Guillelmus, filius ejus.

Cart. orig., folio 9, verso; copie, p. 779.

DCXI.

Dona Goffredi, cognomento Leporis, quando factus est monachus.

(C. AN. 1178.)

Per hujus paginæ traditionem præsentibus et futuris nos monachi Nucharienses innotescimus quod Goffredus, cognomento Lepus, quando in Nuchariensi ecclesia, tempore Henrici abbatis, factus est monachus, dedit Deo et ecclesiæ Nuchariensi quoddam terragium quod habebat in terra nostra apud Vignaicum. Quamdam quoque terram apud Tres Fontes dedit similiter; unam nihilominus lampredam quam debebamus ei de consuetudine, clamavit nobis quittam in perpetuum. Hanc eleemosynam ita factam concesserunt Matheus Poncii, Gauterius Poncii, Hugo de Montagré; filii quoque ipsius Goffredi eamdem eleemosynam primi ac principaliter concesserunt, Michael et Helyas, et filia ejus Johanna. Testes : Helyas Turbatus; Matheus Peloquini; Petrus de Pussigné; Guillelmus de Pussigné; Guillelmus, præpositus.

Cart. orig., folio 153, verso; copie, p. 781.

DCXII.

Simon et Girardus dimittunt calumniam quam inferebant in dona matris suæ Beluciæ, uxoris Hugonis de Antoniaco.

(C. AN. 1178.)

Præsentibus et futuris filiis Ecclesiæ per præsentem paginam duximus innotescendum quod sequitur. Uxor

Hugonis de Antoniaco, nomine Belucia, et filii ejus Symon et Girardus, fecerunt de quodam fratre suo, Aimerico nomine, monachum in Nuchariensi monasterio, tempore Bernerii abbatis, donantes eidem ecclesiæ in eleemosynam suam partem de quadam insula apud Corbreium, quam partiebantur cum monachis; dantes etiam medietatem feodi quod de Goffrido Loona tenebant, citra Crosam, et spoponderunt se eam ab omni servitio guarituros. Dederunt insuper arrivagium sclusæ de Antogniaco quæ erat monachorum et arrivabat in terra eorum. Testes : Herveus de Nucastro; Amauvinus; Teobaudus Guarini; Petrus, cellararius; Aimericus Tebert. Hoc donum concessit Gauffridus Loona, et postea Gauterius de Sepmis, in cujus manum feodum devenerat per filiam Gaufredi quam duxit uxorem. Concessit et hoc Hugo de Sancta Maura, qui erat feodi illius capitialis dominus, et filii ejus Guillelmus, Goscelinus, et Hugo.

Post aliquot autem annorum curricula, prædicti fratres, Symon et Gyrardus, in rivagio sclusæ calumniam intulerunt; cumque super hoc ab abbate Henrico conventi atque suasi fuissent, Deo agente resipiscentes, venerunt Nucharius in capitulum, ibique prædictam calumniam perpetuo finierunt, permittentes monachis sclusam de Antogniaco in terra eorum quantum esset opus semper prosequendam, et superius atque inferius pro terræ eorum capacitate trahendam. Necnon et memoratam eleemosynam totam ex integro sicut pro fratre suo eam fecerant, Deo et ecclesiæ Nuchariensi ibidem firmantes, præsentem abbatem et capitulum ea investierunt. Testes : Guillelmus Barbelini; Guitto de Mirmandia; Guillelmus, præpositus; Johannes Bertini; Johannes Guittet. Hoc concessit Milesendis, uxor præ-

dicti Symonis, audientibus Bartholomæo Chalonis; David, fratre ejus; Bernardo, presbytero.

Procedente vero tempore, memoratus Symon, gravi correptus infirmitate, factus est in ecclesia Nuchariensi monachus, conferens eidem ecclesiæ in eleemosynam alteram jam dicti feodi medietatem, sicque factum est ut feodum illud totum ex integro in jus et possessionem ecclesiæ Nuchariensis, Deo donante, deveniret. Hoc donum cum prius fecisset Symon apud Antogniacum in manu domni Henrici abbatis, postea Girardus, frater ejus, ac Milesendis, uxor ejus, venientes Nucharios in capitulum, concesserunt illud, ac toto integre feodo jam dictum abbatem investierunt coram testibus qui aderant, Albericus Arremez, Simon de Matheriis, Helyas Turbatus, Bartholomæus Hiverz, Huo de Noerio, Petrus de Pussigné. Hoc donum concessit Hugo, filius Symonis, et filiæ ejus, Arenburgis, Beatrix, Helisabeth, Milesendis. Testes : Aimericus de Rivo ; Petrus de Alba Terra; Gauterius, presbyter.

Concessit etiam hoc Gauterius de Sepmis, a quo movebat ipsum feodum ex parte uxoris suæ, VI solidos obsequii anno tertio proinde a monachis semper habiturus. Eruntque illi sex solidi pro omni servitio omnique prorsus auxilio. Testes qui supra. Quia hoc concessit in memorato capitulo, hoc quoque concessit uxor ejus, Hamelina, et filii ejus, Huo, Matheus, Rainaudus, et filiæ, Juliana, Tescelina. Testes : Guillelmus de Pussigné; Rainaudus Yrvis ; Radulfus de Bresis.

Cart. orig., folio 5, recto; copie, p. 783.

DCXIII.

Guillelmus et Goscelinus dant unum modium bladi annuatim solvendum pro anima patris sui Hugonis de Sancta Maura.

(C. AN. 1180.)

Per præsentis paginæ descriptionem nos monachi Nucharienses notitiæ fidelium tradere disposuimus quod Hugo de Sancta Maura, cum jacens in infirmitate ad extrema venisset, per manum Henrici Nuchariensis abbatis sacro inunctus oleo, nocte sequenti præsentem vitam finivit, cumque de loco sepulturæ tractaretur, placuit Guillelmo et Goscelino, filiis ejus, ut ad Nucha-riense monasterium deportaretur tumulandus. Quo ibi honorifice suscepto, Bartholomæus Turonensis archiepis-copus (1), Sedis apostolicæ legatus, ad ejus sepulturam rogatus ab amicis occurrit. Sed antequam sepeliretur, convenientes in capitulum, Guillelmo et Goscelino præ-sentibus, abbas Henricus cum assensu totius capituli, dedit Hugoni totum ex integro beneficium, ut pro eo fieret sicut pro monacho professo, tam de missis quam de ejus anniversario; unum etiam monachum pro eo faciendum concessit. Quod beneficium Guillelmus, ad cujus dominium terra illius jure hereditario pertinebat, devote suscipiens, dedit ecclesiæ Nuchariensi pro anima patris unum modium, scilicet IIII sextaria frumenti, IIII siliginis, IIII hordei, in propria decima sua de Sancta Maura annuatim reddendum. Testes : Hugo de Calvi-gniaco; Aimericus, filius Ivonis; Hugo de Campo bono;

(1) Bartholomæus II Vindocinus.

Petrus de Pussigné ;. Drogo de Brullum; Teobaudus de Moncellis; Johannes Bertini; etc...

Cart. orig., folio 8, recto; copie, p. 785.

DCXIV.

Guano et Herveus, de genere Brisehastensium, dimittunt calumniam quam inferebant super Brisehasteriam.

(C. AN. 1180.)

Scripto memoriæ nos monachi Nucharienses per præsentem paginam commendamus, quod post mortem Mariæ, filiæ Gaufredi Brisehaste, quæ dedit Nuchariensi ecclesiæ in eleemosynam medietatem Brisehasteriæ; nam pater ejus dederat alteram, sicut in aliis cartis plenius continetur; post mortem, inquam, ejus surrexerunt duo de genere Brisehastensium, Guido scilicet de Sancto Quintino et Herveus, nepos ejus, et in eleemosyna quam fecerat Maria, jus proprium reclamantes, opposuerunt in ea contentionem. Igitur Nuchariensi abbate Henrico et illis duobus prædictis super hoc apud Bellilocum convenientibus, præsentibus etiam Mauricio Bellilocensi, Petro Sancti Genulfi atque Baugeriacensi abbatibus, aliisque sapientibus viris, verbis hinc inde mediantibus, ad hoc usque ventum est, quod Guano atque Herveus, dimissa penitus contentione, totam illam querelam in auribus cunctorum qui aderant pacifice finierunt; imo etiam totam ex integro eleemosynam, sicut ab antecessoribus Augerio Brisehasta et filiis ejus Gaufredo et Petro, deinde a Maria, filia Gaufredi, facta fuisse legitur, ecclesiæ Nuchariensi jure perpetuo concesserunt habendam, audientibus supradictis abbatibus

et aliis qui aderant, quorum nomina sunt hæc : Archembaudus de Vendocinio; Gaufredus de Besogerio; Elias Costardus; Petrus de Sivraico; Paganus de Azaico; Aimericus Goscelini; Gaufredus de Balneonis; Vivianus de Azaico; Arnaudus Chenevacerius; Bartholomæus, famulus abbatis Bellilocensis.

Hoc concesserunt Helysabeth, uxor Guanonis, et Agnes atque Alaidis, filiæ ejus; Lemozina quoque neptis ipsius. Testes : Bernardus, sacerdos; Gaufredus de Anbanneio; Odo Porcherius; Paganus Audemer; Girardus Audemer. Concessit etiam hoc Agatha, uxor Hervei, et Guillelmus atque Petrus, filii ejus; Arenburgis quoque Mallochia, filia ipsius. Testes : Gaufredus Urselli; Gaufredus Roilluns; Rainaudus Hubelot; Guillelmus Godins; Bernardus, filius ejus; Johannes, presbyter Sancti Quintini.

Postea autem, paucis evolutis diebus, veniens Herveus Nucharius in capitulum, cui præsidebat Henricus abbas, suscepit beneficium ecclesiæ pro se et pro Guanone, qui tunc adesse non poterat, ibique rursum finito contentionis obstaculo, prædictam eleemosynam, tam pro se quam pro avunculo suo Guanone, ecclesiæ Nuchariensi benignissime concessit. Testes : Drogo, famulus abbatis; Johannes Bertini; Matheus Beliardi; Garinus, coquus; Johannes Brito.

Assultus quoque, gener Guanonis, et Guillelmus, filius ejus, hoc totum sicut scriptum est superius nihilominus concesserunt, audientibus supradictis testibus, Bernardo scilicet sacerdote et cæteris.

Cart. orig., folio 4, recto; copie, p. 759.

DCXV.

Domus monachorum apud Insulam Buchardi immunis est ab omni exactione procurationis.

(C. AN. 1180.)

Ad præsentium futurorumque notitiam nos monachi Nucharienses præsenti paginæ duximus annotandum, quod tempore quo Stephanus Emmenuns gerebat præfecturam Andegavis, et Goffredus de Marnaico erat sub eo, agens vices illius, Paganus Grens, major communæ Andegavensis, cum eam duceret ad imperium regis Anglorum, qui tunc erat comes Andegavorum, transivit per Insulam Buchardi, et exegit atque cepit per violentiam in domo nostra de Sancto Egidio procurationem. Unde nos merito conquerentes, causam detulimus apud Andegavim ad jam dictos Stephanum et Goffredum, qui eam fecerunt examinari in curia regis. Requisiti inde jurati regis et qui fuerant ballivi patriæ, scientes veraciter consuetudines terræ, responderunt constanti assertione, nec ductorem communæ, nec alium hujusmodi ballivum in præfata domo ullam habere procurationem, et secundum hoc judicatum est de causa, atque judiciali sententia plenius approbatum memoratam domum ab exactione jam dictæ procurationis penitus immunem existere. Itaque sæpedictus Paganus convictus judicio et coactus, pro violentia et usurpata in domo nostra de Insula procuratione, reddidit manu propria xx solidos Stephano Giroardo monacho nostro, statim post examinationem judicii, supplicans de residuo. Factum est autem et promulgatum hoc judicium ad indictum mediæ qua-

dragesimæ, super pontem Andegavorum, in domo Johannis Engelardi. Hujus auctores judicii fuerunt ii : Johannes Brienz; Matheus Grens; Durandus, subvicarius; Guillelmus de Turre; Guoffredus de Turre, frater ejus et subvicarius; Chaperuns; Johannes Engelardi; Aufredus Larde, subvicarius; Rainaudus Forfart; Huo Glei; Guoffredus de Mosteroles, qui eo die agebat causam cum uxore cujusdam hominis, qui cognominabatur de Noau; Andreas a se; et alii plures. Hoc autem factum est Alaardo existente priore de Insula. Nec prætereundum quod idem Paganus recognovit et dixit in communi audientia se non habere penitus ullam in præfata domo nostra de Insula procurationem, sed prava quorumdam suggestione se confitebatur hoc attentasse.

Sciendum quoque quod antea aliquanto tempore, Matheo de Uxello priore de Insula existente, Bartholomæus Rotlandi, præpositus Andegavensis, ducens exercitum Andegavos, hoc idem in memorata attentaverat domo; sed cum a clientibus regis et ab ipsis etiam domesticis suis didicisset nihil juris se habere in hujusmodi, pacifice destitit ab incœpto, quia, sicut asserebant, qui inde noverant veritatem, nec præpositus Andegavensis, nec alius aliquis ballivus, extra Andegaviam habet aliquam aliquo modo procurationem.

Cart. orig., folio 125, recto; copie, p. 787.

DCXVI.

Petrus Simonis, factus monachus, dat quosdam census ecclesiæ Nuchariensi.

(C. AN. 1181.)

Noscant præsentes et futuri, quod Petrus Symonis debebat priori Nuchariorum VI denarios censuales de quadam domo sua de Antogniaco. Aimericus quoque de Siligniaco debebat XV Petro. Petrus vero cum in Nuchariensi monasterio, tempore domni Henrici abbatis, fieret monachus, cambivit illos VI denarios priori cum Aimerico de Siligniaco. Insuper alios VIII qui erant residui de XV, dedit Deo et ecclesiæ Nuchariensi in eleemosynam, atque ita factum est, ut prædictus Aimericus et ejus heredes reddant monachis Nuchariensibus per singulos annos, ad Annuntiationem dominicam, XV denarios census. Dedit etiam jam dictus Petrus Symonis ecclesiæ Nuchariensi unum denarium census quem debebat ei Bernardus Bergiuns, de Poneiaco, reddendum ad prædictum terminum. Dedit præterea sæpedictus Petrus præfatæ ecclesiæ quamdam vineam ad Pussigniacum sitam, et terram vineæ adherentem a parte superiori. Hæc omnia, sicut prædiximus, dedit Petrus Symonis ecclesiæ Nuchariensi in eleemosynam, quando factus est monachus, concedentibus filiis suis, Aimerico et Petro. Testes: Huo de Noerio; Bonus Dominus; Petrus de Pussigniaco; Drogo, Johannes Bertini, famuli abbatis; Stephanus Gimo; Araudus Achardi.

Cart. orig., folio 3, verso; copie, p. 789.

DCXVII.

Simon de Uœello dat duodecim denarios censuales pro anima matris suæ Alaidis.

(C. AN. 1181.)

Per præsentis paginæ scriptum notitiæ fidelium insinuamus quod cum Alaidis Goffredi de Uxello uxor obiisset, ad Nuchariense monasterium delata est tumulanda; quam cum abbas Henricus et monachi honorifice sepelissent, Simon, filius ejus, dedit Deo et ecclesiæ Nuchariensi in eleemosynam, pro anima matris suæ, XII denarios censuales de censibus suis de Siligniaco, præcipiens utique atque constituens ut quisquis deinceps terræ suæ de Siligniaco foret præpositus, redderet monachis Nuchariensibus XII denarios ad Annuntiationem dominicam. Hanc eleemosynam fecit Symon de Uxello pro matre sua Alaide, concedentibus fratribus suis Rainaudo, Guillelmo, Goffredo, Aimerico, Hugone, qui omnes testes sunt hujus rei. Testes etiam sunt: Matheus Symonis; Hugo de Siligniaco; Garinus, coquus; Matheus Beliardi; Herveus Petos.

Cart. orig., folio 3, recto; copie, p. 791.

DCXVIII.

Quidam miles, nomine Aimericus de Chargé, ægritudine correptus apud Insulam, dat quœdam bona Nuchariensi monasterio.

(C. AN. 1182.)

Noverint præsentes et futuri quod quidam miles de honore Faiæ, nomine Aimericus de Chargé, transiens

forte per Insulam Buchardi, cum apud Radulfum Rucevalli socerum suum divertisset, subito ægritudine correptus, ibidem decubuit, cumque gravescente valetudine finem vitæ sibi propinquare sentiret, Henricum abbatem Nuchariensem ad se venire rogavit, a quo devote suscepto sacræ unctionis sacramento, ac postulata sibi apud Nucharios sepultura, contulit ecclesiæ Nuchariensi in perpetuam eleemosynam v solidos census, assignans eos in censibus suis de Furneolis, quos ipse habebat propriores, et duos denarios quos debebat ei domus Gagnaici. Dedit etiam ecclesiæ Sancti Egidii de Collibus quamdam peciam terræ ante ipsam ecclesiam sitam. Aliam quoque peciam quam contendebat domui Gagnaici, dimissa contentione, eidem domui liberam concessit et absolutam.

Cum igitur defunctus Nucharius delatus esset sepeliendus, affuerunt nepotes ejus, Guillelmus scilicet de Ponte, et Michael, frater ejus. Qui ingressi capitulum, præsente abbate Henrico, præfatam eleemosynam sui avunculi pro ipsius dispositione libenter ac bono animo concesserunt, sicut eam constabat esse factam ab Aimerico apud Radulfum Rucevalli, ubi ipse obiit, ipso Radulfo et Matheo filio ejus atque Goffredo Gavonis audientibus. Tunc quoque Guillelmo de Ponte ac Michaele, fratre ejus, in beneficio ecclesiæ ab abbate susceptis, Guillelmus de Ponte magna cum devotione commendavit se abbati et fratribus, proponens se ac firmiter statuens se non alibi nisi Nucharius sepeliendum, quandocumque vel ubicumque contingeret decessurum, consequenter adjungens : « Volo, inquit, ut de meo beneficio ecclesia Nuchariensis post meum decessum habeat. Sex itaque sextaria bladi post meum decessum in perpetuam do ei eleemosynam sumenda annuatim in

molendino meo de Plagnea ; duo interim sextaria, me vivente, ob recognitionem ea inde annuatim habente. » Hanc eleemosynam Guillelmi de Ponte concessit frater ejus Michael, ac de utraque, tam de hac scilicet, quam de præfata Aimerici de Chargé, ambo ipsi investierunt abbatem, præsentibus et videntibus quorum nomina sunt hæc : Goscelinus de Sancta Maura ; Hugo, frater ejus ; Robertus de Alberiis ; Guillelmus, frater ejus ; Rainaudus Gischeti ; Petrus Marranni ; Petrus Bastardi ; Guillelmus Robelini de Faia.

De præfatis nihilominus v solidis Aimerici de Chargé idem Guillelmus de Ponte investivit et instituit ecclesiam Nuchariensem apud Rupem Aleagardi, per Rainaudum Ballargerii subpriorem et Rainaudum priorem Gagnaici, ponens manu propria eosdem v solidos in manu subprioris, censerios propriis nominibus expressos principales de cætero constituens debitores ad mandatum abbatis, præcipiens etiam servienti suo Roberto Line de ipsis v solidis reddendis ex integro. Et si de eorum redditione forte, quod absit, defectus evenerit, monachis erit ad censiva recursus. Hanc eleemosynam taliter factam concesserunt Paganus, Araudus et Aimericus, nepotes Guillelmi de Ponte, audientibus Guillelmo de Nuchastro ; Roberto Line ; Aimerico de Boscolentot ; Clemente de Valentigné ; Mauricio Rasteau.

Isti sunt censarii : Aimericus Girat, IX denarios ; Goslenus Gualum, III denar. ; Robertus de Gastine, III denar. ; Robertus Libiget, III denar. ; Thomas Libretuns, IIII denar. ; Guillelmus Guenez, III denar. ; Ugo Groteau, VI denar. ; Goffredus de Toarz, III denar. ; Stephanus Puraut, IIII denar. ; Brices Goyau, III denar. ; Richot la Goeile, III denar. ; uxor feu Guillelmi Garner, III denar. ; Thomas Doirum, III denar. ; Philipus Robert, III denar. ; Bernart

Berner, v denar.; prïor de Farigné, II denarios. Summa istius census, IV solidos.

Cart. orig., folio 7, recto; copie, p. 793.

DCXIX.

Henricus abbas concedit quædam bona sub ratione census annui.

(C. AN. 1182.)

Per præsentem paginam cum chirographi attestatione divisam ipsius noverint auditores quod Henricus abbas Nuchariensis et capitulum concesserunt Rainaudo Bernegaudi et fratribus ejus possessionem patris eorum de Moncellis, habendam sibi et heredibus suis in perpetuum eo tenore et integritate atque ad illas consuetudines ad quas pater eorum Bernegaudus habuit eam et possedit ab eis, tria scilicet arpendia terræ ad suum hospitagium, ad unam minam avenæ ad mensuram Haiæ, duos capones, unum denarium et unum panem trium obolorum, ac duos solidos census. Concesserunt etiam eis præfatus abbas et monachi terram de Eschangio Burelli ad IIII denarios census, et terram de juxta domum Rainaudi de Moncellis ad III obolos census. Insuper et decem denariatas census de pluribus locis eis nihilominus concesserunt. Testes : Petrus de Pussigniaco; Guillelmus, filius ejus; Oddo, clericus de Podiis; Drogo de Brullum; Guillelmus, præpositus; Johannes Bertini; Guillelmus de Moncellis; Stephanus Dives Garcifer; Bartholomæus Roseia; Bartholomæus, presbyter de Paiziaco; Matheus Ogerii.

Cart. orig., folio 7, verso; copie, p. 797.

DCXX.

Vineæ dantur sub ratione partitionis fructuum.

(C AN. 1182.)

Noverint præsentes et futuri quod Henricus abbas Nuchariensis et capitulum dederunt Alueredo et Stephano pontenerio atque heredibus eorum, vineam suam de post burgum quæ fuit Alaidis, et aliam quæ fuit Haameri Cogele ad tertiam partem habendam et IIII denarios census, quandiu tamen eas bene ac debito jure excoluerint, alioquin monachi revocarent eas sibi. Testes : Guillelmus, præpositus ; Goffredus, famulus abbatis.

Cart. orig., folio 7, verso ; copie, p. 799.

DCXXI.

Goffredus miles, cognomento Lepus, vendit quoddam nemus Henrico abbati.

(C. AN. 1183.)

Eorum qui sunt et qui futuri aliorum perversores bonorum, calumniam devitantes, litterarum apicibus nos monachi Nucharienses adnotamus, quod quidem miles Goffredus, cognomento Lepus, habens quoddam nemus in loco qui dicitur *Brisa hasteria,* juxta nostrum et illud quod est de Mota, vendidit ipsum domno Henrico abbati et monachis Nuchariensibus XXII libras ; venientesque in capitulum ipse et uxor ejus Agatha, et filius eorum Michael, investierunt eo prædictum abbatem ecclesiæ

Nuchariensis et ipsum perpetuo concedentes, audientibus et videntibus quorum nomina sunt hæc : Stephanus Pensenz, capellanus Sancti Johannis; Atho, presbyter de Marcilliaco; Matheus de Sepmis; Petrus de Pussigniaco, et duo filii ejus, Guillelmus et Andreas; Teobaudus de Moncellis; Araudus Achardi; Stephanus Gimonis; Drogo, famulus abbatis.

Et sciendum quod omnes de genere Goffredi, ad quos spectabat, ab abbate et monachis de emendo nemore conventi, ipsum emere renuentes, abbati et ecclesiæ Nuchariensi illud emendum pariter et habendum universi gratanter annuerunt. Hoc concesserunt Gauterius Poncii, et duo filii ejus, Gauterius et Guillelmus. Concesserunt etiam hoc Guillelmus Airis et Rainaldus de Montagré, nec non et Stephanus de Tribus Molendinis. Testes : Radulfus Girbaudi; Phylipus, frater ejus; Richardus Jobelini ; Chalo ; Martinus de Garda ; Drogo ; Gaufrebaudus. Concessit nihilominus hoc Hugo de Montagré, audientibus Drogone, Nicholao, Johanne Pigno. Concesserunt etiam hoc Orguillosa, et Buchardus, filius ejus, atque Arenburgis, filia ipsius. Testes : Petrus Malus Rufus; Guillelmus Lemozini. Hoc concesserunt filii Girardi Leporis, Odo et Petrus. Testes : Guillelmus Giraudi ; Berenguarius de Esculleio; Johannes Pignos. Concessit etiam hoc Matheus, filius Gauterii Poncii, audientibus Andrea de Podiis et Gaufredo Baudus. Item concessit hoc Odo de Tribus Molendinis, audientibus Petro de Pussigniaco et Drogone. Concessit hoc etiam Elisabeth, filia Airaudi de Tribus Molendinis, et filius ejus Guillelmus, et filia ipsius Theophania, audientibus Rainaudo, priore Canavellarum, et Gaufredo Lepore. Hoc etiam concesserunt duæ filiæ Gaufredi Leporis, Mabilia et Johanna , audientibus Teberto et Johanne Galobe. Con-

cessit etiam hoc Agatha, uxor Girardi Leporis, et filii ejus Petrus et Odo. Testes : Araudus de Tribus Molendinis ; Ulgerius de Azaico ; Johannes Pignos.

Cart. orig., folio 2, recto ; copie, p. 803.

DCXXII.

Aimericus de Fonte et Simon Tirelli se promittunt defensuros bona Petri Nicholai.

(C. AN. 1183.)

Præsentium designatione litterarum noverint inspectores pariter et auditores earum quod cum Petrus Groeti dedit filiam suam Mariam Petro Nicholai de Salvagio uxorem, dedit ei cum ea totam ex integro possessionem suam de Groetio in terris pariter et in pratis, ita libere, sicut eam liberam et absolutam sine ullo servitio cujusquam hominis possidebat. Sane hanc possessionem tenebantur ei tueri Aimericus de Fonte, de cujus feodo erat, et Simon Tirelli. Procedente autem tempore, videns Petrus Nicolai genus suæ uxoris per successionem ab invicem elongari, sano usus consilio, statuit duos solidos pro jam dicta possessione ad Purificationem Beatæ Mariæ semper (Virginis) anno tertio memoratis Aimerico ac Simoni reddendos ; eruntque illi duo solidi Andegavensis monetæ pro tuitione præfatæ possessionis absque ullo prorsus alio servitio ac pro tuendis jam adquisitis vel deinceps adquirendis ab ipso Petro Nicolai et heredibus ejus de eorum territorio. Hujus itaque pactionis tenorem de tuendis quæ dicta sunt servabunt Petro Nicolai et heredibus ejus prædicti Aimericus ac Symon et heredes eorum in perpetuum. Alioquin, si prædicta tueri desti-

terint, Petrus Nicolai et ejus heredes recurrent ad feodium de Fonte et ad ea quæ de jure eorum invenerint.

Factum est hoc Nuchariis ante abbatem Henricum, præsentibus quorum nomina sunt hæc : Oddo de Azaico, cellararius; Matheus de Uxello, sacrista; Robertus, prior de Salvagia; Girardus Vierni; Hubertus David; Gauterius Martini; Aimericus Nicholai.

Sub horum audientia et aliorum qui aderant, Aimericus de Fonte et Simon Tirelli legitime ac fideliter concesserunt Petro Nicholai quod tuerentur sibi et heredibus suis possessionem suam de Groeto ab omni impedimento, tam eam, quam quod de eodem territorio vel jam adquisierat, vel postmodum erat adquisiturus, redditis duabus solidis absque omni alio servitio.

Cart. orig., folio 166, recto; copie, p. 807.

DCXXIII.

Henricus abbas tres operas terræ tradit Pagano de Taisé, tanquam libero homini, ea conditione ut eas non traducat in manum servilis conditionis.

(C. AN. 1184.)

Sciant præsentes et futuri habeantque ad veritatis assertionem hujus paginæ testimonium rei quæ sequitur hoc modo. Monachi Nucharienses habebant tres operas terræ prope molendinum de Chauchesac. Hanc utique terram dedit abbas Henricus cum assensu capituli Pagano de Taisé, tanquam libero homini et heredibus ejus colendam et habendam jure perpetuo, ita tamen ut eam ullo modo in manum non traducant servilis conditionis.

Paganus vero et heredes illius reddent annuatim ad festum sancti Michaelis pro terra illa unum sextarium siliginis, et unum denarium receptivum priori Sancti Egidii de Esmancia. Testes : Teobaudus de Moncellis ; Drogo de Brullum ; Guillelmus de Pussigniaco ; Radulfus Arnulfi ; Johannes Bertini ; Garinus, filius Teobaudi Garini.

Cart. orig., folio 125, verso ; copie, p. 809.

DCXXIV.

Henricus abbas concedit Rainaudo Meschin terram quæ dicitur Coquarderia.

(C. AN. 1184.)

Præsentium futurorumque noverit universitas, quod abbas Nuchariensis Henricus, cum assensu capituli ejusdem ecclesiæ, dedit Rainaudo, cognomento Meschin, et filiis ejus Michael et Garino, atque eorum heredibus per successionem, quamdam terram suam quæ dicitur Coquarderia, ad faciendum hospitagium, atque habendum jure perpetuo. Pro hac autem terra reddet prædictus Rainaudus et ejus heredes post eum, per singulos annos, priori Sancti Michaelis unum quoque sextarium avenæ, II panes, II denarios, et duos capones, nec non etiam XII denarios census ad annum novum prædicto priori persolvent. Testes : Stephanus, presbyter, cognomento Præsens ; Oddo, clericus de Podiis ; Petrus de Pussigniaco ; Guillelmus, filius ejus ; Drogo de Bruslum ; Johannes Bertini ; Girardus Johannis ; Guillelmus, præpositus ; Radulfus Girbaudi.

Cart. orig., folio 126, recto, copie, p. 811.

DCXXV.

Henricus abbas tradit pratum Bartholomæo Segnoreti, ad censum duodecim denariorum.

(C. AN. 1184.)

Noverint præsentes et futuri quod Henricus abbas Nuchariensis, cum assensu et voluntate capituli, dedit Bartholomæo Segnoreti et heredibus ejus in perpetuum, pratum quod ipse fecerat de terra eorum quam apprataverat, super Vigennam, apud Insulam, ad censum XII denariorum, ad festum sancti Egidii priori de Esmancia annuatim reddendorum. Testes : Rainaudus de Taisé ; Arnaudus, carnifex ; Drogo de Bruslum ; Johannes Bertini ; Johannes Harotelli, qui scripsit hoc ; et totum simul capitulum.

Cart. orig., folio 126, recto; copie, p. 813.

DCXXVI.

Terra datur Christiano de Pilis sub conditione partitionis fructuum.

(C. AN. 1184.)

Præsentibus litteris cum chirographi attestatione noverint universi quod Henricus abbas et monachi Nucharienses de communi consensu capituli dederunt Christiano de Pilis et heredibus ejus tanquam liberis hominibus unum arpendium terræ, ad hospitagium, ipsis inde sub annua pensione priori de Pilis reddentibus

unum sextarium avenæ, ad mensuram Haiæ, duos panes, duos denarios, II capones, et octo denarios census ad Natale Domini. Terram autem, quæ est ab ipso hospitagio desuper berram Aigardi, usque ad cheminum de Haia, colent ad tertiam, monachis mittentibus tertiam partem sementis, et tertiam partem frugum per suos messores, quos ipsi statuent in area Christiani, colligentibus. Christianus vero et heredes ejus dabunt fidem suam monachis de legitima erga eos executione. Maresium quoque quod est subtus hospitagium habebunt ad tertiam partem Christianus et posteri ejus, ad quoscumque usus ipsum maresium deducere, vel quicquid utilitatis in eo voluerint exercere. Testes: Radulfus, presbyter, prior de Pilis; Babaudus, miles; Petrus de Pussigné; Guillelmus, præpositus; Andreas Garini; Urricus; Fillos; Herveus Pettos; Johannes Harotelli, monachus et armarius, qui scripsit.

Cart. orig., folio 181, verso; copie, p. 815.

DCXXVII.

Chonisia, filia Philippi de Campaniaco, dimittit censum quem debebat domus monachorum, apud Campaniacum.

(C. AN. 1185.)

Præsentibus et futuris per hujus paginæ descriptionem nos monachi Nucharienses duximus innotescendum quod Chonisia, filia Philipi de Campagniaco, veniens Nucharios in capitulum, præsente domno Henrico abbate, dedit Deo et ecclesiæ Nucharienſi in eleemosynam III solidos et II denarios census quos debebat ei domus nostra

de Campagniaco. Domnus quoque abbas Henricus et capitulum dederunt ei et heredibus ejus quasdam areas cum maceriis ad ædificandam domum, ipsa annuatim inde reddente III denarios census. Testes : Petrus de Pussigniaco ; Guillelmus, filius ejus ; Drogo de Brullum ; Andreas Guarini ; Guoffredus Mauricii, qui dedit eodem die et loco eidem ecclesiæ II denarios census quos debebamus ei. Item testes : Holdricus Landricus, famulus Johannis de Sancto Cassiano ; Radulfus Baudrearius, et Rainaudus, filius ejus.

Cart. orig., folio 93, verso ; copie, p. 817.

DCXXVIII.

Contentio inter Henricum abbatem et Guillelmum Humbaudi de feodo de Bucferré.

(C. AN. 1183.)

Noverit tam præsentium quam futurorum universitas quod inter Henricum, abbatem Nuchariensem, et Guillermum Humbaudi, vertebatur contentio super quodam feodo de Bucferré, ipso Guillelmo inde requirente runcinum servitii et hominium de feodo ; atque abbate ac monachis hoc illi penitus abnegantibus ; cumque aliquandiu hinc inde super hoc altercatum fuisset, præfatus tandem Guillelmus, sano adquiescens consilio, venit Nucharios in capitulum, ibique dimisit contentionem, concedens ecclesiæ Nuchariensi in eleemosynam quicquid juste aut injuste in jam dicto feodo requirebat, receptis a Gaufredo Espaudi, tunc temporis priore Savigniaci, sexaginta solidis in caritate ; præsentibus et audientibus istis : Goscelino, presbytero ; Alberico Ar-

reme; Petro de Pussigné; Martino Effredi; Johanne Ivernojio de Cella; Johanne Bertini; Herveo Perco.

Cart. orig., folio 87, recto; copie, p. 819.

DCXXIX.

Petrus Hardre accipit quasdam terras sub ratione census annui.

(C. AN. 1185.)

Ad notitiam universorum per præsentem paginam cum chirographi attestatione volumus pervenire rem quæ sequitur hoc modo. Henricus, abbas Nuchariensis, cum assensu totius capituli, dedit Petro Hardre et heredibus ejus jure perpetuo tria arpendia terræ ad locum qui dicitur Monsmiranz sitæ, ad hospitagium, ipsis inde annuatim reddentibus XII denarios census ad festum sanctæ Mariæ de martio, et unum sextarium advenæ ad mensuram Nuchariorum, II panes, II denarios, et II capones; aliam terram monachorum quæ est ibidem colent et habebunt ad quartam partem. Aliam quoque eodem modo habebunt sub nemore quod dicitur Pellusitam. Abbas et monachi ponent in area suum messorem, si voluerint. Dederunt etiam prædicto Petro et heredibus ejus vineam quamdam quam habebant ad Ribare, datam sibi a Petro Symonis quando factus est monachus. Hanc, inquam, vineam dederunt eis ad tertiam partem habendam, et terram quæ est juxta ubi plantabunt vineam, et habebunt ad quartam partem. Testes : Girardus, clericus; Petrus de Pussigniaco; Guillelmus, filius ejus; Teobaudus de Moncellis; Araudus Achardi; Johannes Bertini.

Cart. orig., folio 165, recto; copie, p. 821.

DCXXX.

De dono prati Bardonis.

(Anno 1186.)

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo sexto, Petrus Goscelini dedit pratum Bardonis et terram inter pratum illud et viam quæ ducit Nuchastrum et Nucarius in eleemosynam Deo et ecclesiæ Beatæ Mariæ de Nucariis, et abbati Henrico et monachis ibidem Deo servientibus in capitulo, his testibus : Petro de Belgentiaco, priore ; Johanne, penetario ; Odone, eleemosynario ; Odone, cellarario ; Huelino ; Aimerico, presbytero ; Johanne, clerico ; Petro de Pussigné ; Guillelmo, filio ejus ; Drogone et Johanne Bertin, famulis abbatis ; Andrea Pebo ; Goffredo, qui scripsit hæc. Et sciendum quod abbas Henricus pratum et terram quæ loquimur dedit Petro de Pussigné ad censum XII nummorum annuatim in festo sancti Bricii abbati Nucariensi reddendorum : quod concessit ipse Petrus Goscelini ; Oda, genitrix ejus ; Mabilla, uxor ejus ; Alo, filius ejus ; Margarita, Johanna, Agnes, Thomassa, filiæ ejus.

Cart. orig., folio 6, recto ; copie, p. 825.

DCXXXI.

Judicium Araudi Hilariæ inter abbatem Henricum et Hugonem Manselli de quadam decima.

(Anno 1186.)

Rerum temporalium decursu quotidie subsequente, quæ temporaliter agimus memoria subscriptionis retinemus, ut jurgiorum causa devitetur et utilitatis dispendium propulsetur. Quapropter ad memoriam præsentium et posterorum revocetur quod Hugo Manselli diu contenderat cum abbate Henrico Nucariensi super decima terræ quam Araudus Hylariæ tenet in feodo de Alberico Arramé. Proponebat enim Hugo Manselli jam dictam decimam de jure patrimonii debere sibi provenire. Henricus abbas, quia prædecessores sui ejusdem decimæ possessores extitissent, nitebatur eam ecclesiæ suæ juri vendicare. Contendentibus eis in hunc modum, tandem nutu Guillelmi de Precigné, ad quem super hac contentione declinaverant, quorumdamque prudentum interventu, controversiam Araudo Hylariæ commisere terminandam. Qui Araudus Hylariæ tam arduæ rei constitutus arbiter, dedit fidem se juramento firmaturum quis duorum jam dictorum juxta propriam conscientiam verius nominatam decimam sortiri deberet; inde præfigitur dies locusque jurandi. Ventum est ad locum die præstituto. Jurat Araudus Hylariæ super altare sancti Reverentii de Nucastro, quod memorata decima Deo et Beatæ Mariæ Nucariensis ecclesiæ justius quod Hugoni Mansello deberet deservire. Hujus assertione juramenti inter discordes pace reformata, deci-

mam quam loquimur Nucariensis ex integro sortita est ecclesia anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo sexto, testibus his quorum subscripta sunt nomina : Burcardo de Milmandia ; Hugone de Montagré ; Bulcardo Guitonis ; Petro de Fugâ ; Roberto de Alberiis ; Matheo Poncii ; Guillelmo Poncii ; Petro de Pussigné ; Guillelmo, filio ejus ; Johanne de Portu ; Rainaudo de Monte-Dionis.

Cart. orig., folio 6, verso ; copie, p. 827.

DCXXXII.

De quibusdam terris apud Mougonem.

(Anno 1186, 29 decembris.)

Ut rerum æque gestarum series immobili veritate consistat, litterarum opus est auctoritate, ne discordiam in eis pariat oblivio vel ignorantia. Hujus igitur insinuatione scripti de præsentibus ad posteros commendare decrevimus, quod Matheus, prior Sancti Egidii de Ismantia, terram quam possidebat apud Mougonem duobus in locis sitam, dedit Johanni Molendinario heredibusque suis possidendam. Johannes vero Molendinarius et heres ejus prædictam possidens terram sub annua censa, persolvet jam dicto priori proinde duo sextaria siliginis in festo sancti Michaelis ; et in Natale Domini, minam avenæ, panem, caponem, denarium. Ut autem quam loquitur compositio rata et inconcussa permaneret, nominatus Johannes in capitulo Nucha-riensi ab abbate Henrico et omni capitulo, petita super hoc concessione donatus est his testibus : abbate Hen-

rico; Petro, priore; Johanne Bertini; Richardo Anglo; Thoma Chanterello; Oddone et Guillelmo, filiis ejus; Michaele de Pictavi; Hugone, fratre prædicti Johannis; Michaele, presbytero; Goffredo, qui scripsit anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo sexto, quarto Kalendas januarii.

Cart. orig., folio 125, verso; copie, p. 823.

DCXXXIII.

Contentio monachos inter et Gosbertum de Podio de decima de Pilis.

(C. AN. 1187.)

Noverint præsentes et futuri quod Garnerius de Sivrai, quando in ecclesia Nuchariensi suscepit habitum religionis, contulit eidem ecclesiæ in eleemosynam decimam suam de Pilis totam ex integro. Porro, eo tempore Gosbertus de Podio habebat sub cura duas filias Petri de Sivriaco, ad quas spectabat ipsa jure generis decima, destinatas suis filiis uxores, ob quam causam ipse donationi decimæ opposuit contentionem, dicens nimiam esse et inconpetentem hanc eleemosynam. Tandem vero interveniente consilio, actum est et hinc inde concessum ut, finita contentione ac pace firmata, ecclesia Nuchariensis de præfata decima habeat annuatim sex sextaria ad mensuram Haiæ, duo frumenti, duo siliginis, ac duo hordei. Pro hac autem decima serviet domino omni debito obsequio Gosbertus de Podio et qui post eum ipsam habebit. Hoc quidem factum est tempore Henrici abbatis et coram Bartholomæo Turonensi archiepiscopo,

vigilia sancti Andreæ apud Nucharius confirmatum, præsentibus et audientibus his : Gosberto de Guirchia; Petro, presbytero de Sivraico; Petro Bonini de Castro Araudi; Harduino de Balneolis; Guillelmo de Pussigniaco; Guillelmo, præposito; Rainaudo Yrviso; Drogone et aliis pluribus. Hanc eleemosynam concessit Rainanaudus vicarius, a quo ipsa decima movebat. Testes, Drogo; Rainaudus; Yrvisus.

Cart. orig., folio 8, verso; copie, p. 829.

DCXXXIV.

Donatio quarumdam terrarum apud Pilas sub ratione tertiæ partis frugum.

(Anno 1187.)

Ne res bene gestas sequatur oblivio, de qua suboriatur contentio, opus est eruditione litterarum qua fulciatur actio fidelium. Quapropter notum facimus universitati præsentium et posterorum, quod domnus abbas Henricus et omne capitulum Nuchariensis ecclesiæ donaverunt et concesserunt Huberto de Pilis et Gauterio, privigno suo, et heredibus eorum jure perpetuo possidendam mediam partem totius terræ quam possidet prior de Pilis apud Croslafenum, et pratorum similiter, sub tali pactione, quod præfati Hubertus et Gauterius et heredes eorum, nominatam colentes terram, reportabunt duas partes frugum, prior tertiam. Prata secari facient et sicari fenum patientur. Prior eliget. Si quid tam in terris quam in pratis ædificatum fuerit, prior de Pilis reportabit tertiam partem, coloni duas. Prædictis autem colonis datum est inibi terræ medium arpentum in hospitagium, unde

reddent annuatim in Natale Domini priori de Pilis minam avenæ, sex denarios, unum caponem. Factum est hoc in communi capitulo Nuchariensi, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo septimo, videntibus Petro, priore; Johanne, panetario; Oddone, eleemosynario; Oddone, cellarario; Goffredo, qui scripsit hæc; Petro, presbytero de Portu; Radulfo, presbytero, tunc priore de Pilis; Guillelmo, prætore; Guillelmo de Pussigné.

Cart. orig., folio 181, verso; copie, p. 831.

DCXXXV.

Gaufridus Ridelli, cupiens vitam suam mutare, se monachari apud Nucharios poscit et obtinet.

(C. AN. 1187.)

Ne pravorum calumniæ subjaceant pia facta bonorum, præsenti paginæ tradere et ad posteros transmittere nos monachi Nucharienses sollicite curavimus, quod vir quidam de Faia, Gaufredus Ridelli nomine, cupiens vitam suam mutare, ab abbate Henrico et monachis Nuchariensibus se monachari multa devotione poposcit et obtinuit; sed antequam habitum indueret religionis, providit de rebus suis quæ pro anima sua eidem monasterio conferret. Dedit itaque ecclesiæ Nuchariensi in eleemosynam quartam partem areæ cujusdam molendini quod solebat *Molendinum novum* appellari. Dedit et quoddam pratum, quamdam quoque terram, atque medietatem cujusdam alnearii, quæ omnia sunt ibidem prope aream. Hanc eleemosynam concessit Alaidis, uxor ejus,

et Aimericus, filius ipsius, adhuc infans. Concessit etiam hoc Hugo, frater illius, Goffredi scilicet. Testes : Aimericus, presbyter Sancti Christofori ; Bartholomæus, presbyter Razinæ ; Annetus, prior Gagnaici ; Guoffredus de Trogis, monachus ; Brunus, præpositus ; Johannes de Peraria ; Aimericus Meschins ; Goslenus Boetus ; Aimericus de Tigné ; Aimericus Odonis ; Tebertus de Gagnaico ; Goslenus, molendinarius ; Robertus Bodini.

Cart. orig., folio 216, recto ; copie, p. 833.

DCXXXVI.

Harduinus de Auberiis clausum Turbati accipit sub ratione census annui.

(Anno 1187.)

Rerum bene gestarum ordinem nonnunquam perturbare solet orta ex oblivione calumnia, nisi muniantur litterarum memoria. Hujus rationis intuitu, præsentis paginæ munimento præsentium et posterorum universitati tradimus rem gestam in hunc modum. Harduinus de Auberiis clausum Turbati, viæ quæ ducit Sanctam Mauram et Haiam, inter Draché et Tentem, adjacentem, accepit ab Henrico abbate et omni capitulo Nuchariensi, sibi posterisque suis colendam et possidendam, ea ratione quod proinde prædicti clausi cultor, in festo sancti Michaelis II sextaria tritici persolvet, II sextaria nucum in horreo Nuchariensi in Nathale Domini, I panem, I caponem, I denarium. Quod constat factum anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo septimo, videntibus Johanne Bertini ; Herveo de Pictavi ;

Bartholomæo de Parigné ; Guarino, coquo ; Michaele de Pictavi ; Goffredo, qui scripsit hæc.

Cart. orig., folio 10, verso ; copie, p. 835.

DCXXXVII.

Terra datur apud Pozaicum, sub ratione octo sextariorum bladi, annuatim reddendorum priori Canavellarum.

(C. AN. 1187.)

Per præsentis paginæ designationem cum chirografi testimonio præsentes noverint et futuri, quod Henricus abbas Nuchariensis cum assensu et concessione capituli, dedit Rainaudo Oram, et Simoni, filio ejus, atque heredibus ipsius Simonis, terram suam quam habebat in parrochia Pozaici, ad locum qui dicitur ad Vinniolos monachorum, ipsis inde annuatim ad festum sancti Michaelis priori Canavellarum reddentibus VIII sextaria bladi, duo frumenti, duo siliginis, quatuor hordei. Testes : Hugo de Domibus ; Matheus, filius ejus ; Thomas de la Bretoneria ; Johannes, filius ejus ; Guillelmus Sansoardi ; Johannes Sansoardi ; Guillelmus, præpositus ; Radulfus de Sancto Patricio ; Herveus Petos ; Benedictus de Moncellis.

Cart. orig., folio 153, verso ; copie, p. 837.

DCXXXVIII.

Odo de Azaico, cellerarius Nuchariensis, emit quædam bona.

(C. AN. 1187.)

Ad notitiam futurorum per præsentem paginam nos monachi Nucharienses duximus transmittendum quod Goffredus Niveluns vendidit Odoni de Azaico, cellerario Nuchariensi atque priori de Sancta Maura, omnia quæ habebat de casamento Sancti Martini ac de præposito de Valle Gordum, concedente Unberga, uxore sua, atque Guillelmo et Aimerico filiis ejus, Maria et Felicia, filiabus ipsius. Quæ vendita ipse eadem suscepit a nobis ad annuam pensionem duorum sextariorum siliginis ad festum Beati Michaelis reddendorum, et duorum caponum, atque VI denariorum ad Natale Domini.

Petrus quoque Morini, Petrus Meengoti, Aimericus Meengoti, vendiderunt quoddam pratum eidem Oddoni, quod de feodo Sancti Martini habebant ad unum denarium census, sed prior de Sancta Maura reddet duos. Hoc concesserunt uxor Petri Morini, Alaudis, et filii ejus, atque uxor Petri Maingot et filii ejus, uxor quoque Aimerici Meengot et filii ejus. Hugo etiam, frater eorum, pratum ipsum vendidit et concessit. Petrus nihilominus et Osanna, soror ejus, vendiderunt memorato Oddoni priori de Sancta Maura tantum terræ suæ quantumcumque necessarium erit omni tempore ad calceiam stagni sui de Foleto, et cursum aquæ quæ currit per portas. Hoc concesserunt Hersendis uxor ipsius, et filii ejus, et omnes filii Osannæ. Hoc etiam concessit Alaidis de Vecio, de cujus feodo

erat ipsa terra, quæ et habebit tamen annuatim 1 denarium census ad festum sancti Mauricii. Quem quidem denarium primum reddidit eidem Alaidi memoratus prior in Tuschia Rennulfi, anno quo ipse mortuus est.

Goffredus quoque Feliaus vendidit quoddam carterium prati ad faciendum stagnum de Foleto, quod pratum tenebat de dominis vicariæ, concedentibus Maria uxore sua et filiis omnibus; sed et Vivianus Sovens, et uxor ejus, vendiderunt dimidium arpendium prati, cunctis filiis concedentibus. Guillelmus de Civitate vendidit totum hoc quod habebat ad caudam stagni, concedentibus uxore sua et filiis omnibus. Similiter fecit Guillelmus Braers, et uxor ejus, et frater ipsius. Robertus Sauners et Alaidis, uxor ejus, vendiderunt omne quod habebant in refolio stagni. Laurentius Braers vendidit sicut alii, uxore sua et filiis concedentibus. Goffredus Braers dedit et concessit refusionem aquæ stagni de Foleto per totam terram suam absque ulla contradictione, salvo tamen nemore suo super aquam existente.

Hæc omnia vendita sunt et concessa Oddoni tunc temporis priori de Sancta Maura, postmodum abbati Nuchariensi, ad usum et profectum loci sui de Foleto. Quorum omnium venditiones concesserunt ii a quibus res ipsæ movebant, scilicet Goscelinus de Chembrun, cujus testes sunt : Albericus Frogerii ; Bartholomæus Bonus Dominus ; Adelelmus Popardi ; Guillelmus de Bornem;— et Guido de Castellone, cujus testes sunt : Hugo Berengerii ; Adelelmus Popardi ; Fulcherius Bernardeaus ; Helyas Barduns ; — Aimericus, filius Ivonis, cujus testes sunt : Petrus Goscelini ; Guillelmus de Pussigné ; Goffredus de Buxeriis; Johannes Bertini; — Alaidis de Uceio, cujus testes sunt : Hubertus Chenuarz ; Mauricius Che-

gnarz; Arduinus, miles ejus; Albericus Frogerii; Audebertus; — Huo de Pocé (*vel* Poié), cujus testes sunt qui supra.

Cart. orig., folio 127, verso; copie, p. 839.

DCXXXIX.

Quædam juncta apud Marcilliacum conceduntur Roberto Varanello.

(Anno 1188.)

Sicut præsentis paginæ cum chirographo subscriptisque testibus declarat auctoritas, domnus abbas Henricus Nuchariensis ecclesiæ, Guoffredo Tirelli Marciliaci priore existente, portionem quamdam junceti, quod vulgo maresium vocitatur, Roberto Varanello, nec non et heredibus ipsius jure perpetuo, totius assensu capituli Nuchariensis, concessit possidendum, nominato Roberto posterisque ejus proinde sextarium avenæ, caponem, denarium annuatim priori Marcilliaci, Nativitate dominica redeunte, reddituris. Præfatum vero maresium sive juncetum situm esse constat e regione Ulmi Rivulini, in loco Coriangulos nominato, spectans ad Marcilliaci domum.

Factum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo octavo, videntibus Petro priore; Aimerico, sacrista; Johanne, panetario; Aimerico, sacerdote; Drogone; Aimerico Varanello; Rainaudo Irvisi; Guillelmo Vetaut; Goffredo, suppriore et armario.

Cart. orig., folio 132, recto; copie, p. 841.

DCXL.

Guillelmus de Voo assignat cœnobio Nuchariensi unum modium bladi, in decima de Lauduno annuatim sumendum.

(C. AN. 1188.)

Veteris ac Novi (Testamenti) sacris ammonitionibus eruditus, vir sapiens Guillelmus de Voo, qui Katelinam filiam Johannis de Sancto Cassiano viri nobilis habebat uxorem, cum postmodum idem Johannes in Nuchariensi monasterio, tempore Henrici abbatis, fieret monachus, dedit Deo et Beatæ Mariæ ac ecclesiæ Nuchariensi in eleemosynam unum modium bladi, VI sextaria frumenti et totidem hordei, assignans ea in decima sua de Lauduno ad mensuram illius castri annuatim in area tempore messivo sumenda, videntibus et audientibus quorum hæc sunt nomina : Johannes Odardi ; Gaufredus Gosleni ; Drogo Bernoni ; Thomas de Prulleio ; Aimericus de Bernezai ; Petrus Vaslini ; Petrus Maurus ; Petrus de Pussigniaco ; Rotbertus Escotus ; Alexander, clericus ; Rotbertus de Bernezai ; Drogo de Brullum ; Rainaudus Irois ; Johannes Pignos ; Gauffredus de Sancto Cassiano.

Factum est hoc apud Laudunum, coram Johanne Odardi, tunc temporis præposito Laudunensi, in domo Symonis Bertranni. Hanc eleemosynam concesserunt, præsente et audiente Henrico abbate, audientibus etiam Graphyno, famulo Guillelmi de Voo ; Rotberto Escot ; Garino, fratre ejus ; Drogone Bernoini ; Drogone de Brullum ; Johanne Bertini.

Cart. orig., folio 4, verso ; copie, p. 845.

DCXLI.

De quadam medietaria concessa apud Vinnaicum.

(Anno 1188, 18 aprilis.)

Propter malignorum invidentiam ausu temerario gesta perturbare nitentium, opus est in talibus munimento litterarum, quo fulciatur devotio fidelium, et arceatur inquietudo perversorum. Eapropter ad posteros transmittere curavimus quod Henricus abbas, assensu capituli Nuchariensis, terram apud Vignaium, trans rivulum qui præterfluit Ribarellam, inter rivulum ipsum et Vigennam fluvium, terramque Guoffredi Leporis sitam, dedit et concessit Renaudo et Oddoni et heredibus eorum in hospitagium, unde reddituri sunt annuatim duo sextaria frumenti, in festo sancti Michaelis; in Circumcisione Domini sextarium unum hordei, panem, denarium, caponem, priori Canavallæ. Nominatus abbas de terra quam loquimur, quantum opus fuerit in utilitatibus molendini quod tunc erat inibi construendum, accipiet. Addidit etiam idem abbas totam terram quam possidebat a Ribarella inferius prædictis hominibus per medium dare excolendam, excepta portione quadam de qua Guoffredo Lepori reddetur terragium, communi decima cum Loieio remanente. Tempore messivo, tam prior Canavellæ quam homines memorati, messorem suum adhibebunt, qui fidem suam interponent, ut fideles existant. Decima prænominatæ terræ, tam censivæ quam medietariæ, cedet priori de Canavella, excepta portione terraiali supradicta. Ad aream prædictorum hominum medietaria messis deferetur permundanda,

paleis ibidem remanentibus ad faciendum fimum, et in terra spargendum medietaria. Ædificium in terra censiva factum sive plantatum ædificanti cedet ex integro. De terra vero medietaria medium ædificans reportabit.

Sciendum vero quod præscriptus abbas præfatis Renaudo et Oddini terram suam ut ingenuis delegavit incolendam. Procedente autem tempore, si pulsati forte fuerint accusatione vel objectione unde libertatem propriam non valuerint emancipare, tunc erit evidens abbati Nuchariensi ratio terram eis concessam, prout ornatam invenerit, in jus proprium revocabit.

Actum anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo octavo, XIIII Kalendas maii, apud Nucharius, videntibus Petro, priore; Johanne, paneterio; Aimerico, sacrista; Guoffredo, presbytero; Aimerico, presbytero; Petro de Pussigné; Guillelmo, filio ejus; Stephano Gimonis; Johanne de Fautgné; Andrea de Mantelen; Oddone de Rua; Stephano Buart; Guillelmo, prætore; Renaudo Lemozin; Guoffredo de Porta; Rainaudo Yrvisi; Goffredo, præsentium scriptore.

Cart. orig., folio 151, recto; copie, p. 347.

DCXLII.

Goffredus, cognomento Orgollos, dat decimam suam de Salvagia in vadimonium Roberto, priori ejusdem loci.

(C. AN. 1189.)

Sicut præsentis paginæ docet traditio, Goffredus, cognomento Orgollos, invadiavit decimam suam de Salvagia Roberto, priori ejusdem loci, VIII libris, XII denariis ad-

quitationis per singulos annos ex debito decidentibus. Et quando voluerit eam redimere, ante Natale Domini redimet. Nam post, non erit sibi licitum usque ad expletam collectionem frugum. Hujus autem decimæ quæ est scilicet panis et vini et aliorum, quorum ferax est ipsa terra, Girardus Iverni, qui dedit eam præfato Goffredo cum filia sua, est plegius simulque et tutor. Aimericus Simonis; Mechuns de Salvagia; Garnerius Gaspiaus, et frater ejus Oddo: plegii omnes isti, simul et Guillelmus Petrosilinii. Testes: Petrus de Pulsigniaco; Guillelmus, filius ejus; Drogo de Brullum; Stephanus Gimonis; Andreas Garini.

Cart. orig., folio 165, verso; copie, p. 849.

DCXLIII.

Matheus Peloquin, pergens Jerusalem, a Josberto de Precigné triginta libras denariorum accipit mutuo, quas postea pie solvit pro anima dicti Josberti.

(C. AN. 1190.)

Præsentis scripti munimento de præsentibus ad posteros transmittere curavimus quod sequitur hoc modo. Matheus Peloquin disponens ire Jherosolimam, a Josberto de Precigné xxx libras denariorum accepit mutuo (1). At ubi Josbertus de Precigné præsenti migravit a sæculo, Matheus Peloquin meruit a Guillelmo de Precigné simul et a Dometa matre ejus, mediantibus eleemosynariis defuncti Josberti, debitæ sibi pecuniæ solutionem obtinere, quo de rebus propriis XII solidos pro anima Jos-

(1) Hic Josbertus de Precigné hactenus ignotus erat omnibus historicis.

berti de Precigné duobus monasteriis assignaret annuatim. Matheus Peloquini, conditione sibi proposita, sex solidos monasterio Lucediensi devotus assignavit; veniensque Nucarius, præsente Henrico abbate et omni capitulo cæterisque nonnullis, sex solidos de terra Masleii, quam de abbate Nucariensi tenebat, ad IIII solidos septemque denarios census in die sancti Bricii assignavit apud Nucarius in festo sancti Michaelis conventui reddendos. Eapropter Henricus et omne capitulum Nucharіense pro Josberto de Precigné faciendum anniversarium per singulos annos, obitus ejus recurrente die, constituerunt, et martyrologio nomen ejus ascripserunt. His testibus : Petro, priore; Aimerico, sacrista; Johanne, panetario; Goffredo, suppriore; Radulfo, presbytero; Aimerico, presbytero; Petro, presbytero; Hugone de Cambono; Alberico Arramé; Bartholomæo Iverni; Drogone; Johanne Bertini; Radulfo; Thoma Cantarello; Guillelmo, prætore; Andrea Pebo.

Cart. orig., folio 6, recto; copie, p. 843.

DCXLIV.

Iterum agitur de medietaria concessa apud Vinnaicum.

(Anno 1193, 13 novembris.)

Præsentium futurorumque notitiæ, paginæ hujus cum chirographi attestatione tradit auctoritas, quod Henricus abbas Nucharіensis et capitulum dederunt Oddoni Vaslini et heredibus ejus jure perpetuo, terram suam apud Vignaium, trans rivulum Ribarelle, inter ipsum et Vigennam, terramque Goffredi Leporis sitam, in hospita-

gium, ipsis inde annuatim reddentibus priori de Canavellis duo sextaria frumenti ad festum sancti Michaelis, unum sextarium hordei, unum panem, unum denarium, et unum caponem, ad annum novum. Accipiet autem abbas de terra illa quantum opus fuerit ad construendum molendinum, quod erat ibi inchoatum. Dedit etiam idem abbas et capitulum jam dicto Oddoni et heredibus ejus totam terram quam possidebant a Ribarella inferius, colendam ad medietatem, cum terra etiam de qua reddebatur terragium Goffredo Lepori; sed ipse dedit illud monachis, quando factus est monachus; et sumitur de communi medietariæ decima illius terræ terragiali existente pro eo communi. Nam decima totius illius terræ, tam censivæ quam medietariæ, est prioris Canavellarum, excepta jam dicta terra terragiali. Messores ponentur communiter astricti fide a priore et Odone. In area Odonis excutietur messis medietariæ, paleis ibidem remanentibus ad faciendum fimum ac spargendum in terra medietaria. Ædificia in terra censiva facta, ædificantis erunt; in medietaria erunt per medium. Adhuc ad majorem rei declarationem de præfato terragio dicimus quod prior Canavellarum accipiet illud in prædicta terra terragiali, et ejus erit proprium; sed et decima illius terræ terraialis erit in compensationem terragii inter priorem et Odonem, communis per medium.

Hoc quoque sciendum quod abbas et monachi dederunt prædictam terram Odoni et heredibus ejus tanquam liberis hominibus. Nam si de conditione servitutis essent forte appellati, nec suam valerent tueri libertatem, monachi sine contradictione suam sibi terram revocarent. Factum est hoc anno Domini millesimo centesimo nonagesimo tertio, idibus novembris, die scilicet sancti Bricii, apud Nucarius, coram abbate et monachis inter quos

erant Johannes Harotelli, prior et armarius; Aimericus Teberti, sacrista; Odo de Azaico, cellerarius (1); Oddo, eleemosynarius, et alii plures; audientibus his testibus: Guillelmo, præposito; Rainaudo Irviso; Radulfo de Sancto Patricio; Johanne Pigno. Hujus quoque rei testis est Raginaudus, tunc temporis prior Canavellarum, qui fuit inde prolocutor et principium.

Cart. orig., folio 152, verso; copie, p. 851.

DCXLV.

Henricus abbas dat quamdam terram Goffredo Huardi ad decem solidos annuæ pensionis priori Parilliaci reddendos.

(Anno 1197, 1 octobris.)

Quoniam ea quæ temporaliter geruntur facile a memoria elabuntur, nisi scripto memoriæ tradantur, idcirco præsenti paginæ nos monachi Nucharienses duximus inserendum quod habebamus possessionem Hugonis de Valle Guaudri, quam emeramus ab eo. Hanc utique possessionem et aliam terram quam habebamus juxta eam in tribus locis, circiter unum arpendium inter totum, domnus abbas Henricus et capitulum dederunt Goffredo Huardi de Cainone et heredibus ejus jure perpetuo possidendam, ipso utique Goffredo prius recepto in beneficio ecclesiæ; dederunt, inquam, ad x solidos annuæ pensionis ad festum sancti Michaelis priori Parilliaci annuatim reddendorum. Hujus autem gratia donationis, præfatus G. voluit et statuit atque concessit ut, tam ipse quam qui ei in bonis suis succederet, decimam suam, tam de

(1) Hic fuit post Henricum Nuchariensis abbas.

pane quam de vino, extunc deinceps ecclesiæ Nucharienſi plenarie legitimeque persolveret, ita scilicet quod prior Parilliaci tempore vindemiarum habebit in vineis memorati G. hominem suum cum cautione sua, qui cavebit, quod vulgo dicitur *tallabit*, somas et asnellos vindemiæ, et erit in optione prioris undecimum asnellum, seu etiam undecimum costerecium ad torcular sumere, utrum horum ipse maluerit. Testes : Guoffredus, major Parilliaci, qui fuit interventor hujus contractus ; Martinus, famulus prioris ; Rainaudus Yrvisi ; Johannes Bertini ; Radulfus Gales ; Herveus Peicos. Factum est hoc anno Domini millesimo centesimo nonagesimo septimo, kalendis octobris, Richardo rege Anglorum, anno secundo quo ipse rediit ab Alemannia.

Cart. orig., folio 96, recto ; copie, p. 853.

DCXLVI.

Guillelmus de Seentcut, valetus, dat tres denarios et obolum de censu, et quidquid habebat juris in prioratu de Pilis.

(Anno 1244, 6 maii.)

† Noverint universi quod Guillelmus de Seentcut, valetus, dedit Deo et Beatæ Mariæ et monachis Nucharienſibus in puram et perpetuam eleemosynam tres denarios et obolum de censu, quos debebat ei Matheus Gachau de quadam pecia terræ quæ est apud Longevile, et quicquid habebat juris et dominii in prioratu de Pilis. Insuper dictus Willelmus saisivit de dicta donatione Johannem priorem dicti loci, et dictus Matheus reddidit ipsos denarios Thomæ panetario coram omni conventu in capitulo.

Concessa est autem dicta donatio et in plenario capitulo recitata die veneris post festum sancti Jacobi apostoli, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, tempore Ludovici, regis Francorum; Johelli, archiepiscopi Turonensis; Johannis, abbatis Nucharіensis; Johannis Gobe, cellararii et prioris Sanctæ Mauræ et Sancti Sulpitii; Hugonis Lorin, sacristæ; Aimerici Morelli, eleemosynarii.

Testes autem qui hæc audierunt: Gauterius, monachus et succentor; Guillelmus Foelet, monachus; Johannes de Roen, monachus; Stephanus de Faya, monachus, qui hoc scripsit; et omnes alii qui in capitulo erant. Testes laici: Fulcherius præpositus; Stephanus Gachau; et Matheus Gachau; Hylarius Limaessers; Gaufredus Forners.

Cart. orig., folio 11, recto; copie, p. 639.

DCXLVII.

Notitia censuum et reddituum armarii Nucharіensis.

(Anno 1248.)

Redditus armarii Nucharіensis vere et fideliter computati, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octavo. Armarius festo sancti Michaelis. . . .

. . . . . .

Item apud Sanctum Quintinum super Andreæx, duo sextaria frumenti, et duo avenæ, et VI denarios in dicto festo, quæ omnia debent afferre heredes defuncti Johannis Libert apud Nucharius cum propriis vehiculis suis. Item apud Montem Cantoris, tria sextaria bladi, videli-

cet duo frumenti, et unum balergiæ, quod bladum reddit Guillelmus Garin in festo Beati Michaelis, et unum sextarium frumenti in modiationibus defuncti Bertranni de Mondeon, quod reddit Guillelmus de Bauthaio miles, et recipiuntur modiationes illæ in domo eleemosynariæ inter Montem Cantoris et abbatiam Sancti Jovini. Item apud Gahtnaium, Araudus Paudi, unum sextarium frumenti et XII denarios in dicto festo super domum suam et rocham, et quemdam hortum qui est juxta dictam domum. Item unum præbendarium frumenti, quod reddit Johannes Rener pro quadam terra quæ est apud Lacherau, subtus Richebort, et VI denarios. Item XV solidos in ecclesia de Septmis in tribus festivitatibus, videlicet in Nativitate Domini quinque solidos ; in Pascha, quinque solidos ; in festo Omnium Sanctorum, alios quinque solidos. Item in ecclesia de Creum, quinque solidos in festo sancti Michaelis. In festo sanctorum Philippi et Jacobi, apud Brayam X solidos et III denarios census. Item Symon Daubers, II denarios census in Circoncisione Domini. Summa bladi, X sextaria frumenti et unum præbendarium ; quinque sextaria avenæ, et unum sextarium balergiæ.

Summa denariorum, XXX et duos solidos, et V denarios.

Cart. orig., folio 154, recto; copie, p. 855.

DCXLVIII.

Matheus Guarini et Johanna, ejus uxor, se et omnia simul bona sua dant monasterio Nuchariensi.

(Anno 1284, 28 maii.)

Anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, in die Pentecostes, in capitulo Nuchariensi, dederunt Matheus Guarini et Johanna, ejus uxor, Deo et Beatæ Mariæ de Nuchariis se et omnia bona sua mobilia et immobilia, præsentia et futura, retento tamen sibi super prædictis bonis, quamdiu vixerint, usufructu ; ita quod ipsi vel alter ipsorum non possint de immobilis prædictis quid vendere, aut alicui alienare, vita in eis militante. Testes autem qui fuerunt præsentes : dominus Hugo de Charrochay, miles ; Johannes Regna..... Marcille ; Bartholomæus de Garda ; Simon Hernulphi, clericus ; et multi alii ; et Guillelmus de Rencé et plures.

Cart. orig., folio 218, verso; copie, p. 857.

DCXLIX.

Theobaldus de Reuvé, presbyter, concedit B. Mariæ de Nuchariis omnia bona sua.

(Anno 1316, 9 februarii.)

Noverint universi quod Theobaldus de Reuvé, presbyter, considerans et attendens curialitatem et beneficia sibi a religiosis viris abbate et conventu monasterii abbatiæ Nuchariensis multotiens et multis modis facta et impensa, cupiens animæ suæ salubriter providere, dedit

et concessit pure et absolute ac in perpetuum, in puram et perpetuam eleemosynam, Deo et monasterio Beatæ Mariæ de Nuchariis ac fratribus ibidem Deo servientibus, universa bona sua mobilia et immobilia, universaque hereditaria, ubicumque sint existentia, ab ipsis religiosis tenenda, possidenda et habenda, et ad faciendum ab ipsis religiosis de præmissis omnibus sibi legatis suam omnimodam et liberam voluntatem. Acto et retento ex parte dicti Theobaldi in donatione hujusmodi, quod ipse vult et concedit quod de bonis suis prædictis sic legatis conventus dicti monasterii post ipsius obitum habeat et percipiat annuatim duo sextaria frumenti ad mensuram de Faia pro anniversario suo annis singulis in dicto monasterio faciendo, promittens dictus Theobaldus, fide præstita in manu nostra corporali, se de cætero donationem hujusmodi nullatenus revocare, vel etiam contra ire.

Donatio hujus rei fuit facta tempore Zachariæ, tunc temporis abbatis Nuchariensis, die lunæ post festum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, anno Domini millesimo trecentesimo quinto decimo. Testes qui fuerunt ad donationem istam faciendam sunt ii, videlicet Johannes de Turonis, prior claustralis tunc temporis; Guillelmus de Nova-villa, subprior; Johannes de Uxello, eleemosynarius dictæ abbatiæ; Guillelmus de Ausonio, procurator; Guillelmus Petri; Nicolaus Quentin; Guillelmus de Sepmis, clericus; Johannes Fretardi, vasletus; Guillelmus de Segrie, clericus; Simon, rector ecclesiæ de Lusayo; Aimericus de Furno; Matheus Quibort, presbyter; et plures alii.

Cart. orig., folio 207, verso; copie, p. 859.

Cette pièce a été ajoutée après coup au cartulaire original, qui est beaucoup plus ancien, et date du commencement du XIII^e^ siècle.

DCL.

Johannes Bernardi, clericus, se et sua dat cœnobio Nuchariensi, ut monachus recipiatur.

(Anno 1322, 9 januarii.)

Anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo primo, die sabbati post Epiphaniam Domini, constitutus præsentialiter Johannes Bernardi, clericus, in nostro monasterio de Nuchariis, in capitulo nostri monasterii, nobis fratre Philippo abbate dicti monasterii, et toto conventu ejusdem existentibus, idem Johannes Deo et Beatæ Mariæ una nobiscum in nostro monasterio Domino famulari cupiens, sua liberalitate propria dedit Deo et Beatæ Mariæ se et sua, et nobis supplicavit humiliter et devote, ut nos ipsum Johannem reciperemus in socium et in fratrem, ut moris est, præsentibus Guillelmo de Sepmis, clerico; Guillelmo de Nizot; Gaufrido Columbi; Petro de Sancto Flodoveo, et Johanne de Sepmis, ejus genero; et Johanne Baremter de Aurigneio, ad hoc vocatis et productis.

Cart. orig., folio 207, verso; copie, p. 861.

Cette pièce a été ajoutée après coup au cartulaire original, qui est beaucoup plus ancien.

DCLI.

Jean Pelleteau, dit Caloche, seigneur de Profond-Fossé, fait don à l'abbaye de Noyers de trois septiers de froment et trois de seigle, pour avoir deux messes tous les ans, sa vie durant et après sa mort.

(An. 1435, 17 octobre.)

Le dix septiesme jour de octobre, l'an mil quatre cens trante et cinq, Jehan Pelleteau, dit Caloche, signeur de Profont-fossé, en la paroisse de Trougues, donne, concède à tous jours mais perpetuellement sur sa part de la disme de Posay, sept sextiers de blé, trois sextiers de froment, et trois sextiers de seigle, pour avoir annuellement et perpétuellement deux messes, sa vie durant, l'une de Notre-Dame, et l'autre du Saint-Esprit; et *post mortem*, l'une sera de Notre-Dame et l'autre de *mors;* et seront dictes, l'une la veille de la Nativité Notre-Dame, et l'autre la veille de la Conception.

Cart. orig., folio 124, recto; copie, p. 863.

Cette pièce a été ajoutée dans le quinzième siècle au cartulaire. L'écriture en est tout à fait gothique et bien différente de l'écriture des autres chartes du cartulaire.

DCLII.

Prioratus, officia claustralia ac capellaniæ ad collationem domini abbatis de Nuchariis.

—

ET PRIMO, IN ARCHIEPISCOPATU TURONENSI :

Prioratus.

1. Prioratus Sancti Vincentii de Anthoniaco ;
2. Prioratus Beatæ Mariæ Magdalenæ de Marciliaco ;
3. Prioratus Sancti Patricii ;
4. Prioratus Sancti Petri de Druys ;
5. Prioratus Sanctæ Mauræ ;
6. Prioratus de Molendino Dousil ;
7. Prioratus Sancti Egidii de Insula Bucardi ;
8. Prioratus de Asceyo le Chetit.

Officia claustralia.

Celleraria ; cameraria ; eleemosynaria ; sacristaria ; cantoria ; armaria.

Capellæ.

1. Capella de Montgaugier ;
2. Capella de Mota ;
3. Capella de Montigniaco ;
4. Capella capellanorum ;
5. Capella de Caulleo.

SECUNDO, IN EPISCOPATU PICTAVENSI :

Prioratus.

1. Prioratus Sancti Johannis de Busseriis ;
2. Prioratus Sancti Dionysii des Treilles ;
3. Prioratus Sancti Stephani de Saviniaco ;
4. Prioratus Beatæ Mariæ de Gensaio ;
5. Prioratus Sancti Johannis de Gunayo ;
6. Prioratus Sancti Egidii de Collibus ;
7. Prioratus Beatæ Mariæ de Rasina ;
8. Prioratus Sancti Nicolai de Camvento ;
9. Prioratus Sanctæ Mariæ de Champigniaco ;
10. Prioratus Sancti Supplicii.

Parochiales ecclesiæ in patronatu seu præsentatione abbatis Beatæ Mariæ de Nuchariis.

ET PRIMO, IN ARCHIEPISCOPATU TURONENSI :

1. Ecclesia Sancti Vincentii de Anthoniaco ;
2. Ecclesia de Pussigniaco ;
3. Ecclesia Sancti Martini de Portubus ;
4. Ecclesia Beatæ Mariæ Magdalenæ de Marciliaco ;
5. Ecclesia Sancti Hilarii de Vernolio ;
6. Ecclesia de Turre Sancti Gelini ;
7. Ecclesia de Pariliaco, alias, de Spina ;
8. Ecclesia de Rupe Clermau ;
9. Ecclesia Sancti Patricii ;
10. Ecclesia de Druys ;
11. Duæ portiones in ecclesia Sanctæ Mauræ ;
12. Ecclesia de Scemis ;

13. Ecclesia de Marseyo ;
14. Ecclesia de Dracheio ;
15. Ecclesia de Scella Sancti Avencii ;
16. Una portio in ecclesia de Scella Guenant ;
17. Ecclesia de Nucariis ;
18. Ecclesia de Nucastro ;
19. Ecclesia Sancti Egidii de Insula Buchardi.

ECCLESIÆ PAROCHIALES IN EPISCOPATU PICTAVENSI :

1. Ecclesia Sanctæ Mariæ de Champigniaco ;
2. Ecclesia Sancti Martini de Sabulone ;
3. Ecclesia Sancti Stephani de Saviniaco ;
4. Ecclesia Sancti Martini de Pasayo le Joly ;
5. Ecclesia Sancti Hilarii de Mota Uscelli ;
6. Ecclesia Beatæ Mariæ de Rasina ;
7. Ecclesia de Naincreio.

Cart. orig., folio 88, recto ; copie, p. 31.

APPENDIX.

DCLIII.

Aimericus de Fagia alodum Carritiacum monachis omnino liberum dimittit.

(Anno 1061.)

Post mortem Gaufridi comitis Andegavensis, dum ministri domni Aimerici infantis de Fagia a parte salientes in alodum nostrum, nomine Carritiacum, vicariam aliasque malas consuetudines immiserunt, rusticanos in illo hospitantes injuriaverunt. Insuper, et quod pejus est, monacho obedientiam custodienti injurias innumerabiles patraverunt, facientes credere seniori suo rectum esse quod faciebant, non reminiscentes Sanctæ Scripturæ dicentis : *Os quod mentitur, occidit animam.* His vero domnus abba auditis, graviter commotus, collecto fratrum consilio, petiit quid de hoc facerent. Audita fratrum consilii utilitate, ivit ad curiam supradicti principis, paratus ei demonstrare per apertam legem, nullam consuetudinem in nostro alodo habere. Sed de hac re multis verbis ab utraque parte redditis, ad hoc consilium verba vertuntur, ita loquente supradicto principe, audientibus cunctis circum sedentibus quæ sequuntur :

« His etiam litteris notificari volo omnibus meis fidelibus præsentibus et absentibus atque futuris, qualiter Sanctæ Mariæ Nucariensis monasterii et locelli illius abbati, nomine Andreæ, et monachis inibi Deo nocte et die servientibus, dimitto vicariam et omnes malas con-

